Legajo 33
Exp 3.ª
Fol 10

TRACTATVS

DE FIDE SPE, ET CHARITATE

AVTHORE

P. GASPARE HVRTADO MONDEJARENSI
è Societate Iesu D. Theologo in Academia Complutensi.
ET OLIM IN EADEM ARTIVM LIBERALIVM
publico professore, & Collega D. Ildephonsi.
ET IN COLLEGIO COMPLVTENSI
Societatis Iesu Primario Sacræ Theologiæ
Professore.

Año. 1632.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

CVM PRIVILEGIO

Matriti, apud Franciscum de Ocampo.

TRACTATVS
DE FIDE
SPE, ET CHARITATE

AVTHORE
P. GASPARE HURTADO MONDEJARENSI
e Societate IESV D. Theologo in Academia Complutensi.

ET OLIM IN EADEM ARTIVM LIBERALIVM
publico professore, & Collegij D. Hildephonsi.
ET IN COLLEGIO COMPLVTENSI
Societatis IESV Primario Sacræ Theologiæ
Professore.

Anno. 1592.

CVM PRIVILEGIO
Matriti, apud Franciscum de Ocampo.

Suma del priuilegio.

TIene Priuilegio el Padre Gaſpar Hurtado de la Compañia de Ieſus por tiempo de diez años, para imprimir vn Libro intitulado *Tractatus de Fide, Spe & Charitate*, como parece por el teſtimonio que de ello dio Iuan Laſſo de la Vega, eſcriuano de Camara, en Madrid à veinte y quatro del mes de Mayo de 1632.

Suma de la Taſſa.

LOs Señores del Conſejo, taſſaron eſte Libro *Tractatus de Fide Spe & Charitate*, a quatro marauedis y medio cada pliego, como parece por el teſtimonio de Martin de Segura eſcriuano de Camara. En Madrid à 25. de Agoſto de mil y ſeyſcientos y treinta y dos.

ERRATAS.

PAg.2.lin.20.verantur di verſantur,pag.11.lin.30.vltiri no di vltimo,pag.14.lin.20.& 21. moueuit di mouebit, p.18.li.27.inniten di innitens,pag.19.lin.32.vniuerſalis di virtualis pag.21.lin.31.ac di hac pag.30.lin.15.obſtendere di oſtendere,p.31.lin.19.ſoler di ſolet,p.32.lin.36.abſtractiuæ,d.abſtractiuam,p.37.l.1.poſſe di poſſe eſſe,&l.4.neos dinos, p.41.lin.20.vt di & pag.65.lin.1.iudicijs di iudicij, pag.95.lin.3.producundum di producendum,pag.139.lin. 20.ſidei di fidem, pag.166.lin.15. odiente di odienti,pag. 179.lin.8.inſignis di ſignis,pag.183.lin.11.iudicare di dubitare p.185.lin.33.ſpeciefice d. ſpecifice,p.205.lin.32.videntur d.videtur,p.241.lin.27. viuiſcuiuſq; d.vniuſcuiuſq; p.254.lin.16.qæ d.quæ,p.279.lin.18. Tridentinum d. Tridentino,p.288.lin.vlt.proprius d.proprium,p.297.lin.12. ſpecie d.ſpeciei,p.305.lin.vlt.patet d.parte, p.306.lin.16. intenſir,d.intenſior,lin.33.exceptu d.excepto, pa. 307.lin. 17.ideoque d.ideo qui,p.324.lin.29.prædicta d.prædita,p. 330.lin.12.perſonæ d.perſe,p.334.lin.15.virtutem,d.virtutum,p.359.gratica,d.gratia,p.363.lin.29.ſatem,d.ſaltem, p.366.l.27.ſignicatus,d.ſignificatur,p. 370.l. 18.proxumũ d.proximũ,p.371.l.30.diligis,d.diligit,p.382.l.8.dat d.date,lin.32.proximos,d.proximus, p.398.lin.10. eſt d.ex p 402.lin.21.credito,d.creditor,p.405. lin.21.ſiue d.ſi pag. 407.lin.19. eſt d.ex p.409.lin.2.ſententia, d.ſententiæ,pa. 415.lin.14.beneficiarorum,d.beneficiariorum, p.418.lin 14.ſuperlectilem,d.ſupellectilem,p.420.lin.19.communiti d.communitati,p.427.lin.10.ad d.ab p.431.lin.34.ſuffice re d.ſufficere,p.435.lin.33.ocuclatius,d.oculatius, p.443. lin.18.parti d.pati,p.447.lin.10.qua d.quam, p.451.lin.2. affectum, dic. affectu,pagin.464.lin.1.accipi, dic. accepit, pag.467.lin.vlt.quaus,d.quanuis,p.470.lin.25.perſonæ d. perſona,p.473.lin.37.aliquo,d.aliquod,p.491.lin.20.diſſentio,d.diſſenſio,p.492.lin.9.ẽ cõtra,d.& è contra,p.500. lin.10 feſtum,d.feſto,p.501.lin.26.adinto, d. adhibito, & lin.vlt.dif.12.d.dif.6.p.505.lin.1.ſicut,d.ſunt,& lin.2.ſunt d.ſicut,p.514.lin.19.matoris,d.maiores,p.518.lin.17.honori,d.honoris,p.523.lin.11.inuaſoris,d.inuaſeris,p.525. lin.25.incertum d.certum,p.525.l.6.amiſſam,d.admiſſem.

Licent. Franciſcus Murcia de la Llana. Liten-

Licencia de la Orden.

EGO Michael Pacheco, *S*ocietatis Ieſu, in Prouincia Toletana Præpoſitus Prouincialis poteſtate ad id mihi facta, â Reuerendo admodum P. N. Mutio Viteleſchi, Præpoſito Generali facultatem facio, vt Tractatus de Fide, Spe, & Charitate Authore P. Gaſpare Hurtado, Doctore Theologo Complutenſi, & noſtræ Societatis Religioſo, & eiuſdē Societatis Grauium, Doctorumq; hominum approbatus, Typis mādetur, in quorum fidem, has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſygillo noſtro munitas dedimus. Matriti in noſtro Imperiali Collegio. Die 22. Februarij. Anno 1632.

Licencia del Ordinario.

EL Licenciado don Iuan de Velaſco y Azeuedo, Vicario General de la Villa de Madrid y ſu partido, y electo Prior de Roncesualles. Por la preſente damos licencia para que por lo que â nos toca ſe pueda imprimir el Libro contenido en la cenſura de abaxo, atento no contiene coſa cōtra nueſtra ſanta Fè Catholica, y buenas coſtumbres. En Madrid â 27. de Marzo de 1632.

Licenciado Velaſco y Azeuedo.

Por ſu mandado.
Pedro de Torres.

Cenſura.

IVSSV D. Ioannis de Velaſco, *V*icarij Generalis Matriti, hunc Tractatum de Fide, Spe, & Charitate, Inſignis admodum Doctoris Gaſparis Hurtado, è Societate Ieſu, perlegi, in quo præter ſanam & Catholicam doctrinā, cui pijſsimus Author, ſemper indiuulſe adhæſit, inueni (quæ in ipſo Authore ſemper ſuſpexi eruditionem incōparabilem, & incredibilem, tum in eruendis germanis, & cohærentibus Scripturæ *S*acræ ſenſibus, tùm in quæſtionibus difficillimis decidendis ſubtilitatem, claritatem & dexteritatem, tū denique in confirmanda Catholica doctrina, & ab hæreticorū calumnijs vindicanda, admirabile robur, atque virtutem, â

deo vt in Scriptura Sacra exponenda, alterum Hieronimũ, & in Galeata Theologia, quam *Scholaſticam* vocant (cuius principale munus in tot ſcriptis, quæ in lucem edidit, ſemper aſſumpſit) alterum Auguſtinum merito dixeris, eſt enim in vtroque ſublimis, apprime doctus, inſignis, vbique celebris, vt in quo excellentior exiſtat, prorſus ignores. Cui deniq; Authori, Deus cumulatiſsime, omnes egregias Doctoris Chriſtiani dotes, animi candorem & puritatem, modeſtiam, ſapientiam, morum honeſtatem, cum ſumma prudentia contuliſſe videtur. Qua propter, opus hoc, ſicut & cætera, in communem omnium vtilitatẽ typis digniſsimum Cenſeo. Datis Matriti in Conuentu Sanctiſsimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum. Die 27. Martij Anno 1632.

Fr. Ferdinandus Nuñez, in Sacra Theologia Magiſter, & ſupremi Senatus S. Generalis Inquiſitionis Hiſpaniæ à Cenſuris Miniſter.

Cenſura.

LEGI *Supremi Senatus* Regij authoritate, & iuſſu tres Tractatus Theologicos de tribus virtutibus Theologicis, primum de Fide, ſecundum de Spe, tertium de Charitate, nunc primum elegantiſsime factos ac digeſtos à R. admodum P. Gaſpare Hurtado Mondejarenſi, ex Societate Ieſu: Doctore Theologo ex *Vniuerſitate* Complutenſi, quondam in eadem ingenuarum artium profeſſore, ibidemque in Maiorum Maximum D. Illephonſi Collegium, pro exactis meritis, ſummo omnium applauſu coaptato, poſt inde in Collegio Complutenſi eiuſdem *Societatis* Primario Sacræ Theologiæ Præfecto è Religione adhibito. Omnibus ſatisdato reſpondet opus, hoc quippe ille (præter alia multa) hæc fecit eſſe ſuis, nobilitate clarum, Religione pium, pietate tutum; ſapientia doctum, profeſsione celebre, claritate conſpicuum, comprehenſione rarum, breuitate cętera. Tantundem minimum de Noſtrate ſentio compluti duodecimo Calendas Maij. Anno Domini 1632.

Doctor Ioannes Gonus Salius Martinius Publicus Sacræ Theologiæ, apud Complutenſes Profeſſor.

DEIPARAE MARIAE eiusque amantissimæ Matri, Gaspar Hurtado, seipsum & libellum hunc consecrans.

VNDE Sæmat exordium dictio mea? An à te, ò Maria, felix iam dudum lucubrationum mearum asylum, an à pientissima Genetrice tua, cuius nunc primum fausta venor auspicia? Vtriusque tutelæ, & si disparestimulo concitatus, meus satagit affectus. Ad te mea quidem impellit gratitudo, ad Matrẽ quædam fiducia noua cogit: te exhibita toties patrocinia, matrẽ tuam instanti acclamatione efflagitant exhibenda. Vergit quandoque, fateor, in anteacti beneficij contumeliam, nouum captare patrocinium: est enim quasi minus potenti brachio admiscere vires, ferre suppetias. Absit à mente eam irreuerentem notam potentissimæ dexteræ tuæ audacter inurere. Sublimior me ducit animus. Pietas est, quod sub ingratitudinis larua forsan delitescit: mente quippè diu versaueram, quæ tibi officia, mea tenuitas exhiberet multo deposcente beneficio: nullumque ita mihi arrisit, quàm si venerabili Matri tuæ eosdem ac tuæ Maiestati deferrem honores, eàdemque fiduciâ suis manibus opuscula mea reponerem: est enim præclarum obsequij genus, non solùm Principem, sed ea, quæ ad Principem spectant cultu quodam regio, & æquali ferme honore suspicere. Itaque non derogo tuæ laudi, dum nouam aduoco patronam: imò tui honoris causa, vellem hic honos quoque, quisquis ille sit, Genetrici tuæ accresceret. Iam, si opusculi huius inscriptionem perlego, æquo Marte te, parentemque tuam sibi conatur adscisere. Hæ namque diuinæ, totæque deificæ virtutes; fides nimirum, spes, atque charitas, de quibus

agere inſtitutum eſt, é ſummo cœlo dilapſæ, in te velut in proprio, iucundoque domicilio, atque auguſtiſſimo ſolio ſumma quadam benignitate exceptæ reſederunt. Quod ſi Annæ nomen, vt vult Anſelmus gratia interpretatur, iure quodam optimo ſuſpicienda tua Genitrix, quæ eo celebri nomine inſignitur, hoc ſibi vendicat opus, vt potè quod primares gratiæ fructus, virtutes ſcilicet Theologicas & indagando exponere, & exponendo celebrare, qua poteſt ſtrenuitate, contendat. Ergo congruè ſatis ad gratiam redeunt, quæ ex gratiæ fontibus redundant. Adeſte igitur mihi, vtraque digniſſima Mater, vt fides, ſpesq; mea euentibus nutritæ ſecundis in ardentiſſimos Charitatis affectus animos meos commoueant, & aſſultante gratitudinis flammà ſemper ardens accepti beneficij viuat monumentum.

IHS

TRACTATVS DE FIDE.

INTER Alias significationes, & acceptiones nominis *Fides*, quas omittimus: primo significat, & accipitur pro fidelitate, quæ est veritas in factis, qua scilicet facta conformantur promissis. 1. Machab. 10. *Perseuerate adhuc conseruare ad nos Fidem*, & inde dicitur fides: quia scilicet fit, quod dicitur. Secundò significat, & accipitur pro fiducia, seu firma spe obtinēdi rem promissam, vel desideratam. Iacob. 1. *Postulet autem in Fide nihil hæsitans*, quæ verba nonnulli, non satis aptè, ad credulitatem intellectus accomodant. Tertiò accipitur pro conscientia, quæ est actus iudicij, quo iudicamus circa moralitatem nostrorum actuum, vel circa aliquid ad eorum moralitatem pertinens, ad Rom. 4 *Quod non est ex Fide peccatū est*. Quartò, ergo nomen *Fides* accipitur pro ea fide, qua credimus alteri aliquid dicenti: quæ duplex est, altera humana, qua credimus homini dicenti, Ecclesiast. 19 *Vir bonus fidem facit proximo suo*; altera diuina, seu Theologica, qua Deo dicenti credimus.

Fides autem diuina (de qua tractatus iste instituitur) in scriptura non rarò sumitur pro actu ipso credēdi, ad Rom. 1. *Fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo*: & aliquando sumitur pro obiecto ipso credito, ad Ephes. 4. *Vnus Deus, vna Fides*, & Apocal. 2. *Non negasti Fidem meam*: & à Theologis

Scholasticis etiam sumitur, & sæpè pro habitu ipso à Deo infuso, qui est principium intellectui, eum eleuans ad connaturaliter credendum Deo dicenti.

DISPVTATIO PRIMA.

De obiecto materiali Fidei diuinæ.

OBIECTVM Actus Fidei diuinæ (quod suo modo etiam est ipsius habitus Fidei) est duplex, alterũ materiale, seu *quod*, nempe id, quod creditur actu ipso Fidei, seu id quod ipso attingitur, vt *quod*: alterum formale, seu *quo*, nempe motiuum formale, ob quod creditur obiectum materiale. Est tamen discrimen inter actus (& suo modo etiam inter habitus) appetitus, tam sensitiui, quam rationalis ex vna parte, & inter actus (& suo modo inter habitus) potentiæ apprehensiuæ, tam sensitiuæ, quam intellectiuæ ex altera, quod quamuis ad omnes actus appetitus sit semper motiuum aliquod formale, nempe bonitas obiecti materialis appetiti, non tamen ad omnes actus potentiæ apprehensiuæ, imò ad nullum, excepto actu Fidei. Quia omnes actus tam intellectus, quàm sensus, excepto actu Fidei, tantum versantur circa obiectum materiale, absque motiuo aliquo formali, ob quod eliciantur à suis potentijs.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Quod sit subiectum Fidei.

QVAMVIS Subiectum, & obiectum materiale actus cognitionis (& suo modo habitus ad ipsum actum) soleant, & rectè pro eodem vsurpari, strictè tamen, & in rigore subiectum dicitur res illa incomplexa, aut quasi incomplexa, cui tanquam subiecto aliquid attribuitur cognitione ipsa iudicatiua, ob quod solet dici subiectum attributionis, seu prædicationis: obiectum verò materiale dicitur totum ipsum complexum, quod cognitione illa iudicatiua cognos-

citur:

citur: in quo complexo reperitur ſubiectum, & id quod illi attribuitur, ſeu id quod de illo prædicatur, ob quod dici ſolet obiectum adæquationis, v. g. quando credimus Deum eſſe trinum, *Deus* eſt ſubiectum iſtius actus iudicij, & Fidei, & tota ipſa propoſitio obiectiua conſtans ſubiecto, & prædicato, & connexione vtriuſque, eſt obiectum materiale dicti actus.

Hoc ergo ſuppoſito conueniunt Theologi Deum eſſe ſubiectum Fidei diuinæ (tam actus, quam habitus) quia Fide diuina plura de Deo credimus, quæ ipſi per illã attribuimus, nempe quod ſit vnus, & trinus, creator, ſanctificator, glorificator, & plura alia, quæ ipſe de ſe ipſo reuelauit. Et non tantum Deum eſſe ſubiectum Fidei diuinæ, ſed etiam plures alias res, verbi gratia, Chriſtum vt hominem, B. Virginem, de quibus multa credimus Fide diuina, quæ Deus de illis reuelauit: & etiam plures alias res creatas, de quibus Fide diuina aliquid credimus à Deo reuelatum. Vnde Caluinus falſo obijcit Theologis, quod non agnoſcunt, niſi Deum pro ſubiecto Fidei diuinæ, & non Chriſtum vt hominem, cui, multa à Deo reuelata in ſcriptura, attribuuntur, præſertim in nouo teſtamento, quia etiam eum veré agnoſcunt, vt ſubiectum Fidei, quamuis Deum, vt Deum, vt magis præcipuum. Ex quo conſtat Deum, vt Deum non eſſe ſubiectum adæquatum, ſeu totale Fidei diuinæ.

Subiectum ergo adæquatum Fidei diuinæ, eſt omne id, de quo Deus aliquid reuelauit, ſeu cui Deus aliquid attribuit, & de quo id poſſumus proximè credere, in quo non intrat id, de quo poteſt aliquid reuelare, quouſque ſit de eo reuelatum, quia de nullo, quouſque de eo ſit aliquid reuelatũ, poteſt eſſe actus Fidei, ac proinde neq; habitus Fidei poteſt eſſe principium actus Fidei de illo.

Sed quamuis Deus non ſit ſubiectum adæquatum Fidei diuinæ, ſed tantum inadæquatum, ſeu partiale, eſt tamen ſubiectum principale, in quo Theologi conueniunt, etiã Durand. in 3. diſt. 24. q. 1. quamuis in prologo, q. 5. dixerit ſubiectum Fidei, intelligens principale, eſſe actum meritorium: eſt autem Deus ſubiectum principale non tantum materialiter,

quia Deus est principalissima res, cui per Fidem plura attribuimus, sed etiam formaliter, quia ipse est, de quo principaliores articulos Fide credimus, seu cui principaliora prædicata Fide attribuimus.

DIFFICVLTAS. II.

Qua ratione Deus sit subiectum Fidei.

GRegor. in prologo q. 4. art. 2. Marsil. q. 2. art. 5. & alij docent Deum non absolutè, & secundum se vt Deum, sed vt glorificatorem esse subiectum Fidei, quia Fides ordinatur, vt Deus nos glorificet.

Soar. verò disp. 2. sect. 1. Turrian. disput. 1. dub. 1. Adam. Tamner disp. 1 q. 1. dub. 2. Ægid. disp. 9. dub. 1. Vazq. 1. p. disp. 10. cap. 3. & communiter Theologi docent Deum, vt Deum absolutè, & secundum se, esse subiectum Fidei, & meritò quia de Deo secundum se credimus, & ipsi attribuimus, quæ de ipso credimus, v. g. quod sit vnus, & trinus, & bonus, & reliqua ipsi Deo extrinseca. Vnde esse glorificatorem potius est prædicatum, & id quod credimus, quam subiectum, & id de quo credimus.

Ex quo constat Deum vt Deum non tantum esse subiectum Fidei quatenus ipsa Fide ei attribuimus prædicata necessaria, v. g. quod sit vnus, & trinus, & bonus, sed etiam quatenus ipsa Fide ei attribuimus prædicata contingentia ex ipsius voluntate pendentia, v. g. quod sit creator, iustificator, & glorificator.

Ex eo autem quod Fides diuina ordinetur ad hoc, quod Deus nos glorificet, tantum deducitur *Deum esse glorificatorē*, esse finem Fidei, non vero subiectum illius.

DIFFICVLTAS III.

Quod, & quale sit obiectum materiale Fidei.

DIFFICVLTAS Hæc procedit de obiecto materiali prout condistincto à subiecto, & est id quod immediatè,

& proximè creditur, nempe propoſitio obiectiua includens ſubiectum, de quo creditur, & prædicatum, quod ipſi ſubiecto attribuitur, & connexionem prædicati cum ſubiecto, cui prædicatum ipſum attribuitur.

Circa prius ergo conueniunt communiter Theologi obiectum materiale Fidei (ſumptæ tam pro actu, quàm pro habitu) eſſe id quod Deus reuelauit, & poſſumus proximè credere: & obiectum materiale adæquatum eſſe omne id, quod Deus reuelauit, & poſſumus proximè credere, in quod non intrat id, quod poteſt Deus reuelare, quouſque reuelatum ſit, quia nihil quouſque ſit reuelatum poteſt proximè credi, ac proinde neque habitus Fidei poteſt eſſe principium alicuius actus Fidei circa illud.

Ex quo conſtat obiecta materialia Fidei alia eſſe neceſſaria, v.g. Deum eſſe vnum, & trinum, & bonum; & alia eſſe contingentia, v.g. Deum eſſe creatorem, & Antichriſtum eſſe venturum, quia obiecta à Deo reuelata, quæ ſunt obiecta materialia Fidei, alia ſunt neceſſaria, & alia contingentia.

Circa poſterius conueniunt Theologi obiectum materiale Fidei eſſe in ſe ſimplex, ſeu incomplexum, & prout eſt in noſtro intellectu eſſe quid complexum: dicitur autem complexum prout eſt in noſtro intellectu, quia quamuis aliquid eſt in ſe phyſicè ſimplex, v.g. Deum eſſe bonum, tamen prout obijcitur aſſenſui Fidei, eſt extrinſecè complexum, quia huic aſſenſui obijcitur vt multiplex, nempe vt id, quod eſt ſubiectum, & vt id, quod eſt prædicatum conueniens ſubiecto, v.g. vt Deus, & vt bonum conueniens Deo: dicitur verò ſimplex, ſeu incomplexum prout eſt in ſe, non quia omne phyſicè ſit tale, quia obiecta aliqua materialia Fidei ſunt phyſicè complexa, & compoſita, v.g. Deum eſſe hominem, ſed quia prout eſt in ſe, caret dicta complexione extrinſeca proueniente ipſi obiecto ab aſſenſu Fidei, & dicitur ſimplex prout eſt in ſe à negatione, ſeu carentia dictæ extrinſecæ complexionis, quia ſcilicet prout eſt in ſe caret illa.

(.§.)

DIFFICVLTAS. IIII.

Vtrum obiecta materialia Fidei creuerint ſucceſſu temporis.

CONueniunt Theologi non omnia quæ reuelata ſunt à Deo (quæ eo ipſo ſunt obiecta materialia Fidei, ſeu credibilia) fuiſſe ſimul in principio reuelata, ſed paulatim ſucceſſu temporis, quia ante aduentum Chriſti poſterioribus Prophetis noua aliqua reuelauit Deus, quæ nõ reuelauerat prioribus, & in nouo teſtamento plura ſunt reuelata, quæ ante ipſum reuelata non fuerant, nempe Sacramenta præſentia corporis, & ſanguinis Criſti in Euchariſtia, & poteſtas ſuprema Eccleſiaſtica in Petro, & in eius ſucceſſoribus, quamuis aliqua ex prædictis fuerint in veteri teſtamento præfigurata, quod non eſt idem ac fuiſſe reuelata.

Ex quo conſtat obiecta materialia Fidei, ſeu credibilia ſucceſſu temporis quo ad numerum creuiſſe, in quo Theologi conueniunt quia quo ad numerum creuerunt reuelata à Deo, quæ eo ipſo ſunt obiecta materialia Fidei. Ita tamen obiecta materialia Fidei ſeu credibilia Fide Fidelibus communi ſucceſſu temporis creuerunt, vt tãtum creuerint vſque ad Chriſtum, & Apoſtolos, & non poſt & in primis tempore Chriſti, & Apoſtolorum creuiſſe manifeſtum eſt, quia tunc Sacramenta, & ſuprema poteſtas Eccleſiaſtica in Petro, & in eius ſucceſſoribus, & aliqua alia reuelata fuerunt: quod verò poſt id temporis non creuerint, etiam conſtat quia poſteà nulla facta eſt reuelatio alicuius doctrinæ Fidelibus cõmunis, ſeu pro communitate Fidelium tradita, quod Ioan. 14. ſignificatur, *ille vos docebit omnia*, ſubintellige, quæ Deus decreuit reuelare Eccleſiæ. Et Ioann. 16. *cum venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

Vnde in Eccleſia nihil de nouo proponitur credibile Fide diuina, quod non fuerit credibile tempore Apoſtolorum. vt aduertunt Vvaldẽſis lib. 2. doctrinalis Fidei, cap. 22.

Soar.disp.2.sect.6. Valent.disp.1.q.1.punct.6. Lorca disp. 17.& Ægid.disp.9.dub.5.& 9 & ideo Ecclesia, vt proponat aliquid Fide diuina credendum, tantum recurrit ad scripturam, & traditiones, quia tãtum in scriptura, & in traditionibus continentur reuelata à Deo, & à nobis credibilia: ad id autem proponendum inuocat Spiritum Sanctum, non vt reuelationem ab ipso accipiat, sed vt assistentia Spiritus Sancti perfectè percipiat sensum scripturæ, & traditionum, in quibus antiqua reuelatio diuina continetur, & vt proponat tanquam reuelatum, & credibile, quod verè fuit anteà reuelatum, & credibile.

Addimus primò non solum nihil nunc esse Fide diuina credibile, quod non fuerit tempore Apostolorum, sed etiam Apostolos omne id cognouisse, vt significat Ioann. vbi suprà, & melius cognouisse, quam nos, quia Christus illis, & non nobis, Lucæ vltimo aperuit sensum, vt intelligerent scripturas (& absque dubio etiam traditiones) & Spiritus Sanctus eos specialiter docuit in die Pentecostes, & posteà.

Ex quo constat Ioachimum Monachum Benedictinum, & Petrum Ioannem Franciscanum errasse asserentes Apostolos non percepisse sensum spiritualem Euangelij, sed hunc fuisse perceptum, vel à sancto Benedicto, vt dicebat Ioachimus, vel à sancto Francisco, vt dicebat Petrus Ioannes, errarunt ergo quia Apostoli perfectius cognouerunt res Euangelij, quam nos: maior autem perfectio cognitionis in eo constitisse videtur, quod maiori intelligentia, & penetratione cognouerint res Fidei, & maiori firmitate ex parte subiecti eis præbuerint assensum.

Addimus secundò quod etiam si inter obiecta materialia Fidei seu credibilia sit aliquis ordo dignitatis, quia aliud est dignius alio, verbi gratia, *Deum esse vnum & trinum*, dignius est hoc credibili, *Antichristus veniet*; & quamuis etiam sit ordo necessitatis ad credendum quia aliud maiori necessitate est credendum, quàm aliud, quia aliqua sunt necessariò credenda necessitate medij, v.g. *Deum esse, & remuneratorem esse*, & alia tantum necessitate præcepti, v.g. *Christũ esse passum & mortuum, & resurrexisse*, & alia nõ

sunt ex necessitate aliqua ex dictis credenda, v.g. *Tobiam habuisse canem*: non tamen est inter illa ordo aliquis credibilitatis, non solum quia vnum non est magis credibile Fide diuina quam aliud, quia omnia reuelata à Deo sunt æqualiter credibilia, quia reuelatio diuina, ob quam sunt credibilia, & creduntur, est eiusdem authoritatis, sed etiam quia nullum necessariò præsupponitur credẽdum Fide diuina ante alia, quia si aliquod, maximè ipsa reuelatio diuina, ob quam tanquam ob motiuum formale elicitur actus Fidei diuinæ: reuelatio autem diuina non est necessariò prius credenda Fide diuina, vt ob illam assentiamur rebus reuelatis, quia ad id sufficit, quod supponatur credita Fide humana, vt dicemus disput. 3.

DIFFICVLTAS V.

Vtrum obiecta materialia Fidei conuenienter in Symbolo tradantur.

VOX *Symbolum* (quę Græca est, & collectionem plurium in vnum significat) accommodata est ab Ecclesia ad significandam summam, & collectionem articulorum Fidei.

Supponimus ergo triplex symbolum esse ab Ecclesia receptum: primum quod in paruo catechismo continetur, & profertur in principio Diuini Officij, est Apostolorum, id est, quod Apostoli tradiderunt, vt communi consensu, & antiqua traditione credunt fideles, & docent Clem. epist. 1. ad Iacob. August. serm. 115. de temp. Rufin. in expositione symboli, & communiter Patres; illud autem tradiderunt, quando in varias regiones separari decreuerunt, vt vniformes essent in tradenda summa Fidei Christianæ. Sed an totum, & singulæ partes ab omnibus Apostolis traditæ sint, an singulæ à singulis, incertum est, quamuis hoc posteriori modo factum fuisse indicent Clemens, & August. & nonnulli alij Patres: & quamuis hoc symbolum non sit scriptura, quia non fuit scriptо, sed verbo traditum, vt ait August. serm. 109. de tempore, æquiparatur tamen scripturæ quoad infallibilitatem,

quia

quia traditio, ex qua dictum ſymbolum conſtat, non eſt minoris authoritatis, quàm ſcriptura, quia ſicut in hac, ita etiam in traditione continetur teſtimonium Dei.

Secundum ſymbolum, quod aliquando in miſſa profertur, eſt Nicænum, & Conſtantinopolitanum, quia inchoatum fuit à Concilio Niceno, & auctum à Conſtantinopolitano primo, quod fuit ſecundum generale, in quo ſymbolo aliqua omittuntur, quæ in ſymbolo Apoſtolorum ad inſtructionem fidelium tradito continentur, quia Patres dictorum Conciliorum contenti fuerunt confitendo expreſsè, quæ Arius, & alij hæretici negabant, authoritas huius ſymboli Niceni eadem eſt, quæ in Concilijs, quia traditum fuit in duobus prædictis.

Tertium ſymbolum, quod aliquando in Officio Diuino ad ſolam primam profertur, eſt Athanaſij Archiepiſcopi Alexandrini, vt referunt Nazianzenus oratione in laudem Athanaſij, & Auguſtinus in Pſalm. 120. in quo ſymbolo, intentio Athanaſij fuit, aliqua myſteria Fidei amplius contra hæreticos ſui temporis explicare. Authoritas huius tertij ſymboli eadem eſt quæ in Eccleſia, non quia traditum fuit ab Athanaſio, quia non fuit ſummus Pontifex, ſed quia receptum eſt ab Eccleſia.

Hoc ergo ſuppoſito conueniunt Theologi obiecta materialia, ſeu credibilia principalia noſtræ Fidei conuenienter in dictis tribus ſymbolis tradi, quia in ſymbolo Apoſtolorum traditur breuis, & facilis inſtructio in credibilibus principalibus noſtræ Fidei, & in ſymbolis Nicæno, & Athanaſij fit expreſſa profeſsio aliquorum credibilium contra quæ inſurrexerant hæretici.

Addimus credibilia in ſymbolo Apoſtolorum contenta dici articulos Fidei (ſicut quædam partes corporis inter ſe diſtinctæ, & ad motum aptæ, dicuntur articuli) quia ſunt credibilia præcipua, & ſpecialia, & ſpecialem difficultatem habentia, & ex obligatione virtutis Fidei credenda. Præſentia autem Corporis, & Sanguinis Chriſti non enumeratur, vt articulus, quia quamuis ſit præcipuum, & ſpeciale credibile, & habens ſpecialem difficultatem, non tamen eſt credendum ex obligatione Fidei ob perfectionem Fidei, ſed ad ſummum

ex

ex obligatione religionis ob vsum Sacramenti, vt cum reuerentia suscipiatur. Addimus *adsummum*, quia sufficit aliter quàm Fide scire eorum præsentiam esse in Eucharistia ad rectum Eucharistiæ vsum, vt diximus disp. 7.

DISPVT. II.

De obiecto formali Fidei.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Quod sit obiectum formale Fidei.

POSTQVAM disputatione præcedente egimus de obiecto materiali, quod Fide diuina creditur, & attingitur vt quod; agimus iam de obiecto formali, seu motiuo formali, seu obiecto *quo*, propter quod, seu medio quo credimus obiectum materiale.

Conueniunt ergo Theologi Deum testificantem, seu reuelantem esse obiectum formale Fidei diuinæ, sicut homo testificans est obiectum formale Fidei humanæ.

Est tamen difficultas in explicando sub qua ratione Deus sit obiectum formale Fidei diuinæ.

Aureolus apud Capreolum in 3. dist. 23. q. vnica, art. 2. contra quartam conclusionem, & Gregor. Arimin. in prologo q. 4. art. 2. docent Deum, vt Deum seu sub ratione Deitatis, & nō vt reuelantem esse obiectum, seu motiuum formale Fidei diuinæ, quia obiectum formale Fidei diuinæ est id, in quod vltimò resoluitur assensus Fidei, & cui innititur tāquā fundamento, sed in Deum, vt Deum & non in Deum vt reuelantem fit resolutio vltima assensus Fidei, & ipsi Deo, vt Deo innititur tanquam fundamento, & non Deo vt reuelanti, quia quamuis interroganti *quare credis mysteria Fidei?* Respondendum sit, quia Deus reuelauit, ibi tamen non sistit interrogatio, quia vlterius interrogari potest, *quare credis Deo*

reue-

reuelanti: Et reſpondendum eſt, quia eſt omnino, ſeu infinitè verus, qui nec falli, nec fallere poteſt, & ibi nõ ſiſtit interrogatio, quia poteſt vlterius interrogari, *quare Deus eſt omnino, & infinitè verus?* & reſpondendum eſt, quia eſt Deus, ergo Deus, vt Deus, & non vt reuelans eſt obiectum formale Fidei.

S. Th. verò 2. 2. q. 1. art. 1. Valen. q. 1. punct. 1. Soar. diſp. 3. ſect. 4. Ægid. diſp. 9. dub. 3. & Vazq. 1. p. diſp. 7. cap. 4. docent, & meritò Deum vt primam veritatem reuelantem, & non vt Deum eſſe obiectum formale Fidei, quod ſignificatur in ſcriptura, dum in ea ſignificatur Fidem inniti teſtimonio Dei, Matth. 16. *caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus*, & Ioann. 15. *Si non veniſſem, & loquutus eis fuiſſem, peccatum non haberent* (ſubintellige infidelitatis) *nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo*. Et 1. Ioan. 5. *qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe*.

Et ratione probatur, quia id eſt obiectum formale, ſeu *quo* Fidei diuinæ, quo mouemur, & cui innitimur ad credendum ea Fide, ſed Deus, vt eſt primus, & infinitè verus reuelans, ſeu teſtificans id, quod credimus, eſt id, quo mouemur, & cui innitimur ad illud credendum Fide diuina, ex eo enim credimus aliquid Fide diuina, non quia Deus eſt Deus, ſed quia Deus, qui eſt primus, ſeu infinitè verus in iudicando (ob quod falli non poteſt) & in dicendo (ob quod non poteſt fallere) illud reuelat, ſeu teſtificatur. Ergo Deus vt reuelans, ſeu teſtificans, & non vt Deus eſt obiectum & motiuum formale, ſeu quo Fidei diuinæ.

Ad rationem verò aduerſariorum reſpondemus reſolutionem aſſenſus Fidei diuinæ, quæ ſupradicto modo fit vltimò in Deum vt Deum, nõ fieri in eum tanquam in medium, ſeu motiuum (adhuc remotum, & mediatum) in quo conſiſtit ratio obiecti formalis, ſed tantum tanquam in radicem ſummæ, & infinitæ veritatis Dei, in quo non conſiſtit ratio obiecti formalis, ac proinde Deus vt Deus non pertinet ad obiectum formale Fidei diuinæ.

(***)

DIF-

DIFFICVLTAS II.

Quæ includantur in obiecto formali Fidei.

EX Dictis difficultate præcedenti constat obiectum formale Fidei esse primam veritatem, vt reuelantem id, quod creditur, ac proinde in obiecto formali Fidei includi primam veritatem, & reuelationem.

Est tamen difficultas, quæ prima veritas, & quæ reuelatio includantur in dicto obiecto formali.

Pro cuius intelligentia supponimus primo, in Deo esse triplicem primam veritatem, vel potius ipsum esse triplicem veritatem primam, qua est tripliciter verus primò & omnino, & infinitè; quia in primis est veritas prima in essendo, seu transcendentalis, quæ in Deo est aptitudo prima, & infinita, vt ipse obiectiuè causet verum iudicium sui. Deinde est veritas prima in cognoscendo, quæ in Deo est sua infinita sapientia, qua cognoscit res, vt sunt in se, & pertinet ad intellectum: & tandem est veritas in dicendo, quæ in Deo est perfectio ipsi intrinseca, qua est procliuis ad dicendum ad extra conformiter ad id, quod interius iudicat, quæ dicitur veracitas, & pertinet ad voluntatem.

Supponimus secundo, reuelationem Dei esse duplicem, alteram ad extra, qua Deus extra se loquitur, siue spiritualiter, siue corporaliter, quæ proprissime dicitur reuelatio, & est quædam actio creata, qua Deus producit signum aliquod, siue spirituale, siue corporale quo nobis significat rem ab ipso iudicatam; & alteram ad intra, qua Deus intra se loquitur & dicit, & est ipsum iudicium Dei, cuius ipsa reuelatio ad extra est substitutum in ordine ad nos.

His ergo suppositis certum est, primam veritatem in essendo non intrare in obiectum formale Fidei, quia ista est impertinens, vt moueat nos ad assensum Fidei diuinæ.

Circa duas alias veritates, & circa duas dictas reuela-

tiones

tiones est inter Theologos dissensio, an intrent obiectum formale Fidei.

Et in primis circa duas alias veritates Bonauent. in 3. dist. 24. art. 1. q. 2. indicat veritatem primam in cognoscendo intrare, & pertinere ad obiectum formale, denotans aliam veritatem non intrare. Et Caiet. 2. 2. q. 1. art. 1. docet veritatem in dicendo intrare, & pertinere ad obiectum formale Fidei. Soar. disp. 3. sect. 4. Lorca disp. 2. & Becan. cap. 1. q. 1. docent vtramque veritatem ad dictum obiectum pertinere.

Deinde circa duas dictas reuelationes plurimi Theologi docent reuelationem ad extra pertinere ad obiectum formale Fidei, & non reuelationem ad intra. Alij pauci è contra docent reuelationem ad intra pertinere, & non reuelationé ad extra. Alij vtramque ad illud pertinere existimant.

Nos ergo existimamus in obiecto formali, ob quod ordinario modo credimus vtramque dictam veritatem, & vtramque dictam reuelationem includi. Ratio autem est, quia in primis ordinario modo aliquid credimus Fide diuina, quia Deus illud reuelauit ad extra, & illius reuelatione mouemur ad illud credendum, vt experientia, vel quasi experientia constat, & significatur Matth. 16. Ioan. 15. & 1. Ioann. 5. Deinde si Deus non iudicasset ad intra quod ad extra reuelat, non moueremur ad credendum ob solam reuelationem ad extra, quia in tantum credimus ob illam, in quantum existimamus eam esse conformem iudicio Dei, tanquam substitutum ipsius iudicij in ordine ad nos. Credimus ergo ob illã, & ob iudicium Dei, cuius ipsa est signum substitutiuum, seu pro quo ipsa substituitur in ordine ad nos. Credimus autem ob reuelationem ad extra, quia Deus est infinitè verus in dicendo, seu reuelando ad extra, qui eo ipso nequit velle decipere, ob quod reuelatio ad extra nequit non esse dicto modo conformis iudicio interno, seu nequit esse mendacium: & credimus ob iudicium internum, quia Deus est infinitè sapiens, attingens omnia, prout sunt in se, qui eo ipso nequit decipi, seu falsum iudicare; ad obiectum ergo formale Fidei diuinæ, quo ordinario modo credimus concurrunt reuelatio ad extra Dei, & prima veritas in reuelando ad extra; & iudiciũ internum Dei; & prima veritas in cognoscendo, & non con-

currit

currit Deus vt Deus, quamuis Deitas ſit noſtro modo concipiendi radix dictæ duplicis veritatis. Prædicta autē quatuo concurrunt directè, ſeu in recto, quia credere ob reuelationē ad extra Dei veri in dicendo, & ob iudicium Dei veri in cognoſcendo, idem eſt ac credere Deo vtroque modo vero reuelāti ad extra, & iudicanti, ſeu quia Deus vtroque modo verus reuelat ad extra, & iudicat, in quo quatuor illa directe continentur, & ſignificantur: nihilominus regulariter quando aſſignatur obiectū formale Fidei diuinæ tantū exprimitur reuelatio Dei, ſeu Deus reuelans, & tacetur iudicium Dei, ſeu Deus iudicans, quia iudicium intelligitur ſub reuelatione, vt pote ſuo ſubſtituto.

Addidimus *in obiecto formali, ob quod ordinario modo credimus Fide diuina*, includi quatuor prædicta, quia in rigore ad aſſenſum Fidei diuinæ ſufficiunt pro obiecto formali duo ex eis, nēpè iudiciū Dei, & eius prima veritas in cognoſcendo, quia abſq; reuelatione Dei ad extra, & abſq; eius veritate in dicendo, iudiciū Dei infinitè veri in cognoſcendo aliàs Fide humana ipſius iudicij, aut reuelatione Dei eiuſdē iudicij abſq; reuelatione ad extra rei iudicatæ, ſufficienter propoſitū mouet ad aſſēſum obſcurū, cui repugnat ſub eſſe falſum: quis enim perſuaſus eſt Deū infinitè ſapientem aliquid iudicare poteſt abſq; alio motiuo credere, & aſſentiri rei à Deo iudicatæ, quia Deus infinitè verus in cognoſcendo eam iudicat, & poteſt ei aſſentiri aſſenſu cui repugnat ſubeſſe falſum: imò de facto cōtingere poteſt, vt ille, cui quatuor prædicta ſint ſufficiēter propoſita, attendens tantū ad iudiciū Dei, & ad eius veritatē in cognoſcendo, credat, & aſſentiatur tantū ob hæc duo: & aſſenſus ob hęc duo tantū, nō erit ſpecie diſtinctus ab aſſenſu elicito, ob quatuor illa quāuis iſte etiā habeat alia duo pro obiecto formali, quia iudiciū Dei, & eius veritas in cognoſcēdo habēt nō minorē authoritatē ad mouendū; imo eandē, ac eſt in omnibus quatuor prædictis, quia in reuelatione Dei ad extra, in ordine ad veritatē rei reuelatæ non eſt alia authoritas, niſi ea quæ in iudicio diuino ab ipſo extrinſecè participata, quia eſt ſubſtitutū infallibile ipſius iudicij ea generali ratione, qua voces ſunt ſigna ſubſtitutiua cōceptuū formaliū, quia reuelatio Dei ex eo tantū eſt vera, quod eſt dicto modo ſubſtitutum

iudi-

iudicij Dei, quod nequit non esse verum; ex eo autem quod procedat præcisse ex veritate Dei, tantum habet quod nõ sit mendacium, quia Deus ex eo tantum quod est verus incognoscendo habet, quod nequeat falsum iudicare, seu falli; & ex eo quod sit verax quod nequeat velle fallere.

Vnde quamuis pro motiuo Fidei diuinæ sufficiant veritas Dei in cognoscendo, & iudicium ipsius non tamen sufficiunt veracitas in reuelando, seu dicendo, & eius exterior reuelatio absq; alijs duobus prædictis, quia reuelatio, vt præcisè procedens ex veracitate non habet quod sit vera, & assensus Fidei prout ei, vt sic inuitens posset esse falsus, si aliàs reuelatio non esset substitutum fidele iudicij Dei veri in cognoscẽdo, qui vt sic nequit falsũ iudicare, & decipi. Ex eo enim quod Deus nequeat velle decipere, quod tantum habet ex veracitate, tantũ fit quod nequeat esse mendacium; id autem quod est falsum potest non esse mendacium, vt contingit in eo qui falsum iudicans, illud exterius dicit, quia tunc eius exterior dictio est falsa, & tamen non est mendacium, quia non est contra mentem, sed ei conformis.

Et quamuis reuelatio ad extra Dei, & eius [illegible]cium, rem reuelatam, & iudicatam faciant credibilem infa[illegible]liter ab extrinseca denominatione proueniente ab actu credendi, qui reuelatione Dei, & eius iudicio positis est proximè possibilis; hæc tamen credibilitas non includitur, neque pertinet ad obiectum formale Fidei, sed tantum quatuor prædicta, quia credibilitas hæc non mouet, adhuc partialiter ad credendum, sed tantum quatuor illa.

Neque habitus Fidei diuinæ includitur in obiecto formali Fidei neque aliquid ex habitu proueniens rei credibili, si aliquid prouenit: quia neque habitus Fidei, neque aliquid ex eo proueniens est motiuum formale, quo intellectus formaliter obiectiuè moueatur ad credendum, sed tantum illa quatuor, neque proponitur credenti, vt ad credendum moueatur. Quod autem habitus Fidei dicatur lumen, quia est principium efficiens assensus, quo res, quæ creditur, eo ipso cognoscitur, & specie expressa representatur, & suo modo infusio habitus Fidei dicatur illuminatio, imò & aliquo modo reuelatio, non sufficit, vt habitus

Fidei includatur in obiecto formali; quia reuelatio, seu illuminatio, quæ in obiecto formali Fidei includitur, non est reuelatio effectiua, sed obiectiua, qua signis siue spiritualibus, siue corporalibus proponitur, & representatur obiectũ, quia illuminatione, seu reuelatione obiectiua, non effectiua excitatur intellectus, & mouetur, & inducitur ad credendum.

Et quamuis reuelatio Dei, siue per seipsum, siue per alterũ facta includatur in obiecto formali Fidei, nihilominus in eo non includitur loquutio Ecclesiæ adhuc consideratæ vt ipsi assistit Spiritus Sanctus, qua ratione est columna, & firmamentum veritatis, quia loquutio Ecclesiæ adhuc vt sic nó est propriè loquutio Dei, vt aduertit Ægid. disp. 9. dub. 5.

Obseruandum est iudicium Dei à nobis cognitum ex veritate, seu ex existentia rei iudicatæ ab ipso, ex qua certissimè cognoscimus Deum iudicare rem illam existere, nisi reuelatione Dei, aut aliter nobis proponatur, nõ sufficere ad assensum Fidei diuinæ, ipsius veritatis, seu existentiæ rei à Deo iudicatæ, quia ex iudicio Dei à nobis cognito ex existentia rei nequit iterum cognosci ipsa existentia rei, ex qua fuit à nobis cognitum iudicium, quia est circulus vniformis, quem 1. post cap. 3. diximus esse inutilem, & vitiosum, quia in eo idẽ ex seipso de primo ad vltimum cognosceretur.

DIFFICVLTAS III.

Vtrum quæcunque reuelatio Dei, siue publica, siue priuata, quantum est ex se sufficiat ad obiectum formale Fidei.

REuelatio publica dicitur, quæ fit toti Ecclesiæ, aut alicui pro tota Ecclesia, & consequenter rerum, quæ ab omnibus credendæ sunt; reuelatio verò priuata dicitur, quæ fit alicui non pro tota Ecclesia, sed pro ipso, & consequenter rerum non ab omnibus credendarum.

Conueniunt ergo Catholici contra hæreticos præter reuelationem publicam ad Fidem diuinam, seu theologicam non esse necessariam reuelationem priuatim reuelationis

publi-

publicę, adhuc vt conditionem, seu applicationē illius, quia reuelatio publica sufficienter proposita, & applicata, vt verè potest, absque priuata reuelatione illius, media prædicatione, aut alia inſtructione, ſufficit, quantum est ex parte reuelationis, vt moueat intellectum ad credendum Deo reuelāti. de quo legēd sunt Becan. c. 1. q. . & Suarez . disp. 7. dub. 7.

Est tamen difficultas an reuelatio priuata, qua res aliqua priuatim reuelatur, ſufficiat quantum est ex parte reuelationis ad Fidem diuinam, seu Theologicā rei sic reuelatæ, sicut ſufficit reuelatio publica.

Caiet. q. 5. art. 3. Sot. lib. 3. de natura, & gratia. c. 11. Canus 12. de locis c. 3. & 4. Valēt. disp. 1. q. 1. pun. 1. & Bañ. q. 1. art. 1. dub. 3. docēt nō ſufficere ad assensū Fidei diuinæ, sed tantū ad assensum prudētiæ infuſę, aut doni prophetię, aut aliusdoni: quod expresſisse videtur S. Th. 1. p. q. 1. art. 8. ad 2. dum ait *Innititur Fides noſtra reuelationi Apoſtolis, & Prophetis factæ, nō autē reuelationi, ſi qua fuit alijs Doctoribus facta.* Et ratione probatur quia obiectū formale Fideidiuinæ est reuelatio primæ veritatis per Eccleſiā, aut per Apoſtolos, aut per Prophetas, ob quod ad Epheſ. 2. & 4. Fidelesdicūtur ſuper ędificati ſuprafūdamētū Apoſtolorū, & Prophetarum: ergo reuelationes priuatæ, vtpote quæ nō fiunt per Eccleſiā, neq; per Apoſtolos, neq; per Prophetas, non ſufficiunt, quantū est ex parte reuelationum ad obiectum formale Fidei diuinæ, ſeu Theologicæ.

Vega verò lib. 9. in Trident. c. vlt. Chaterinus opuſculo de certitudine gratiæ. Soar. disp. 3. ſect. 10. Becan. c. 1. q. 4. Tur. disp. 5. dub. 1. Ægid. diſ. 9. dub. 6. Adam. diſp. 1. q. 1. dub. 3. & Gran. tract. 1. diſp. 6. docēt reuelationē priuatā ſufficere ad assensū Fidei diuinæ, & meritò, quia reuelatio priuata nō est minus diuina primæ veritatis, quā reuelatio publica: ergo reuelationi priuatæ potest tāquā obiecto, ſeu motiuo formali inniti assēſus Fidei diuinæ, nō minus quā publicæ: imò Fides eiuſdē ſpeciei, quia reuelatio priuata est eiuſdem rationis, & authoritatis, ac publica vtpote diuina eiuſdē primę veritatis: quod verò reuelatio diuina ſit publica, vel priuata, impertinēs est ad variādā eſsētiā ſpecificā Fidei diuinę adhuc pro actu sūptę, sicut etiā est impertinēs ad variādā rationē motiuā assēſus Fidei āqua ſpecificatur, quia reuelatio primę veritatis

tantum mouet vt talis, & non vt publica, neque vt priuata, ſicut eadem eſt Fides humana, quæ adhibetur Petro, quando loquitur multis, & pro multis, & quando tantum loquitur vni, & pro eo vno, quia vtraque loquutio eſt eiuſdem authoritatis.

Et non minus impertinens eſt ad variandam eſſentiam ſpecificam Fidei diuinæ adhuc pro actu ſumptæ, quod reuelatio ſit rerum ad Deum, & ad religionem pertinentium, vel rerum non pertinentium; quia ad vnitatem ſpecificam etiam actuum ſufficit vnitas obiecti, ſeu motiui formalis, ſi aliàs procedant ab eodem principio principali, quamuis obiecta materialia ſpecie diſtinguantur: neque neceſſarium eſt quod Fides ſit Dei, & rerum ad ipſum pertinentium, vt ſit Theologica, quia ad hoc ſufficit, quod innitatur reuelationi diuinæ, cuiuſcunque obiecti materialis ſit, quia ad virtutem Theologicam ſufficit, quod habeat pro obiecto formali Deum, aut aliquod eius attributum, vel actum. Fatemur Fidem innitentem reuelationi rei ab omnibus credendæ dici Catholicam, & non Fidem rei non communis toti Eccleſiæ, quia Catholica dicitur, quia eſt vniuerſalis quo ad materiam ſeu doctrinam; vtraque tamen eſt Theologica, vtpote habens reuelationem diuinam pro obiecto formali; & eſt eiuſdem ſpeciei, vtpote habens idem motiuum formale, & conſequenter vtraque procedit ab eodem habitu, & ab eadem virtute.

Quia tamen Fides diuina, & Theologica, quam Fideles regulariter habemus, tantum eſt Catholica, quia eſt innitens reuelationi publicæ & eſt doctrinæ communis toti Eccleſiæ: ideo Fideles abſolutè dicimur ædificati ſupra fundamentum, Apoſtolorum, & Prophetarum: & non quia Fides diuina, ſeu Theologica requirat pro obiecto formali reuelationem publicam Apoſtolis, & Prophetis factam, (ex quo conſtat antecedens rationis aduerſariorum eſſe falſum) & de eadem Fide, quam ſcilicet Fideles regulariter habemus, loquitur S. Th. vbi ſuprà.

(?.)

DIFFICVLTAS IIII.

Vtrũ reuelatio mediata, ſeu virtualis ſufficiat ad obiectum formale Fidei.

PRO Huius intelligentia obſeruandum eſt reuelationẽ diuinam alicuius propoſitionis eſſe duplicem, vnam immediatã, ſeu formalem, quantum eſt ex parte propoſitionis reuelatæ qua propoſitio immediatè, & formaliter in ſeipſa reuelatur, v.g reuelatio, qua reuelatũ fuit Chriſtum eſſe hominem: & alteram mediatam, ſeu virtualem, qua propoſitio non reuelatur immediatè, & formaliter in ſeipſa, ſed in alia propoſitione immediatè reuelata, aut in alijs propoſitionibus immediatè reuelatis, in quibus, aut in qua virtualiter continetur. Et hanc reuelationem mediatam, ſeu virtualem eſſe duplicem, alteram adæquatam, qua propoſitio aliqua reuelatur in duabus præmiſsis, in quibus ſufficienter continetur virtualiter, & ex quibus, ſufficienter infertur, & deducitur, ideſt, quando ambæ propoſitiones præmiſſæ, in qnibus propoſitio illa virtualiter continetur, & ex quibus infertur, ſunt in ſeipſis reuelatæ: & alteram eſſe inadæquatã, qua propoſitio aliqua reuelatur, non in duabus præmiſsis, in qnibus ſufficienter, continetur virtualiter, ſed tantum in vna, quia vna tantum ex illis eſt in ſeipſa reuelata, & non altera, ſed tãtum eſt lumine naturali nota, v.g. reuelatio qua virtualiter reuelatur Chriſtum eſſe riſibilem, quia ex his duabus in quibus virtualiter continetur, & ex quibus euidenter deducitur, nempe *homo eſt riſibilis, Chriſtus eſt homo*, hæc poſterior tantum eſt reuelata.

Supponimus ergo, in quo omnes conueniunt reuelationem diuinam immediatam, ſeu formalem ſufficere, quantum eſt ex parte reuelationis, ad obiectum formale Fidei.

Eſt tamen difficultas an ſufficiat reuelatio mediata, ſeu vniuerſalis, ſiue adæquata, ſiue inadæquata, ſeu, quod idem eſt, an propoſitio, quæ in ſeipſa non eſt reuelata, & virtualiter continetur in duabus propoſitionibus immediatè reuelatis, aut in vna immediatè reuelata, & in altera

lumine naturali nota, posit credi Fide diuina.

Canus 6. de locis cap. vltimo Vega lib. 9 in Trident. cap. 36. Chaterin. opusculo de certitudine gratiæ, assertione 6. Arag. 2. 2. q. 11. art. 2. Bellarm. lib. 3. de Ecclesia, cap. 15. Adam. disput. 1. q. 1. dub. 3. & Vazq. 1. par. disput. 5. capit. 3. docent reuelationem mediatam, seu virtualem, quamuis tãtum inadæquatam sufficere ad obiectũ formale Fidei, & propositionem mediatè, seu virtualiter tantum reuelatam, quãuis sõlum inadæquatè posse Fide diuina credi. Probari autẽ potest primò, quia reuelatio diuina, quamuis tantũ virtualis (imò tantum inadæquata) est tãtæ authoritatis, ac formalis, quia est eadem: ergo sufficit pro obiecto formali Fidei diuinæ infallibilis, non minus quàm reuelatio formalis. Secundò probatur inductione, quia multa sunt, quæ non sunt immetè, & formaliter in seipsis reuelata, & tamẽ Fide diuina credũtur, quia cõtinẽtur virtualiter in reuelatis, & ex eis euidenter inferuntur, v. g. Romanũ Pontificẽ esse caput Ecclesiæ, & Christũ esse animal rationale, & puerum recenter natũ, nondũ baptizatũ esse in peccato originali, & in Christo esse duas voluntates, seu duos affectus, & multa alia, quæ definiuntur ab Ecclesia, ex eo sõlum quod cõtineãtur virtualiter, in immediatè reuelatis, & ex eis euidenter deducãtur. Eidẽ sentẽtiæ cõsẽtit Pet. Hur. disp. 10. sect. 1. quoad reuelationẽ virtualẽ adæquatã.

Idem verò Canus 12. de locis, c. 7. Soar. disp. 3. sect. 11. & disp. 6. sect. 4. Turr. disp. 6. dub. 3. & Ægid. disp 9. dub. 9. docent reuelationem mediatam, seu virtualem, quamuis adæquatam non sufficere ad obiectũ formale Fidei diuinæ: quod supponunt Valent. disp. 1. q. 1. pun. 2. Lorc. disp. 6. & Becan. c. 8. q. 3. & meritò, quia reuelatio mediata nequit proximè mouere ad dandũ assensum Fidei propositioni mediatè tãtũ, seu virtualiter reuelatæ: ergo non sufficit ad obiectũ, seu motiuũ formale Fidei, cõsequẽtia patet, antecedens autẽ probatur, quia reuelatio mediata nõ est motiuũ proximũ, cui proximè innititur assẽsus propositionis virtualiter tãtũ reuelatę, quia hæc reuelatio proximè tãtũ mouet ad assẽsũ propositionis, aut propositionũ immediatè, & in seipsis reuelatarũ, ad assẽsũ autẽ propositionis in illis virtualiter cõtẽtę, tãtũ mouẽt ipsæ premissę obiectiuę, & ipsa cõsequẽtia obiectiua, seu

con-

connexio prædicati, & ſubiecti ipſius propoſitionis virtualiter contentæ cum ipſo medio, non diuina reuelatio, qua præmiſſa, vel præmiſſæ obiectiuæ ſunt immediatè reuelatæ; imò tantum mouent remotè, tanquam cauſæ extrinſecæ rationales, (vt dicemus diſput. 4. diffi. 4.) ea proportione, qua cauſa finalis ad electionem, & cauſa moralis ad effectum cauſæ phyſicæ, quia ſi mouemur ad aſſentiendum propoſitioni virtualiter contentæ, quæ eſt concluſio ex præmiſſa, vel ex præmiſsis immediatè reuelatis deducta, eſt ob connexionem ſubiecti, & prædicati cum medio, ſeu quod in idem incidit, eſt ob ipſas præmiſas obiectiuas, & ob connexionẽ concluſionis cum illis, & non ob reuelationem præmiſſarum; imò non mouemur proximè, ſed tantum remotè, quia aſſenſus concluſionis caret motiuo proximo, vt dicemus diffic. illa 4. ergo aſſenſus, quo aſſentimur propoſitioni deductæ, quæ tãtum eſt mediatè reuelata, nequit eſſe Fidei diuinæ, quia ad illum non mouemur proximè reuelatione diuina, ergo reuelatio mediata non ſufficit ad obiectum formale Fidei, cum nequeat proximè mouere ad credendum propoſitionem ſic mediatè reuelatam.

Id verò quod ſignificat Vazq. nempe reuelationem mediatam mouere proximè, & immediatè ad credendum propoſitionem deductam ex proximè reuelata, aut ex proximè reuelatis, quia diſcurſus Theologicus, quo deducitur, ſit conditio applicans immediatè reuelationem propoſitioni deductæ, ſicut Fides humana, qua credimus Deum reuelaſſe propoſionem aliquam, eſt conditio ei applicans immediatè reuelationem, falſum eſt, quia ſi ipſa propoſitio deducta non eſt immediatè, & in ſeipſa reuelata, nequit illi immediatè applicari reuelatio: ſi enim Deus non reuelauit immediatè Chriſtum eſſe riſibilẽ, ex eo quod deducatur ex ac reuelata Chriſtus eſt homo, non efficitur, quod Deus id reuelauerit, ac proinde neque nos poterimus credere Chriſtum eſſe riſibilem, quia Deus id dixit, quia verè id non dixit in ſe, ſed tantum id dixit in alio, nempe in alia propoſitione, ex qua deducitur, ac proinde tantũ poterit credi in illa reuelata ex qua deducitur, & non ipſa in ſe, quia eo modo, quo ei conuenit reuelatio, conuenit poſſe credi, quia ſolum poteſt credi ob

reuelationem. Est autem diuersa ratio de Fide humana, qua credimus Deum reuelasse aliquam propositionem, quia hac Fide humana iudicamus Deum reuelasse eam propositionem immediatè, & in ipsamet; discursu vero illo Theologico, seu assensu illationis, seu consequētiæ obiectiuæ, quo ipsi illationi assentimur, non iudicamus propositionem illatam esse reuelatā, sed esse connexam cum præmissis, neq; assensu ipso, quo assentimur conclusioni, seu propositioni illatæ, iudicamus eam esse reuelatam, sed tantū esse veram, ac proinde nec assensus illationis, seu consequentiæ, neque assensus conclusionis, seu propositionis illatæ potest esse conditio applicans immediatè reuelationem, qualis est dicta Fides humana.

Ex quo constat obiectum formale actus Fidei diuinæ (& suo modo etiam habitus) esse distinctum ab obiecto assensus Theologici) & suo modo etiā habitus Theologiæ deducētis conclusiones ex præmissis, siue ambabus de Fide, siue vna de Fide, & altera lumine naturali nota) quia obiectū formale assēsus Fidei diuinæ est reuelatio immediata; obiectū verò formale assensus Theologici, si aliquod habet, nō est reuelatio, quia hæc non mouet ad assentiendum conclusioni Theologicæ, neque ad eam inferendam, sed præmissæ, imò istæ non mouent proximè, & formaliter, sed tantum remotè, & tanquam causæ rationales, de quo disp. 4. difficult. 4. ac proinde actus Theologicus non habet obiectum formale. Vnde qui negat conclusionem Theologicam, v.g. Christum esse risibilem, ex eo præcisè non est hæreticus, præsumitur tamen talis, quia potius præsumitur negare propositionem præmissam de Fide, quia est obscura, quàm alteram præmissam, quia euidens est, aut quàm consequentiam, qua deducitur ex præmissis, quia etiam consequentia est euidens: & quando ambæ præmissæ sunt de Fide potius præsumitur eas negare, quia sunt obscuræ, quàm consequentiam, quia euidens est.

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus reuelationem mediatam esse in se tantæ authoritatis, ac est immediata, quia est eadem omnino, nihilominus quia non mouet immediatè ad propositionem respectu cuius dicitur media-

ta,

ta, ſed media propoſitione obiectiua immediatè credita ob ipſam reuelationem, & media connexione ipſius propoſitionis deductæ cum propoſitione immediatè reuelata, & credita, quæ non ſunt diuina reuelatio; ideò aſſenſus mediatè innitens reuelationi diuinæ non eſt Fidei, ſed Theologicus: diſcrimen ergo inter reuelationem mediatam, & immediatã quod tantũ eſt reſpectu propoſitionũ, redundat in diſtinctũ motiuum aſſẽſus, quia vnius propoſitionis eſt ipſa reuelatio diuina, & alterius ſunt ipſæ præmiſſæ, & connexio ipſius propoſitionis deductæ cum illis, imò tantum remotum, quod dici poteſt rationale.

Ad inductionem verò reſpondemus nihil credi Fide diuina quod immediatè, & formaliter, & in ſe non ſit reuelatum, vel expreſsè, verbi gratia, Chriſtum eſſe hominem, & habere duas voluntates, ſeu duos affectus diuinum ſcilicet, & humanum; vel confuſè, quod fit duobus modis, vno modo ſub propoſitione aliqua vniuerſali, verbi gratia: hunc puerum deſcendentem ex Adam conceptum fuiſſe in peccato originali ſub hac vniuerſali omnis deſcendens ex Adam conceptus eſt in peccato originali, quia qui reuelauit omnem deſcendentem ex Adam conceptum fuiſſe in peccato originali, etiam reuelauit hunc deſcendentem, conceptum fuiſſe in eo peccato: altero modo ſub terminis æquiualentibus, verbi gratia: Chriſtum eſſe animal rationale ſub his terminis Chriſtus eſt homo, quia homo & animal rationale ſunt termini quaſi ſynonimi eandem rationem obiectiuam ſignificantes, qui enim reuelauit Chriſtum eſſe hominem, etiam reuelauit eſſe animal rationale, & Romanum Pontificem eſſe caput Eccleſiæ ſub his terminis, Petrus vt habens officium Pontificis Romani fuit caput Eccleſiæ quia Petro vt tali dictum fuit *paſce oues meas*, & non ſolum non creditur Fide diuina, quod Deus non reuelauit formaliter, & in ſe, vel expreſsè, vel confuſè quamuis euidenter deducatur ex reuelatis, ſed neque Eccleſia definit aliquid vt credendum Fide diuina, quod ante ſuã definitionem non ſit reuelatum formaliter, & in ſe, ſaltem confusè, & nõ contineatur aut in ſcriptura, aut in traditionibus, quãuis euidẽter deducatur ex reuelatis: hoctamẽ quod ſic deducitur

definit vt proximum Fidei, & oppositum damnat vt erroneum, seu proximum hæresi.

Reuelatio ergo mediata, seu virtualis non sufficit ad obiectum formale Fidei; sufficit tamen immediata, seu formalis non solum expressa vt patet, sed etiam confusa, qua propositio reuelatur in se, siue sub sua vniuersali, siue sub terminis æquiualentibus, si reuelatio aliàs sufficiẽter applicetur propositioni confusè reuelatæ: applicatur autem sufficiẽter medio syllogismo, quo declaratur significatum illius propositionis comprehendi sub significato propositionis expressè reuelatæ, verbi gratia, hoc syllogismo, *Omne Sacramentum confert gratiam non ponenti obicem sed Baptismus est Sacramẽtum: ergo Baptismus confert gratiam non ponenti obicem*, vel applicatur medio syllogismo, quo declaratur significatum propositionis confusè reuelatæ esse idẽ cum significato propositionis expressè reuelatæ, v.g. hoc syllogismo, *Omnis homo est animal rationale, sed Christus est homo, ergo Christus est animal rationale*, quia eo ipso quod id aliquo syllogismo ex dictis declaratur, applicatur reuelatio diuina ipsi propositioni cõfusè reuelatæ, & potest credi propter reuelationem: quod si quis dictæ propositioni assentiatur non ob reuelationem diuinam immediatè, sed ob præmissas, & ob aliqualem connexionem talis propositionis cum illis, vt verè potest, non assentietur tali propositioni assensu Fidei, sed tantum assensu Theologico, quamuis imperfecto, & improprio, sicut syllogismus, quo fit dicta applicatio, est imperfectus, & improprius, quia à significato dictarum præmissarum ad significatum dictæ conclusionis non est propriè illatio, quia inter illa non est propriè connexio, quia est illatio à significato expressè reuelato ad idem significatum reuelatum confusè, inter quæ vtpote non distincta non est propriè connexio, ac proinde dicta illatio tantum est declaratiua significati propositionis illatæ.

(.?.)

DIF-

DIFFICVLTAS V.

Vtrum reuelatio falsò existimata sufficiat, quantum est ex parte reuelationis, ad obiectum formale Fidei.

SCOTVS in 3. distin. 23. q. 1. §. *Ad quæstionem*, partem affirmatiuam indicat, quia rustico proponi potest à Parrocho aliquid non reuelatum à Deo (siue verum, siue falsum) tanquam à Deo reuelatum eodem modo, quo eidem proponitur aliquid verè reuelatum, & tunc rusticus absque dubio potest moueri ad credendum, & aliquando credit id, quod sibi falsò proponitur, tanquam reuelatum à Deo, sicut quando ipsi proponitur id, quod verè est reuelatum, & non credit alia Fide, quàm diuina, quia ad illud credendum tantum mouetur reuelatione sibi proposita tanquam diuina. Ergo reuelatio diuina falsò existimata sufficit pro obiecto formali Fidei diuinæ. Et confirmatur, quia Iudæus, qui paulò ante Natiuitatem Christi mouebatur diuina reuelatione ad credendum Christum nasciturum, etiam paulò post natiuitatem potuit moueri ad idem credendum, imò eodē numericè actu continuato ob reuelationem existimatam diuinam, & existimatam eandem, quia potuit perseuerare in idem credendo vsque ad tempus post natiuitatē, quia non est vnde actus, quo incepit credere, discontinuaretur.

Reliqui tamen Theologi partem negatiuam meritò tradunt, quam etiam supponit Tridentinum sess. 6. cap. 9. dum ait *Fidei diuinæ non posse subesse falsum*, quia si ad obiectum formale Fidei diuinæ sufficeret reuelatio falsò existimata, cùm hæc possit esse alicuius falsi, etiam Fidei diuinæ innixæ illi posset falsum subesse.

Et ratione probatur, quia reuelatio diuina falsò existimata non est verè reuelatio diuina. Ergo assensus ipsi innitens non est physice veræ Fidei diuinæ, sed est alius assensus illi similis, qui dici potest assensus Fidei diuinæ putatiuæ, &

eodem

eodē modo assensus innitens testimonio humano, falsē existimato non erit physicè Fidei humanæ, sed ei simili s, & affectus subleuandi miseriam apparentem alicuius non pauperis, falsò existimati pauperis non erit physicè affectus misericordiæ, sed ei similis. Addimus physicè quia affectus iste moraliter est misericordiæ, si ille inuincibiliter existimetur pauper, quia habet bonitatem misericordiæ, quia ad hanc in actu aliquo non amplius requiritur: & eodem modo in dicto casu reuelationis apparentis sufficienter propositæ, quamuis assensus non sit physicè Fidei diuinæ, est tamen ipse, & etiam affectus ipsius, moraliter Fidei diuinæ, quia habent bonitatem Fidei diuinæ quia ad hanc non amplius requiritur, sicut nec ad aliquam aliam bonitatem. Ex quo constat ad rationem pro Scoto adductam.

Ad confirmationem verò desumptam ab exemplo Iudæi ante, & post natiuitatem credentis Christum nasciturum respondemus eum adhuc ante natiuitatem non credere Fide diuina Christum esse nasciturum referendo natiuitatem ad tempus futurum determinatum, etiam ad illud, in quo natus fuit, quia Deus non reuelauit, saltē toti Ecclesiæ tēpus illud in quo natus fuit, sed tantum tempus indeterminatum futurum post durationem in qua facta fuit reuelatio, & ideo solum in duratione, in qua facta fuit reuelatio, fuit de Fide Christum esse nasciturum: post durationem verò in qua facta fuit, tantum mansit de Fide natiuitas Christi relata ad tempus indeterminatum, prout abstrahens à præterito, præsenti, & futuro, ac proinde post eam durationem tantum fuit de Fide, Christus aut natus est, aut nascitur, aut nascetur ex vi dictæ reue lationis. Vnde Iudæus ille credens modo prædicto in confirmatione pro Scoto adducta non crederet Fide diuina, quia non crederet ob reuelationem verè factam, sed ob falsò existimatam.

(21.)

DIFFICVLTAS VI.

Vtrum poßit eſſe euidentia reuelationis Dei non viſo Deo ipſo reuelante.

BAñez 2.2.q.1.art.5.& q.5.art.1. docet euidentiam reuelationis diuinæ (id eſt, quod Deus aliquid reuelauerit) non poſſe haberi extra viſionem beatificam, ſeu non viſo Deo, quia impoſsibile eſt non viſo loquente, euidenter cognoſcere eum eſſe, qui loquitur, quia aliquem eſſe, qui loquitur non poteſt euidenter cognoſci per cauſam, neque per effectum. Ergo Deum eſſe, qui reuelat, ſeu qui loquitur, nequit euidenter cognoſci, niſi videndo Deum ipſum.

Soar. verò diſput. 3. ſect. 8. Vazq. 1. part. diſput. 135. & communiter Theologi docent poſſe eſſe euidentiam reuelationis diuinæ, ſeu poſſe euidéter cognoſci Deũ eſſe, qui reuelat abſq; eo quod Deus ipſe videatur, & meritò: quiâ ex vna parte Deus poteſt formare, ſeu efficere ſignum aliquod creatum, tam ſpirituale, quàm corporale non ſolum vt effectũ ipſius Dei, ſed etiam vt ſignum ſignificans rem, quam interius iudicat, ſeu ſignum ſubſtituens pro ſuo interno iudicio, ſeu interna loquutione quod procedat ab ipſo Deo, non ſolum tanquam ab efficiente, ſed etiam tanquam à loquente, quo Deus extra ſeipſum loquatur; & ex altera parte Deus poteſt producere ſpecies intelligibiles in intellectu creato, quibus ſignũ illud cognoſcatur vt eſt in ſe, nempe vt pendens à Deo tanquam ab efficiente, & loquente: quamuis dependẽtia ſigni ab ipſo Deo tanquam à loquẽte tantũ ſit extrinſeca denominatio cõueniens ſigno ex eo quod procedat à Deo intẽdẽte vti eo ſigno vt ſigno, quia abſq; dubio poteſt produci ſpecies intelligibilis extrinſecæ denominationis, quæ nõ ſit formæ, à qua deſumitur, ergo poteſt quis habere euidentiã, imò intuitiuã quod Deus aliquid reuelet, aut reuelauit: & poteſt in caſu dicto eam euidentiam habere non viſo Deo reuelante (multò melius quàm intueri viſionem Diuinam non viſo Deo) quamuis tunc nequeat non cognoſcere euidenter abſtractiuè Deum, quià tunc cognoſcit eum ex ſuo

effectu

effectu euidenter, imò intuitiuè cognito, & per euidentem consequentiam.

Ille autem qui euidenter cognoscit miraculum â Deo factum ad confirmandum quod ipse Deus aliquid reuelauit, quamuis id euidenter intuitiue cognoscat speciebus à Deo infusis, non habet euidentiam reuelationis diuinæ, quia miraculum, quamuis sic factum non est causa, neque effectus reuelationis: habet tamen certitudinem, & euidentiam quasi in attestante, quia ex confirmatione illa medio miraculo facta, quæ est quasi attestatio, seu reuelatio reflexa reuelationis diuinæ, euidenter infertur, quod Deus illud aliquid reuelauit, ipsa tamé reuelatio directa illata, non est in se euidens, quia dicta confirmatio, ex qua infertur, non est causa, neque effectus ipsius reuelationis directæ, ob quod non dicimus eam reuelationem ex illa confirmatione deduci, sed inferri, quia reuelatio non continetur in confirmatione, quasi in aliquo sui, & ideo non deducitur, infertur tamen euidenter ex ipsa confirmatione iuxta ea, quæ dicemus difficultate sequenti.

Ad rationem verò Bañez respondemus, quod quamuis non viso aliquo nequeat naturaliter cognosci euidenter euidentia metaphysica, sed ad summum euidentia morali eum esse qui loquitur, potest tamen, imò intuitiuè, si Deus infundat speciem loquutionis vt in se est, & hoc modo potest Deus efficere, quod loquutio, seu reuelatio ipsius euidenter, imò intuitiue cognoscatur non viso Deo.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrum necessarium sit, quod reuelatio sit in se ob scura, vt sit obiectum formale Fidei.

DIFFICVLTAS Hæc tantum habet locum in eo, qui aliàs euidenter cognoscit omne aliud, quod intrat in obiectum formale Fidei, nempe Deum esse verum in cog-

noscen-

noſcendo,& in dicendo,& cognoſcere id quod dicit,ſeu reuelat,an ſcilicet iſte,ſi aliàs euidenter cognoſcat Deum eſſe,qui reuelat aliquid,poſsit ea renelatione euidenter cognita, & etiam alijs tribus intrantibus in obiectum formale Fidei moueri ad credendum illud aliquid reuelatum,quia ſi aliquid ex intrantibus in obiectum formale non cognoſcatur euidēter quamuis euidenter cognoſcatur reuelatio,poteſt abſque dubio quis moueri ad credendum illud.

Bañez ergo 2.2.q.5.art.1.Valent.quæſtion.1.puncto 1. Ægid. diſp.9. dub.8.Becan.cap.1.quæſt.3.& Adamus diſput. 1.quæſtion.1.dubio 3.docent neceſſarium eſſe,quod reuelatio diuina ſit in ſe obſcura,id eſt, quod non conſtet euidenter,vt ſit obiectum formale Fidei, aut quod idem eſt,euidentiam reuelationis obſtare, vt reuelatio ipſa ſit obiectum formale Fidei. Probari autem poteſt primò,quia actus Fidei alicuius propoſitionis nequit eſſe cum euidentia, aut ſcientia eiuſdem propoſitionis; qui autem habet euidentiam reuelationis alicuius propoſitionis, habet euidentiam, aut ſcientiam ipſius propoſitionis reuelatæ, quia reuelatio diuina eſt quaſi effectus veritatis propoſitionis,& veritas eſt quaſi cauſa reuelationis,quia hæc cauſalis eſt vera, & euidens. *Ideò Deus reuelat aliquam propoſitionem, quia eſt vera*, ergo qui habet euidentiam reuelationis propoſitionis, etiam habet à poſteriori euidentem ſcientiam ipſius propoſitionis reuelatæ. Et confirmatur, quia qui habet euidentiam reuelationis, poteſt formare hunc ſyllogiſmum, *quicquid Deus dicit, eſt verum, ſeu eſt ſicut dicit, ſed Deus dicit v.g. ſe eſſe vnum, & trinum. Ergo eſt trinus & vnus.* In hoc autem ſyllogiſmo conſequentia,& minor ſunt euidentes habenti euidentiam reuelationis minoris propoſitionis,& maior eſt ex ſe euidens, ergo concluſio dicti ſyllogiſmi eſt illi euidens.

Secundò probatur,quia euidentia reuelationis diuinæ alicuius propoſitionis cogit intellectum ad aſſentiendum propoſitioni reuelatæ, quia ei diſſentiri nequit, ſuppoſita etiam euidentia reliquorum ad obiectum formale Fidei pertinentium. Ergo euidentia reuelationis nequit eſſe cum actu Fidei,quia iſte non poteſt non eſſe liber.

Lorca verò disput. 16. Turrian. disp. 9. dub 4. & Vazq. 1. p. disp. 135. cap. 3. docent non esse necessarium quod reuelatio diuina sit in se obscura, vt sit obiectũ formale Fidei, aut quod idem est euidentiam reuelationis diuinæ non obstare, vt reuelatio moueat ad assensum Fidei propositionis reuelatæ, & meritò: quia reuelatio, seu testificatio propositionis reuelatæ, quamuis sit in se euidens, & immediatè applicata propositioni reuelatæ, non ostendit propositionem ipsam reuelatam in se, & intuitiuè, vt patet. Ergo relinquit propositionem reuelatam credibilem, seu obscurè cognoscibilem ob ipsam reuelationem, quia sola notitia intuitiua propositionis, & ad summum etiam notitia euidens illius exterminis obstat assensui Fidei eiusdem propositionis, vt dicemus dific. 9. & 10.

Addimus reuelationem diuinam non solum non ostendere rem reuelatam in se, & intuitiuè, sed neque ex ipsa reuelatione posse rem reuelatam euidenter abstractiue cognosci, quia notitia euidens abstractiua rei tantum potest haberi ex causa, aut ex effectu ipsi rei proprio, & non communi ipsi rei, & alijs, & non ex aliquo alio, quamuis necessariò, imò euidenter connexo cum ipsa re (vt est visio cum re visa) quia tunc tantum res dicitur videri, seu euidenter cognosci, quando videtur in se, aut in aliquo sui cum quo habet affinitatem, seu propinquitatem, quæ tantum reperitur inter causam necessariam, & inter effectum ipsi causæ proprium, quia tantum iste effectus est aliquid proprium causæ, nempe fructus, & proles propria illius, & causa necessaria est aliquid effectus, nempe principium necessarium, seu radix necessaria illius; reuelatio autem diuina non est causa rei reuelatæ, vt patet, neque est propriè effectus illius, quamuis res reuelata, seu eius entitas, seu veritas præsupponatur necessariò, & prærequiratur ad reuelationem diuinam.

Vnde in syllogismo adducto in confirmationem, nempe *Quidquid Deus dicit ita est, sicut dicit, seu est verum sic Deus dicit, v. g. se esse trinum & vnum. Ergo est trinus & vnus, seu est verum quod Deus sit vnus, & trinus.* Quamuis vtraq; propositio præmissa sit euidens in se & quasi intrinsecè, & etiam illatio, seu consequentia sit euidens in se, ob quę intellectus

con-

conuincitur ad aſſentiendum concluſioni, nihilominus concluſio ipſa non eſt euidens in ſe, & quaſi intrinſecè (ideſt connexio inter ſubiectum, & prædicatum ipſius non eſt euidens) ſed tantum eſt euidens extrinſecè, nempe in atteſtante, ſeu in atteſtatione, id eſt connexio totius concluſionis reuelatę à Deo, ſeu atteſtatę cum ipſa reuelatione, ſeu atteſtatione, quia connexio totius propoſitionis à Deo reuelatæ, ſeu atteſtatæ cum ipſa reuelatione, ſeu atteſtatione eſt euidens, nõ connexio inter prędicatum, & ſubiectum ipſius propoſitionis atteſtatæ, quia medium illa connectens in dicto ſyllogiſmo non eſt aliquid prædicati, quod connectitur cum ſubiecto, ſed eſt ipſi prædicato valde extrinſecum, nempe atteſtatio ſeu reuelatio diuina, ſicut etiam in maiori propoſitione tantum eſt euidens connexio illius prædicati, nempe *Ita eſt, ſicut dicit, ſeu eſt verum*, cum ſubiecto illius, nempe *Quidquid Deus dicit*, quia euidens eſt, quod cum atteſtatione Dei coniungatur verum, connexio tamen ipſius veri in ſeipſo, ſeu ipſius propoſitionis veræ non eſt euidens in ſe, ob quod dici ſoler, quod concluſio prædicti ſyllogiſmi eſt euidens in atteſtante, ſeu in atteſtatione, quia ſcilicet ipſa tota concluſio euidenter connectitur cum atteſtatione diuina, & ex ea euidenter infertur. Et ob eandem rationem id quod infertur eſſe verum ex viſione intuitiua ipſius euidenter nota, tantum eſt verum euidenter extrinſecè, & in vidente, ſeu in viſione ob neceſſariam, & euidentem connexionem rei viſę cum ipſa viſione, ob quod intellectus ita conuincitur, vt ei nequeat diſſentiri, non tamen eſt euidenter verum in ſeipſo, quia viſio non eſt cauſa, neque propriè effectus rei viſę. Ex quo cõſtat ad priorem rationem aduerſariorum, & ad eius confirmationem. Ad poſteriorem autem conſtabit diſp. 4. diffic. 7.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrum neceſſariũ ſit, quod reuelatio ſit in ſe euidens, vt ſit obiectum formale Fidei.

CIRCA Difficultatem hanc conueniunt Theologi euidentiam reuelationis diuinæ in ſe (id eſt, quod reuelatio

euiden-

euidenter constet) non esse necessariam, vt reuelatio moueat ad credendum Fide diuina rem reuelatam, non solum in singulis hominibus, vt experientia, vel quasi experientia constat, sed neque in primis Doctoribus Fidei (Adamo videlicet, Prophetis, & Apostolis) quamuis eis vtpote fundamentis Fidei, fuerit maximè congrua, & conueniens. Et in primis non fuit necessaria primis Doctoribus Fidei, vt ipsi crederent ob talem reuelationem (sicut neque est necessaria reliquis fidelibus, vt credant) quia ex vna parte ad credendum ob reuelationem diuinam tanquam ob motiuum, absque fundamento aliud exigitur, quàm quod reuelatio sic proponatur, vt is cui proponitur sibi prudenter seu cordatè persuadeat eam fuisse verè factam; & ex altera parte Deus sic potuit illis reuelare mysteria Fidei, & reliqua credibilia, vt eis prudenter constaret Deum illa reuelasse, ergo vt ipsi primi Doctores Fidei crederent ob diuinam reuelationem, non fuit necessaria euidentia reuelationis diuinæ deinde non fuit necessaria primis Doctoribus Fidei euidentia reuelationis ad proponendum sufficienter reliquis ipsam diuinam reuelationem, quia absque euidentia illius potuerunt (sicut etiam nos possumus) ita diuinam reuelationem prudenter alijs proponere, vt alij sibi prudenter persuaderet fuisse verè factã, quod eis sufficit ad credendum ob illam.

Sed an dicta euidentia reuelationis fuerit de facto communicata eis quibus reuelatio ipsa fuit immediatè facta sub controuersia est.

Bañez 2.2. quæstion. 1. & 5. articul. 1. & alij dictam euidentiam negant omnibus puris creaturis. Alij verò eam cõcedunt primo Parenti & Prophetis, & Apostolis, & Angelo suppremo, quam nonnulli etiam tribuunt reliquis Angelis.

Nos tamen existimamus veram, & rigorosam euidentiam reuelationis nulli puræ creaturæ communicatã fuisse, quia, euidentia intuitiua reuelationis absque fundamento alicui concedetur, & euidentiam abstractiuem impossibilem iudicamus, quia nõ est à quo possit abstrahi, & deduci, quia non ex positione causæ, quia causa reuelationis est libera, & nõ necessaria ex positione autẽ causæ liberæ non abstrahitur,

seu

ſeu deducitur effectus, neque abſtrahi, aut deduci poteſt ex effectu aliquo reuelationis, quia nullus eſt, ex quo poſsit euidenter deduci. Nihilominus exiſtimamus in primis Doctoribus Fidei fuiſſe notitiam certam reuelationis: in Apoſtolis moraliter certam, quia videbant Chriſtum miracula facere in confirmationem diuinæ reuelationis, quo reddebantur moraliter certi, ſed non metaphyſicè certi, quia Deus miracula illa facere poterat ob alium finem occultum, quamuis Chriſtus peteret illa fieri in confirmationem diuinæ reuelationis: in Adamo & in Prophetis etiam fuiſſe notitiam diuinę reuelationis, moraliter certam, à Deo immediatè cauſatã: & etiam in reliquis Angelis, excepto ſuppremo, ſiue à Deo, ſiue ab ipſo ſuppremo Angelo deriuatam: in ipſo tamen ſupremo Angelo veriſimile eſt fuiſſe notitiam diuinæ reuelationis metaphyſicè certam naturaliter, quia ex vna parte ipſe erat metaphyſice certus certitudine naturali (ſubiecta tamen diuinæ omnipotentiæ, vt ei poſſet ſubeſſe falſum) quod ipſe erat ſuppremus, & primus, quia nullum agnouit ſibi ſuperiorem, neque æqualem, quem naturaliter agnoſceret ſi eſſet: & ex altera parte eſt maximè probabile illum non poſſe naturaliter illuminari, ſeu edoceri, niſi à Deo ſibi ſuperiore, cuius rei, ſi ita eſset fuiſſet certus.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrum reuelatio diuina poßit eſſe obiectum formale Fidei circa obiectum intuitiuè viſum.

DIFFICVLTAS. Hæc coincidit cum illa, an ſcilicet idem obiectum materiale poſsit ſimul intuitiuè videri, & credi Fide diuina, quia ſi non poſsit eſt, quia reuelatio in præſentia viſionis obiecti nequit ad illud credendum mouere.

Circa difficultatem ergo Alexander 3. parte quæſtio. 68. membr. 7. articulo 2. & 3. Durandus in 3. diſtinctione

31. quæst. 4. Adamus disputatione 1. quęst. 1. dubio 6. & Petrus Hurtado disputat. 30. sectio. 2. docent idem obiectum materiale posse simul ab eodem intuitiuè videri, & credi seu, quod idem est, reuelationem diuinam posse esse obiectum, formale Fidei circa obiectum visum, quod significari videtur Ioann. 20. *Quia vidisti me Thoma credidisti*: & ratione probatur, quia actus Fidei, & actus visionis non sunt assensus, & dissensus, sed ambo sunt assensus: ergo non repugnat idem obiectum simul videri, & credi, quia nequit aliunde ostendi repugnantia, nisi quia vnus sit assensus & alter dissensus: ergo reuelatio diuina mouere potest ad assensum Fidei circa obiectum intuitiuè visum.

S. Thom. vero 2. 2. quæstione 1. artic. 4. Scotus in 3. distinctione 24. quęstione vnica, Turrianus disputatione 8. dubio 5. & Vazquez 1. parte disputatione 4. num. 3. meritò docent idem obiectum materiale non posse simul credi, & intuitiuè videri, neque sensu, neque intellectu, seu, quod idem est, reuelationem diuinam non posse esse obiectum formale Fidei circa obiectum visum, quod ad minus significatur ad Hebræos 11. dum Fides dicitur *Argumentum non apparentium*, & idem significant Patres, præsertim Augustinus tractat. 40. in Ioann. dum quętens quid sit Fides, respondet *Credere quod non vides*, & idem Augustinus tractactu 79. in Ioann. & Gregor. homilia 26. in Euangelia, dum quęrentes quomodo Thomas simul vidit & credidit, respondent *Aliud vidisse, & aliud credidisse* supponentes non potuisse simul credere, quod vidit. Et id ratione desumpta ab experientia constat, quia experimur testimonium humanum non mouere nos ad assentiendum rei, quam oculis corporeis cernimus, & cognoscimus cognitione euidente, visioni oculorum correspondente, & non alia ratione, nisi quia testimonium humanum vtpote valdè extrinsecum rei testificatæ est debile ad mouendum in præsentia visionis intuitiuæ, qua res in seipsa videtur, sed testificatio, seu reuelatio diuina est valde extrinseca rei reuelatæ eam non manifestans: ergo in præsentia visionis intuitiuæ rei est im-

potens

potens ad mouendum ; ac proinde id , quod videtur intuitiuè , non poteſt ſimul credi adhuc Fide diuina , non quia actus Fidei diuinæ , & actus viſionis intuitiuę circa idem obiectum materiale ſint ex ſe & ratione ſui incompoſsibiles , & ſe excludentes ab eodem ſubiecto ſed quia reuelatio diuina in præſentia viſionis intuitiuę eſt debilis , & inefficax ad mouendum reuelatio ergo diuina non eſt obiectum formale Fidei circa obiectum intuitiue viſum , neque eſſe poteſt. Qui ergo crederet reuelationem , qua alicui reuelata eſſet reuelatio facta Iſaiæ, quam intuitiue videret , non crederet hanc reuelationem Iſaiæ , nec ei aſſentiretur alio aſſenſu obſcuro , quia viſione intuitiua impediretur aſſenſus obſcurus , qui aliàs haberetur de reuelatione Iſaię ex vi aſſenſus Fidei quo crederetur reuelatio, qua alteri reuelata eſſet reuelatio Iſaiæ iuxta ea quę diximus tractatu de Incarnat. diſp. 8. dif. 12. in fine.

Addit Vazquez & optimè non ſolum id , quod intuitiuè videtur , non poſſe ſimul credi Fide diuina , ſed neque id , quod per ſe , ſeu ex terminis eſt euidens, quia in prçſentia cognitionis adeo euidentis teſtimonium adhuc diuinum, vtpote valde extrinſecum rei , & eam non manifeſtans eſt inefficax ad mouendum.

Id autem , quod dicimus nempe actum Fidei diuinę non poſſe eſſe ſimul cum viſione intuitiua eiuſdem obiecti, etiam eſt verum de potentia Dei abſoluta, ve contra Suarez diſp. 3. ſect. 9. & contra Ægidium diſp. 11. dub. 1. docent Turrianus & alij, quia id prouenit ex defectu motiui proximi , ſeu cauſę formalis extrinſecę proximę, nempe diuini teſtimonij non potentis mouere in prçſentia viſionis, qui nequit à Deo ſuppleri , quia ſicut nequit efficere , quod quis credat abſque motiuo , ita etiam nequit efficere quod credat abſque motiuo ſufficiente.

Et non ſolum idem obiectum non poteſt ſimul videri intuitiuè , & credi ab intellectu exiſtente in vno tantum loco , ſed neque ab intellectu exiſtente in diuerſis locis in quorum vno videat , & in altero credat , quia

teſtimonium diu num mouet intellectum independenter a loco, ergo ſi abſolutè nequit mouere circa obiectum intuitiuè viſum in nullo loco poterit circa illud mouere.

DIFFICVLTAS. X.

Vtrum reuelatio poßit eße obiectum formale Fidei circa obiectum abſtractiuè ſcitum.

DIFFICVLTAS hæc coincidit cum illa, an ſcilicet idem obiectum materiale poſsit ſimul ſciri abſtractiuè, & credi Fide diuina. Id autem dicitur ſciri abſtractiuè quod cognoſcitur demonſtratiuè, vel per cauſam neceſſariam, vel per effectum proprium.

Circa difficultatem ergo Scotus in tertio diſtinctione vigeſima quarta, quæſtione vnica, Caietan. ſecunda ſecundæ, quæſtione prima articulo quinto, Lorca diſputatio decima quarta, & communiter Thomiſtæ docent idem obiectum materiale non poſſe ſimul ſciri abſtractiuè, ſeu demonſtrari, & Fide diuina credi, aut quod idem eſt, reuelationem diuinam non poſſe mouere circa obiectum demonſtratum, ſeu abſtractiuè ſcitum, quod ſignificare videtur Paulus ad Hebræos 11. dum ait, *Fidem eſſe non apparentium*, quia quod abſtractiuè ſcitur, ſiue per cauſam, ſiue per effectum verè apparet, quia cognoſcitur euidenter, & demonſtratur.

Et ratione probari poteſt, quia ſi viſio ſenſitiua obiecti, & intellectiua ei correſpondens impedit ne teſtimonium moueat ad credendum, id quod ſic videtur, etiam impediet euidentia abſtractiua obiecti, quia eſt vera euidentia, qua obiectum verè videtur, quamuis non intuitiuè.

Alexander verò, Durandus, Vazq. Adamus difficultati præcedenti relati, Soar. diſp. 3. ſect. 9. & Ægid. diſput. 11. dub. 1. docent & meritò idem obiectū materiale poſſe ſimul ſciri abſtractiuè, & credi Fide diuina, aut quod idem eſt,

reue-

reuelationem diuinam poſſe obiectum formale Fidei circa obiectum abſtractiuè ſcitum, quod experientia conſtare videtur, qua experimur teſtimonio Dei dicentis ſe exiſtere, neos quamuis id abſtractiuè ſcientes magis firmari in aſſentiendo, & iudicando Deum exiſtere. Et ratione probatur, quia cognitio euidens abſtractiuè non eſt perfectè, ſed imperfectè euidens, quia eſt viſio rei, non in ipſa re, ſed in cauſa neceſſaria illius, aut in effectu proprio illius, qua res nõ perfectè videtur, neque perfectè apparet: ergo abſque fundamento negabitur teſtimonium Dei in præſentia illius eſſe efficax, vt moueat intellectum ad aſſentiendum obiecto ſic ſcito, ſeu viſo: quamuis non ſit eficax vt moueat ad aſſentiendum obiecto intuitiuè viſo nec obiecto per ſe, ſeu ex ſuis terminis cognito: reuelatio ergo diuina poteſt eſſe obiectum formale, ſeu motiuum Fidei circa obiectum abſtractiuè viſum, ſeu ſcitum, quamuis nequeat eſſe circa obiectum intuitiuè viſum, neque circa obiectum per ſe notum. Ex quo conſtat ad rationem aduerſariorum.

Paulus verò dum ait *Fidem eſſe non apparentium*, tantum loquitur de apparentibus perfectè, & dum patres ſignificant *Myſteria Fidei non poſſe ratione oſtendi*, loquuntur de myſterijs, quæ potiſsime ſunt Fidei, qualia ſunt Trinitatis, & Incarnationis, & aliqua alia; imò id non dicunt, quia myſteria hæc Fide diuina credantur, ſed quia carent cauſa neceſſaria, & effectu proprio, ſaltem naturali, quibus poſsint demonſtrari, ſeu abſtractiuè cognoſci.

Ex dictis conſtat multò melius id quod eſt notum euidentia in atteſtante (id eſt notitia illata ex teſtimonio diuino euidenter noto) poſſe ſimul credi Fide diuina, quia hæc notitia non eſt euidens, ſed obſcura, vt diximus difficultate ſeptima, & quamuis eſſet euidens, ad ſummum eſſet abſtractiuè.

Et ob eandem rationem conſtat id quod eſt cognitum aſſenſu Theologico, ſi aliàs etiam ſit immediatè reuelatum poſſe ſimul credi Fide diuina, quia ſcilicet aſſenſus Theologicus non eſt euidens, ſed obſcurus.

Et ob eandem rationem, quod aliquid ſit cognitum Fide humana (& idem eſt de cognito opinatiuè) ſi aliàs etian

sit immediatè reuelatum non impedit, vt etiam possit simul credi Fide diuina quia scilicet assensus Fidei humanæ (& idem est de assensu opinatiuo) non est euidens, sed obscurus: neque ex eo quod testimonium diuinum sit efficacius humano, impedit, quod humanum possit in præsentia illius mouere ad assensum Fidei humanæ (& consequenter nec quod idem possit simul credi Fide humana, & diuina) quia diuinum non ostendit adhuc abstractiuè rem ipsam testificatam: neque ex eo quod assensus Fidei diuinæ sit certus, & infallibilis, & assensus Fidei humanæ sit incertus, & fallibilis, sunt incomposibiles in eodem intellectu, quia fallibilitas, & infallibilitas medijs diuersis actibus non sunt incõposibiles in eodem intellectu: neque ex eo quod credens Fide humana possit habere iudicium reflexum, quo iudicet obiectum sic creditum posse aliter se habere, assensus iste Fidei humanæ est incomposibilis cum assensu Fidei diuinæ, quia credens Fide humana, ex eo quod hac Fide credat, tantum potest habere iudicium reflexum quo iudicet id quod sic credit posse aliter se habere, non absolutè, sed cum addito, nempe quantum est ex vi testimonij humani: cum hoc autem iudicio optime potest compati assensus Fidei diuinæ: imò cum assensu Fidei diuinæ potest physicè compati iudicium reflexum, quo credens Fide diuina iudicet absolute id quod sic credit posse aliter se habere (saltem ob Fidem humanam diuini testimonij pręuiam ad actum Fidei diuinæ) præsertim quando dictum iudicium reflexum habetur inaduertenter, vt aliquando contingit fidelissimis viris, sanctissimis, & doctissimis. 1

Quod si actus Fidei diuinæ, & actus scientiæ abstractiuæ eiusdem obiecti materialis possunt esse simul: multò melius poterunt esse simul habitus Fidei diuinæ, & habitus scientiæ eiusdem obiecti (in quo Theologi conueniunt) quia non est minor composibilitas inter habitus, quam inter actus ipsos, imò est maior, vt patet: & etiam poterunt esse simul habitus Fidei diuinæ, & actus scientiæ, & ècontra habitus scientiæ, & actus Fidei diuinæ, quia inter habitum Fidei, & actum scientiæ, & ècontra non est minor

nor compoſsibilitas, quam inter actus ipſos, imò etiam eſt maior.

Et quamuis viſio intuitiua, & actus Fidei diuinæ eiuſdem obiecti nequeant eſſe ſimul adhuc de potentia Dei abſoluta: nihilominus habitus luminis Gloriæ, & habitus Fidei diuinæ poſſunt naturaliter eſſe ſimul, vt indicat Lorca diſputat. 15. quia inter eos habitus nulla agnoſcitur oppoſitio ex natura rei: de facto tamen pro voluntate Dei abſque exigentia alicuius ex illis deſtruitur habitus Fidei diuinæ in ingreſſu Gloriæ, non tam ob lumen Gloriæ, quàm ob viſionẽ intuitiuam Dei, qua conſtituimur in ſtatu beatitudinis, quem dedecet habitus Fidei, quia actus huius habitus Fidei in eo ſtatu repugnat circa Deum, & non congruit circa alia obiecta.

DIFFICVLTAS XI.

Vtrum Deus aliquando dixerit falſum ſeu mentitus fuerit.

QVIA Suprà diximus ad obiectum formale, ſeu motiuum Fidei diuinæ pertinere Deum vt primam veritatem in cognoſcendo, quem vt ſic ſuppoſuimus non poſſe falli: & vt primam veritatem in dicendo, quem vt ſic ſuppoſuimus non poſſe fallere, ideo duo predicta examinamus.

Certiſsimum autem eſt Deum vt primam veritatem in cognoſcendo falli non poſſe, quia eſt omnino, & infinitè ſapiens.

Eſt tamen difficultas, an Deus vt prima veritas in dicendo poſsit fallere; & quia fallere fit dicendo falſum, examinãdum eſt an poſsit falſum dicere, & prius an aliquando dixerit falſum: & quia reſpectu Dei idem eſt dicere falſum, ac mentiri quia mentiri eſt contra mentẽ ire, id eſt exterius dicere contra id, quod interius, ſeu métaliter iudicatur, & Deus vtpote nihil ignorans, eo ipſo quod diceret falſum, mentiretur, quia eo ipſo diceret contra id, quod mente iudicaret; & è contra eo ipſo quod diceret contra id, quod mente iudicaret, diceret falſum: ideò reſpectu Dei idem eſt quærere an ali-

quando dixerit falsum,& an aliquando fuerit mentitus,quod est contra veritatem in dicēdo(quæ dicitur veracitas)adhuc quando dictio,seu loquutio est de futuro:imo quando locutio de futuro est in gratiam,aut fauorem alicuius, & media illa offertur Fides,aut verbum,& Fides hæc, aut verbum acceptatur,quæ eo ipso habet rationem promissionis, etiam est contra veritatem in operando(quæ dicitur fidelitas)quo opera conformantur promissioni,ob quod quando etiam est contra fidelitatem,dicitur mendacium.

Circa difficultatem ergo Priscilianistæ(vt refert Augustinus libro contra mendacium cap.2.& libro de hæresibus,hæresi 70.)ausi sunt affirmare Deum fuisse aliquando mentitum etiam contra fidelitatem, quod indicari videtur in aliquibus scripturæ locis,in quibus Deus dicitur homines decepisse:& in alijs,in quibus continentur prædictiones,& promissiones,quæ non videntur impletæ,

Veritas tamen Catholica est Deum nunquam fuisse mentitum,neque in dicendo contra veracitatem, neque in operando contra fidelitatem:quod saltem quoad mendacium in dicendo significatur num.23. *Non est Deus quasi homo,vt mentiatur*,& 1.Ioan.2.*Omne mendacium ex veritate non est*, id est ex Deo,& ad Titum 3.*Qui non mentitur Deus*, & quoad mendacium in operando,Psal.144.*Fidelis Dominus in omnibus verbis suis*,& 2.ad Timoth.2.*Ille fidelis permanet,seipsum negare non potest*,& ad Hebræos 6.*Quibus impossibile est Deum mentiri*.Deus ergo non mentitur,& non solum non mentitur per seipsum,sed neque per alterum,quia Deo absolute negatur mendacium,& qui per alterum mentitur,absolutè mentitur.

Quæ autem pro Priscilianistis adducuntur, nullius momenti sunt,quia quod dicitur in scriptura, Deum videlicet decepisse homines,tantum intelligitur permissiuè: & nulla promissio in scriptura continetur, quæ si rectè expendatur, inueniatur defecisse:& prædictiones,quæ non sunt impletæ, tantum fuerunt comminatoriæ, id est, sub exceptione, aut sub conditione aliqua mentaliter tantum addita, quæ vere defecit: quod non minus licitum Deo est, quàm nobis, quando adest rationabilis causa ad occultandam veritatem,

sicut

ſicut ad eam occultandam, quando adeſt rationabilis cauſa ad id, etiam eſt licitum vti verbis æquiuocis in ſenſu diſtincto ab eo, in quo audiens intelligit, quæ duo quamuis abſque rationabili cauſa facta, ſint illicita contra veracitatem, non tamen ſunt contra eam primariò, quia non ſunt falſa, & mendacia; ſed ſecundariò, quia ex virtute veracitatis etiam deriuatur in loquente obligatio vitandi deceptionem paſſiuam in altero ex ſua loquutione, quando non eſt rationabilis cauſa ad eam deceptionem permitendam; & quamuis facile poſsit honeſtari in Deo, & in nobis loquutio amphibologica ratione ſignificationis æquiuocæ verborum, difficile tamen honeſtari poteſt amphibologia ratione additionis mentalis, quia amphibologia hæc maximam præbet occaſionem deceptionis, & in Deo difficilius multò poteſt honeſtari, quàm in nobis, quia ex vna parte Deo nequit occurrere neceſsitas vtendi hac amphibologia, ſicut poteſt nobis occurrere, quia aliter non expediemur, neceſsitate aliqua, & ex altera in Deo poteſt incommoda habere, præſertim contra ſuam authoritatem, quæ non habeat in nobis, ob quod Deo non eſt licitum (vt conſequenter ipſi repugnat) vti amphibologia, ratione additionis mentalis, niſi quando ex negotio, aut ex circunſtantijs conijci poſsit ſaltem à prudentibus Deum vti aliqua additione mentali, aliàs non poſſemus firmiter aſſentiri dictis à Deo, quamuis euidenter cognoſceremus illa dicta fuiſſe à Deo, quia ignoraremus an Deus ſuis dictis externis aliquid adderet mentaliter, quo eorum ſignificatio diſtrahatur. Hoc autem incommodum nulla poteſt cauſa compenſari, & honeſtari.

DIFFICVLTAS XII.

Vtrum Deus poſsit dicere falſum, ſeu mentiri.

COnueniunt Theologi Deum ſaltem potentia ordinaria non poſſe falſum dicere, neque mentiri, neque indicēdo

contra veracitatem, neque in operando contra fidelitatem: imo id esse de Fide, quia quoad mẽdacium in dicendo significatur ad Rom. 3. *est autem Deus verax*: & quoad mendacium in operando 2. ad Timoth. 2. *ille fidelis permanet, seipsum negare non potest*, & ad Hebr 6. *vt per duas res* (nempe per promissionem, & iuramentum) *quibus impossibile est mentiri Deum.*

Est tamen dificultas an id possit Deus de sua potentia absoluta.

Aliacensis in 1. quæst. 12. artic. 3. dub. 3. Holcot. in 2. quæst. 2. artic. 8. & Adamus in 3. quæst. 5. dub. 2. docent Deum de sua potentia absoluta posse falsum dicere, & mentiri adhuc in operando; quia mentiri non est intrinsecè malum, quia nonnulli patres significant id esse licitum ad vitandum graue aliquod damnum, ergo non repugnat Deo mentiri, quia si repugnaret, maximè ob malitiam moralem, quæ â mendacio separari non posset, quia ad actionem ipsam physicam dicendi falsum non deficit Deo potentia physica. Secundò quia Deus potest interius mouere, & inclinare aliquem ad errorem, seu iudicium falsum, ergo etiam poterit dicere falsum, quia mouendo interius non minus est causa deceptionis, quam dicendo falsum.

Soarez verò disp. 3. sect. 5. Turrianus disp. 3. dub. 1. & 2. Ægid disp. 10. dub 1. Adamus Tanner. disput. 1. quæst. 1. dub. 5. & communiter Theologi docent, & merito, Deum adhuc de potentia sua absoluta non posse falsum dicere, neque vllo modo mentiri, quod maximè indicat Dyonisius de diuinis nominibus cap. 8. dum ait *à veritate cadere, est à Deo cadere.* Deo autem repugnat à seipso cadere, & id deducitur ex scriptura. Et in primis quoad mendacium saltem in dicendo ex illo num. 23. *non est Deus quasi homo, vt mentiatur, neque vt filius hominis vt mutetur.* Vbi eodem modo negatur Deo mentiri, & mutari, sed Deo repugnat mutari, ergo & mentiri. Deinde quoad mendacium in operando ex illo 2. ad Timoth. 2. *Ille fidelis permanet seipsum negare non potest*, ergo Deo repugnat non esse fidelem in promissis, sicut ipsi repugnat seipsum negare. Et ex illo ad Hebræos 6. *vt per duas res immobiles* (nempe promissionem, & iuramentum,

tum) *quibus impossibile est mentiri Deum* (nempè mendacio in operando) *fortissimum solatium habeamus.* Quibus verbis Paulus significat Deo esse omnino impossibile, & repugnans non stare promissis.

Et id ratione probatur, & in primis Deo repugnare falsum dicere, & mendaciũ in dicendo (de quo precipuè est difficultas) quia Deum sic mentiri opponitur suæ bonitati morali, seu rectitudini, ergo id Deo repugnat, consequentia patet. Antecedens autem probatur, quia Deum peccare opponitur suæ diuinæ bonitati, mentiri autem ita intrinsecè est malum moraliter seu peccatum, vt nullo priuilegio, & nullo fine possit fieri non malum, quia mendacio in dicendo destruitur conuictus, & societas, & securitas in eis, & eodem modo probatur Deo repugnare mendacium in operando, seu non stare promissis, quia scilicet, id est, ita intrinsecè malũ moraliter, vt nullo priuilegio, & nullo fine possit fieri non malum, quia eo destruitur conuictus, & societas, & fiducia, nisi aliqua ratio superueniens non considerata, quando fit promissio, excuset, quod non habet locum in Deo. Ex quo constat ad primam rationem aduersariorum. Patres autem, qui indicant licitum esse mendacium ad vitandum graue aliquod damnum, non loquuntur de mendacio sumpto in rigore, sed sumpto pro loquutione tropica, aut aliàs ambigua quæ primò aspectu apparet falsa.

Ita tamen Deo repugnat mentiri tam in dicendo, quam in operando, vt si non esset intrinsecè malum, posset Deus mentiri, quia hoc tantum repugnat ipsi ratione suæ summæ bonitatis moralis, virtutis veritatis in dicendo, vel virtutis veritatis in operando, cui non opponeretur, si non esset peccatũ, sicut dictio falsi in nobis, quando nõ est peccatũ, vel quia non est contra mentem, vel quia si est, fit inaduertenter, non opponitur virtuti veritatis. Ignorare verò, & errare quamuis peccatum non sit, Deo repugnat, quia ignorantia, & error physicus opponitur veritati diuinæ in cognoscendo, quia est ad physicè cognoscendum, veritas verò in dicendo, seu veracitas non est ad physicè, sed tantum ad rectè moraliter dicendum.

Infinita ergo & omnimoda authoritas Dei, ratione cuius est infinitè, & omninò Fide dignus, ipsi conuenit ratione vtriusque dictæ, veritatis, quia ratione veritatis in cognoscendo nequit falli, & ratione veritatis indicendo nequit fallere seu dicere contra mentem, quia est peccatum.

Deinde opinio nostra ab absurdo probatur, quia si Deus posset mentiri sua potentia absoluta, quamuis ordinaria nõ posset, nostræ Fidei posset subesse falsum, quia Deus posset vtendo sua potentia absoluta falsum reuelare, & quamuis nõ vteretur, possemus nos formidare de veritate rei reuelatæ non formidantes de reuelatione, quia ignoraremus, an Deus quando aliquid reuelaret, vteretur sua potentia absoluta.

Ad posteriorem rationem aduersariorum admittimus Deum posse mouere, & inclinare aliquem ad iudiciũ falsum, seu errorem producendo in illo habitum erroneũ, imò etiã posse infundere errorẽ ipsum, si aliàs se solo posset actum in intellectu producere, negamus tamen posse falsum dicere, & mentiri, adhuc per alterum, quia mentiri adhuc per alterum opponitur authoritati diuinæ coalescenti ex veritate incognoscendo, & ex veritate in dicendo: inclinare verò ad errorẽ, & eum infundere nulli diuinę perfectioni opponitur; quia si alicui, maximè suę authoritati: huic autem nõ opponitur, quia authoritati diuinæ tantum opponitur loqui falsum per se, aut per alterum. Deum autem mouere, & inclinare ad errorem infundendo habitum erroneum ad errorem inclinantem: imò Deum infundere errorem ipsum non est Deum loqui, neq; per se, vt patet, neque per alterum, quia error ille ad quem habitus inclinat, & quem Deus infunderet, est loquutio mentalis, non Dei sed illius, qui errat, & non facta nomine Dei.

DISPVT. III.

De conditione prærequisita ad actum fidei diuinæ.

DIF-

DIFFICVLTAS I.

Vtrum ad actum Fidei diuinæ prærequiratur externa propositio reuelationis rerum credendarum.

CONVENIVNT Omnes ad actum Fidei diuinæ prærequisitam esse aliquam propositionem rerum credendarum, & reuelationis diuinæ earũ quia absq; ea nequit intellectui applicari obiectum, neq; materiale circa quod possit actum Fidei elicere, neque formale ob quod illum elicere possit, quia circa obiectum materiale, & ob formale non applicatum nequit versari.

Est tamen difficultas, an prærequisita sit externa aliqua propositio rerum credendarum, & reuelationis diuinæ ipsarum.

Hæretici nostri temporis docẽt ad assensum Fidei diuinæ non esse adhuc ex lege communi, & ordinaria prærequisitam externam aliquam propositionem, seu instructionem reuelationis diuinæ rerum credendarum, quia existimant in vnoquoque esse diuinam reuelationem priuatam seu priuatim factam, per quam vnicuique innotescit, & applicatur reuelatio publica rerum credendarum facta Prophetis, & Apostolis. Quod significari videtur 1. Ioan. 2. *Non necesse habetis, vt aliquis doceat vos, sed vnctio eius docet vos de omnibus.* Et Isaiæ 54. *Ponam vniuersos filios tuos doctos à Domino.* Et Ioan. 6. *Erunt omnes docibiles Dei.* Et 1. Ioan. 5. *Qui credis in Filium Dei, habet testimonium Dei in se.* Et ratione potest probari, quia vnicuique facile est habere dictam priuatam reuelationem, vt indicatur Iacobi 1. *Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter.* Ergo nulli est necessaria externa propositio, seu instructio reuelationis publicæ rerum credendarum, quia melius cognoscet hanc publicam reuelationem ex reuelatione dictæ reuelationis publicè sibi à Deo priuatim facta.

Catholici tamen conueniunt ad actum Fidei diuinæ necessario præsupponi, ex communi, & ordinaria lege, exter-

nam

nam propositionem seu instructionem reuelationis publicæ rerum credendarum. Quod satis indicatur ad Rom. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo verò audient sine prædicãte?* & infra. *Fides ex auditu.* Quod etiam experientia constat, quia experimur quotidie nos Deo credere nullam habentes reuelationem priuatam, sed quia exterius instruimur, aut à ministris Ecclesiæ, aut à Parentibus, aut ab alijs, veritates nostræ Fidei esse diuinas seu à Deo reuelatas, ergo ex communi modo credendi, prærequisita est externa aliqua propositio reuelationis rerum credendarum, quia regulariter nulla adest priuata reuelatio (quæ verè sufficeret, si adesset) absque externa aliqua propositione, quia illa est optima propositio, & applicatio reuelationis publicæ rerum credendarum.

Ioannes autem in sua prima epistola cap. 2. prædictis verbis loquitur contra quosdam hæreticos intendentes seducere fideles, & significat eos, qui virtute Spiritus Sancti crediderant, sed non absque externa propositione, seu instructione, non indigere doctrina illorum hæreticorum. Isaias verò vbi supra, & Ioannes cap. 6. verbis prædictis tantum significant fidem acquirendam esse ex dono Dei non excludentes externam instructionem; & Ioannes in sua 1. epistola cap. 5. verbis prędictis non significat quemlibet fidelem habere à Deo priuatam testificationem, seu reuelationẽ testimonij publici Dei, sed cuilibet credenti constare de testificatione publica Dei facta Prophetis, & Apostolis pro tota Ecclesia, quę regulariter constat fidelibus non priuata reuelatione, sed externa instructione.

Et ad rationem negamus vnicuique esse facilem dictam reuelationem priuatam, quia nullibi, neque Iacobi 1. promissa est, quia in hoc loco tantum promittitur cognitio conducens ad profectum spiritualem ei, qui illam debito modo petit, quę à Deo regulariter tribuitur non reuelatione, sed externa instructione facta ab alijs hominibus prępărata à Deo sua liberali, & gratuita prouidentia.

(?)

DIF.

DIFFICVLTAS II.

Vtrum ad actum Fidei diuinæ prærequisita sit aliqua Fides humana reuelationis diuinæ rerum credendarum.

NOMINE Fidei humanæ intelligimus iudicium, seu assensum elicitum ob testimonium humanum, aut ob miraculum, aut ob alia motiua distincta à testimonio diuino.

Vega lib. 6. in Trident. cap. 6. & Almain. in 3. dist. 23. quæst. 3. docent ad assensum Fidei diuinæ alicuius veritatis, seu propositionis reuelatæ non prærequiri assensum aliquem Fidei humanæ reuelationis illius veritatis, sed sufficere simplicem apprehensionem reuelationis diuinæ, veritatis, seu propositionis reuelatæ: quia assensus Fidei diuinæ non est discursiuus, sed est tendentia in veritatem, seu propositionem reuelatam habita immediatè ob reuelationem diuinam, ergo absque præuio aliquo assensu ipsius reuelationis diuinæ sola simplici apprehensione illius potest quis assentiri rei reuelatæ ob diuinam reuelationem sola simplici apprehensione conceptam, aliàs actus Fidei diuinæ esset discursiuus.

Soar. verò disp. 3. sect. 12. Valent. disp. 1. q. 1. puncto 1. Turrian. disp. 4. dub. 1. Ægid. disp. 13. dub. 1. Et Vazq. 1. p. disp. 5. cap. 3. docent ad actum Fidei diuinæ prærequiri aliquam Fidem humanam reuelationis diuinæ rerum credendarum, & meritò quia assensus Fidei diuinæ est ob reuelationem Dei, tanquam ob obiectum, seu motiuum formale, sed impossibile est aliquid esse motiuum formale assentiendi, nisi ab assentiente præiudicetur verè esse, nemo enim potest credere aliquid ob testimonium, v. g. Augustini, nisi prius persuasus sit Augustinum id dixisse; ergo ad assentiendum alicui propositioni Fide diuina, seu ob reuelationem

diuinam

diuinam prærequiritur iudicium, quo assentiens præiudicet Deum reuelasse propositionem illam, id autem iudicatur notitia aliqua humana, id est, habita ob motiuũ aliquod creatum distinctum à diuino, nempè aut ob testimonium hominis affirmantis Deum illa reuelasse, aut ob miraculum aliquod factum in confirmationem existentiæ reuelationis diuinæ illius propositionis, aut ob aliquas coniecturas.

Est autem dicta notitia humana reuelationis diuinæ rerum credendarum necessaria, seu prærequisita non solum his, quibus reuelatio non fit immediatè, sed etiam eis quibus immediatè fit, quia etiam hi, nisi iudicent, siuè clarè, siuè obscurè Deum reuelasse, non poterunt moueri diuina reuelatione ad credendum: & est notitia hæc reuelationis omnibus prædictis necessaria ex natura rei, quia absque ea notitia nequeunt reipsa, seu ex natura rei moueri reuelatione.

Et ob eandem rationem ex natura rei ad actum Fidei diuinę prerequiritur Fides humana iudicij Dei, & vtriusque diuinę veritatis tam in cognoscendo, quam in dicendo, quia non solum diuina reuelatio, sed etiam hęc tria prędicta inciduntur in obiecto formali immediato Fidei diuinę.

Sed quamuis notitia seu Fides humana reuelationis rerum credendarum sit prærequisita ex natura rei ad assensum Fidei diuinæ, non tamen notitia, seu Fides humana veritatis propositionum, seu rerum credendarum (quamuis hæc etiam regulariter præsupponatur) vt aduertit Soar. nu. 13. quia eo ipso quod propositio seu res credenda præiudicatur reuelata à Deo, quamuis non præiudicetur vera, eo ipso pro libertate voluntatis, si non desit auxilium Dei potest Fide diuina credi esse vera, quia eo ipso obiectum formale Fidei diuinæ, vt extrinsecè informans materiale, est sufficienter applicatum intellectui.

Ex eo autem, quòd ad assensum Fidei diuinæ, quo assentimur rei reuelatæ, necessariò præsupponatur assensus Fidei humanæ reuelationis diuinæ, quo intellectui sufficienter proponitur ipsa reuelatio diuina, non fit assensum Fidei diuinæ esse discursiuum, seu genitum per discursum, vt dicemus disp. 4. difficult. 4.

DIF-

DIFFICVLTAS III.

Vtrum ad actum Fidei diuinæ prærequiratur Fides humana reuelationis diuinæ habita ob testimonium Ecclesiæ.

EX Dictis difficultate præcedente constat ad actum Fidei diuinæ prærequiri assensum Fidei humanæ reuelationis diuinæ, supereſt tamen difficultas, an assensus iste Fidei humanæ prærequisitus debeat esse habitus, seu elicitus ob testimonium Ecclesiæ.

Circa hanc difficultatem supponimus ad assensum Fidei diuinæ in eis personis quibus reuelatio facta est immediatè à Deo, vt in Prophetis, & in Apostolis non necessariò præsupponi Fidem humanam dictæ reuelationis habitam ob testimonium Ecclesiæ, quia prædicti non acceperunt notitiam dictæ reuelationis nisi vel à Deo, vel per discursum.

Est ergo difficultas, an in reliquis, quibus reuelatio non est immediatè facta à Deo, necessarium sit, quod assensus Fidei humanæ reuelationis diuinæ prærequisitus ad assensum Fidei diuinæ habeatur ob testimonium Ecclesiæ.

Sotus lib. 3. de Natura, & Gratia cap. 11. Medina lib. 5. de Recta in Deum Fide, cap. 11. & alij docent Fidem humanam reuelationis diuinæ prærequisitam ad assensum Fidei diuinæ esse ob testimonium Ecclesiæ proponentis diuinam reuelationem: imò non sufficere ob testimonium Ecclesiæ secundum se consideratæ, vt scilicet est congregatio fidelium secundum se non attenta assistentia Spiritus Sancti, sed requiri ob testimonium Ecclesiæ vt rectæ ab Spiritu Sancto ei assistente, quod significat Augustinus libro contra epistolam fundamenti, cap. 5. dum ait: *Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret au-*

toritas. Et significari videtur in scriptura, dum in ea significatur Fidem diuinam discendam esse ab Ecclesia ad Ephes. 4. *Alios dedit Pastores, & Doctores.* Et ad Hebræos 13. *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis loquuti sunt Verbum Dei.*

Et id potest ratione probari, quia Fides diuina est Catholica, id est, vniuersalis, ergo requirit propositionem reuelationis diuinę factam authoritate publica, seu iuridica Ecclesię, & Fidem humanam dictę reuelationis habitam ob authoritatem, & testimonium, seu propositionem Ecclesię; imò Ecclesię, vt rectæ ab Spiritu Sancto, quæ vt sic errare non potest, aliàs sicut propositio Ecclesiæ secundum se, aut aliquorum particularium, & assensus Fidei humanæ ob authoritatem, & testimonium Ecclesiæ, vt sic, aut aliquorum particularium est fallibilis, etiam actus Fidei diuinæ, qui in eum assensum reduceretur, etiam esset fallibilis.

Aragon verò quæst. 1. artic. 1. Turrian. disp. 4 & 5. dub. 1. Ægid. disp. 17. num. 38. & Adamus disp. 1. quæst. 3. dub. 1 docent ad actum Fidei diuinæ non prærequiri assensum Fidei humanæ reuelationis diuinæ habitum ob testimonium Ecclesiæ, quod etiam supponit Vazq. 1. part. disp. 5. cap. 3. & 12. disp. 120. cap. 5. & meritò, quia vt quis credat aliquid Fide diuina, sufficit, quod prius credat, & persuasus sit Fide humana id esse reuelatum à Deo, quia absque fundamento amplius requiritur, sed potest quis credere Fide humana, & persuaderi Deum aliquid reuelasse, si id audiat ab homine, quem fidedignum iudicat: imò id potest cordatè, seu prudenter credere puer, & etiam rusticus, quibus nulla fuit oblata ratio dubitandi, si id audiat a parentibus, aut a concionatore, aut ab alio, quos longa experientia, aut alijs coniecturis fidedignos existimat: & politicus, seu vrbanus id potest cordatè, seu prudenter credere, si id audiat a viro, quem grauem, & doctum existimat, quamuis id non audiat a Romano Pontifice, nec a Concilio, nec a tota Ecclesia: & quamuis sibi non referatur id dixisse aliquem ex dictis, ergo ad credendum aliquid Fide diuina non prærequiritur Fides humana reue-

lationis

lationis diuinæ habita ob testimonium Ecclesiæ, adhuc secundum se consideratę, congregationis videlicet fidelium, ex quibus fuerunt, & sunt viri grauissimi, doctissimi, & sanctissimi, & in qua sunt plura alia motiua, & notæ quibus discernitur esse vera Ecclesia non attendendo adhuc ad assistentiam Spiritus Sancti.

Augustinus verò vbi supra tantum significat ipsum vtpote acutissimum, & doctissimum, & qui tenebat sectam nostræ Fidei oppositam, indiguisse testimonio Ecclesiæ, cuius authoritas secluso adhuc assistentia Spiritus Sancti, est maxima, vt illa motus prudenter crederet veritates nostræ Fidei esse diuinas seu à Deo reuelatas, non tamen significat omnes testimonio Ecclesiæ indiguisse: imò non loquitur de Ecclesia, vt ab Spiritu Sancto recta, quia authoritas Ecclesię vt sic non potuit illum mouere ad credendum Euangelio, quia ex ipso Euangelio constat assistentia, qua Spiritus Sanctus assistit Ecclesię; sed loquitur de Ecclesia secundum se considerata, cui vt sic, non attendendo ad assistentiam Spiritus Sancti antea capit. 4. idem attribuit, dum ait, *Tenet me in Ecclesia consensio populi, atque gentium, tenet authoritas miraculis inchoata, Spe nutrita, Charitate aucta, vetustate firmata.*

In scriptura autem vbi supra, tantum significatur in Ecclesia esse aliquos, quibus ex officio conuenit docere populum res ad mores, & ad Fidem pertinentes; non verò solos ipsos posse docere: & quamuis falso admittamus eos solos posse, non est contra nostram doctrinam, quia quilibet particularis eorum, quibus id ex officio conuenit, non est Ecclesia.

Et ad rationem aduersariorum respondemus ad hoc quod Fides diuina, quam regulariter habemus, sit Catholica, & vniuersalis, sufficere, quod sit ob reuelationem diuinam pro omnibus factum rerum ab omnibus credendarum, & non requiri quod reuelatio proponatur authoritate publica Ecclesiæ, adhuc secundum se consideratæ: & ad hoc quod actus Fidei diuinæ sit infallibilis non requiri quod propositio, & assensus reuelationis sit infallibilis, quia infallibi-

litas, vel fallibilitas assensus intellectus tantum desumitur ex obiecto formali proposito, quod essentialiter respicit, & cui soli essentialiter innititur, & non ex ipsa propositione obiecti formalis, quia eam non respicit essentialiter, neque ei innititur: actus autem Fidei diuinæ tantum habet pro obiecto formali diuinam reuelationem verè, & reipsa factam, propositam, & applicatam, & non propositionem, & applicationem illius: non negamus actum Fidei diuinæ elicitum ob reuelationem diuinam propositam, & creditam ob testimonium alicuius particularis relinquere ipsi credenti locum formidini, & dubitationi physicæ de veritate actus Fidei diuinæ, & rei per ipsum creditæ: imo etiam actum Fidei diuinæ elicitum ob reuelationem diuinam propositam, & creditam ob testimonium Ecclesiæ secundum se consideratæ, relinquere locum eidem formidini, in cuius propositionem, aut alicuius, vel aliquorum particularium tandem reducitur actus Fidei diuinæ tanquam in motiuum conditionis, seu applicationis reuelationis diuinæ, etiam ille actus, quo Fide diuina credimus Ecclesiam regi ab Spiritu Sancto, quia etiam credimus hoc ob diuinam reuelationem propositam, aut ab Ecclesia secundum se, aut ab aliquo, vel aliquibus particularibus, id tamen non est inconueniens; imò est necessarium in actibus Fidei diuinæ, quos regulariter elicimus, aliâs semel fidelis non posset fieri hæreticus; imò non posset motu primò primo discredere Deo dicenti, quod est contra experientiam, propositio enim cordata, & prudens reuelationis diuinæ, quamuis non relinquat locum, vt possit licite dubitari de veritate Fidei, relinquit tamen, vt possit physice dubitari.

Vnde vt actus Fidei diuinæ sit infallibilis non requiritur, quod sit ob reuelationem diuinam, vt creditam Fide diuina, quia ipsa secundum se, quamuis fallibiliter applicata intellectui est sufficiens ad infallibilitatem actus diuini ob rationem prædictam, quia scilicet infallibilitas illius desumitur ex suo obiecto formali, & non ex applicatione illius: imò reuelatio diuina, vt credita Fide diuina nequit esse

obiectum, seu motiuum formale ad actum Fidei diuinæ, quo ipsa creditur Fide diuina, quia motiuum formale Fidei præsupponitur creditum, aut aliter iudicatum ad actum, ad quem mouet; ergo vt credita Fide diuina nequit mouere ad actum ipsum, quo ipsa creditur, quamuis possit ad alium, quo res per ipsam reuelata creditur.

DIFFICVLTAS IIII.

Vtrum res nostræ Fidei sint euidenter credibiles prudenter.

SVPPONIMVS aliud esse propositionem esse veram, quod ei conuenit ex connexione suorum terminorum, subiecti videlicet, & prædicati: & aliud esse, illam esse prudenter credibilem, quod ei conuenit ex testimonio Fidedigni, aut ex alio æquiualente motiuo. Quærimus ergo an res, seu propositiones nostræ Fidei sint euidenter credibiles prudenter, & non quærimus an sint euidenter veræ: procedit ergo difficultas non de veritate rerum nostræ Fidei, sed de credibilitate, & non de quacumque, sed de prudente seu cordata.

Conueniunt Theologi (à quibus forsan non dissentit Capreolus) res nostræ Fidei esse euidenter credibiles prudenter seu cordate quoad reuelationem diuinam earum (id est esse euidenter credibile prudenter quod sint à Deo reuelatæ) & meritò: quia ex vna parte est sufficientissimum fundamentum ob quod res nostræ Fidei sunt dignæ creditu quoad ipsarum reuelationem diuinam, seu ob quod, tanquam ob motiuum formale possit cordatè, & prudenter credi res, seu veritates nostræ Fidei esse diuinas, seu à Deo reuelatas: & ex altera parte est euidens esse tale fundamentum; ergo res seu veritates nostræ Fidei sunt euidenter credibiles cordatè quoad ipsarum reuelationem diuinam, seu euidens est, quod sint dignæ creditu quoad ipsarum reuelationem, consequentia patet, antecedens autem probatur, & in primis esse sufficientissimum fundamentum ad id, quia ex

vna parte, saltem à tempore Christi fuerunt innumerabiles testes ex omni natione, qui affirmarunt, & testificati sunt res nostræ Fidei esse diuinas, seu à Deo reuelatas, ex quibus plurimi fuerunt grauissimi, sapientissimi, & sanctissimi, & ex eis non pauci in eius confirmationem fortiter, & alacriter mortem subierunt, & ex his nonnulli, & etiam alij miracula plurima in eiusdem confirmationem fecerunt, quæ etiam secluſa Fide diuina prudentissimè iudicantur vera: & ex altera parte res, seu veritates nostræ Fidei sunt maximè consonæ excellentiæ, & maiestati Dei, quia in eis continetur maxima sanctitas, puritas, & rectitudo vitæ, & maxima efficacia ad reprimendum homines à peccatis, & ad conuertendos illos in Deum, & in eis nihil falsitatis fuit deprehensum. Hoc autem fundamentum est sufficientissimum ad prudenter credendum Fide humana, seu quasi humana ob ipsum, tanquam ob motiuum formale res, & veritates nostræ Fidei esse diuinas, seu à Deo reuelatas, vt patet ex terminis ipsis, & ex ratione credibilis, quamuis aliunde res nostræ Fidei esse à Deo reuelatas sit difficile creditu ob obscuritatem videlicet, & superioritatem reuelationis diuinæ, & aliquarum ipsarum rerum Fidei: quod verò sit euidenter notum reperiri dictum fundamentum, probatur quia aliqua in eo contenta constant experientia, & quamuis alia in eo contenta tantum constent relatione, seu traditione humana, tamen hęc relatio, & traditio est adeo euidens, & antiqua, & vniuersalis vt sufficiat ad euidentiam humanã, seu moralem, quamuis tantum extrinsecam; nempè in attestante (ea proportione, qua relatio, seu traditio, qua constat Romam esse, sufficit ad euidentiam moralem extrinsecam, nempè in attestante existentiæ Romæ) quia dictorum existentia, moraliter est necessariò coniuncta cum dicta traditione, seu relatione (& ideo ipsa moraliter conuincimur ad id iudicandum) sicut existentia Romę moraliter est necessariò coniuncta cum vniformi attestatione tot gentium affirmantium Romam esse: antecedens ergo suprà adductum est verum, ac proinde euidens est posse prudentissime credi res nostræ Fidei esse diuinas, seu à Deo reuelatas, quod est esse eui-

denter

denter credibiles, credibilitate prudente.

Quia verò dictum fundamentum, cui tanquam obiecto formali innixi posſumus prudentiſsime credere res noſtrę Fidei eſſe à Deo reuelatas, non eſt diuinum teſtimonium, ſed eſt quid creatum magna ex parte coaleſcens ex teſtimonio hominum, ideo dicto fundamento res noſtræ Fidei fiunt euidenter credibiles Fide humana, ſeu quaſi humana, quoad ipſarum reuelationem diuinam, id eſt, euidens eſt, quod reuelatio diuina rerum noſtræ Fidei prudenter credi poteſt ob dictum fundamentum, tanquam ob motiuum, ſeu obiectum formale: id tamen eſt euidens ſolum moraliter non phyſice quidquid dicat Petrus Hurtado, quamuis hæc credibilitas oriatur neceſſariò phyſice, vel quaſi phyſice ex dicto fundamento, tanquam ex cauſâ formali extrinſeca, quia aliquid dicti fundamenti neceſſarium ad euidentiam dictæ credibilitatis prudentis ortæ ex illo, eſt tantum euidens moraliter, imo nõ intrinſece, ſed extrinſece in atteſtante videlicet, ſeu in relatione humana.

Addimus dicto fundamento non tantum fieri euidens moraliter, quamuis tantum extrinſece, res noſtrę Fidei eſſe reuelatas à Deo, eſſe credibile prudenter Fide humana, ſeu quaſi humana ob ipſum fundamentum, tanquam ob motiuum formale, ſed etiam fieri euidens moraliter, quamuis tantum extrinſece, eſſe credibile Fide diuina res noſtrę Fidei eſſe veras, quia dicto fundamento non ſolum fit moraliter euidens extrinſece eſſe credibiles, quod ipſarum reuelationem diuinam, Fide humana, ſed etiam fit moraliter euidens extrinſece res noſtræ Fidei eſſe vere reuelatas à Deo (non minus quam Romam exiſtere fit moraliter euidens extrinſecè in prædicta atteſtatione vniformi) quia cum dicto fundamento eſt moraliter neceſſariò coniunctum eſſe reuelatas à Deo, eo autem ipſo quod dicto fundamento fit moraliter euidens in atteſtatione humana, ſeu quaſi humana res noſtrę Fidei eſſe reuelatas à Deo, etiam fit moraliter euidens, & extrinſecè, quamuis tantum remotè, eſſe credibiles Fide diuina quoad ipſarum veritatem, ideſt, fit euidens poſſe credi, Fide diuina eſſe veras; & tandem etiam fit euidens moraliter extrinſecè eſſe veras,

quia cum hoc quod eſt reuelatum eſſe à Deo, aut credibile Fide diuina, neceſſariò eſt coniuncta veritas illius, non intrinſecè, ſed extrinſecè: Nihil tamen horum quatuor, quæ dicto fundamento fiunt euidentia ſiuè proximè, ſiuè remotè eſt euidens metaphyſicè, neque intrinſecè, quia aliquid dicti fundamenti tantum conſtat relatione humana, cum qua illud aliquid eſt coniunctum neceſſario non phyſicè ſed moraliter, & non intrinſecè, ſed extrinſecè.

Dicto ergo fundamento immediatè abſque illatione aliqua moti tanquam obiecto formali credimus Fide humana, & obſcurè iudicamus res noſtræ Fidei eſſe reuelatas à Deo: ex eo tamen fundamento tanquam ex medio in præmiſsis ſyllogiſmi media illatione primò euidenter moraliter inferimus, & iudicamus res noſtræ Fidei eſſe credibiles Fide humana quoad ipſarum reuelationem diuinam, ſed non euidenter intrinſecè, quamuis hæc credibilitas inferatur phyſicè, ſeu quaſi phyſicè ex dicto fundamento, tanquã ex cauſa formali extrinſeca, ſed tantum euidenter extrinſecè, quia aliquid dicti fundamenti, ex quo infertur eſt tantum euidens in atteſtatione humana. Secundò, ex dicto fundamento inferimus, & iudicamus euidenter moraliter extrinſecè res noſtræ Fidei eſſe reuelatas à Deo. Tertiò ex eodem fundamento inferimus, & iudicamus euidenter moraliter extrinſecè res noſtræ Fidei eſſe credibiles Fide diuina quoad ipſarum veritatem, quia quod eſt reuelatum à Deo, eo ipſo credi poteſt Fide diuina eſſe verum. Tandem quartò ex eodem inferimus, & iudicamus euidenter moraliter extrinſecè res noſtræ Fidei eſſe veras, quamuis mediante reuelatione diuina, aut credibilitate Fidei diuinæ, & ob hanc euidentiam moralem veritatis rerum noſtræ Fidei poſſumus cum Richardo de Sancto Victore 1. de Trinit. cap. 2. ad Deum confidenter dicere. *Domine ſi error eſt, à te decepti ſumus: iſta enim nobis ſunt tantis ſignis, & prodigijs confirmata, & talibus, quæ non niſi per te fieri potuerunt.*

Iudicium ergo illud, quod ob dictum fundamentum, tanquam ob obiectum, ſeu motiuum formale immediate credimus Fide humana res noſtræ Fidei eſſe reuelatas à Deo, eſt actus Fidei humanæ ab habitu humanæ Fidei procedens:

cedens: iudicia verò illa, quibus ex dicto fundamento, tanquam ex medio in præmiſsis ſyllogiſmi illatiuè iudicamus euidenter moraliter extrinſecè ea omnia, quæ diximus inferri, ſunt actus ſcientiæ non propriæ, & rigoroſæ, adhuc illud, quo iudicamus res noſtræ Fidei quoad ipſarum reuelationem eſſe prudenter credibiles Fide humana, quamuis hæc credibilitas inferatur immediatè phyſicè, aut quaſi phyſicè ex dicto fundamento, tanquam ex cauſa formali extrinſeca, ſed tantum ſunt actus ſcientiæ impropriæ, & quaſi inatteſtante, quia talia iudicia reducuntur in dictum fundamentum, cuius aliquid neceſſarium ad dicta iudicia tantum cognoſcitur euidenter moraliter extrinſecè in relatione humana.

Obſeruandum eſt, vt indicant Vazq. 1. par. diſp. 5. cap. 3. & clarius 2.2.q.1.art.5.dub.3. in manuſcriptis, & Turr. diſp. 7. dub. 7. ad credendum Fide diuina res noſtræ Fidei eſſe veras non ſemper prærequiri iudicium expreſſum reuelationis earum habitum ob totum dictum fundamentum coaleſcens ex omnibus prædictis, neque iudicium aliquod euidens ex toto eo fundamento illatum, quia ad credendum Fide diuina res noſtræ Fidei, ſufficit iudicium, quo expreſsè credamus Fide humana, aut aliter perſuaſi ſimus rem Fidei, quam crediturí ſumus Fide diuina eſſe vera, eſſe verè reuelatam à Deo, cuicunque fundamento iudicium illud innitatur, ſiue teſtimonio parentis, ſiue præceptoris, ſiue Parrochi, ſiue concionatoris, ſiue alius, quem fidedignum habeamus, quia qui ſemel determinatè iudicat, & perſuaſus eſt quocunque iudicio, & cuicunque fundamento innixus Deum rem aliquam reuelaſſe, poteſt ei rei aſſentiri ob diuinam reuelationem, quantum eſt ex parte iudicij præuij, quia dicto iudicio, & perſuaſione habet ſibi proximè propoſitum & applicatum obiectum materiale, & formale actus Fidei diuinæ, & ſufficienter vt actus Fidei diuinæ, ſit certus, & infallibilis, quia hanc certitudinem, & infallibilitatem habet ex ſola diuina reuelatione dicto modo iudicata, & nullo modo ex iudicio, quo iudicatur rem eſſe reuelatam, quia ob ſolam reuelationem, tanquam ob obiectum formale credit Fide diuina, & non ob iudicium ipſius reuelationis.

Fate-

Fatemur non omnes credere Fide humana reuelationem diuinam, neque ad eam persuaderi ex quocunque motiuo, sed ex grauiori, vel minus graui pro captu, & dispositione cuiuslibet, quia vir ingeniosus, & doctus, & in secta Christianæ Religioni contraria educatus, maiori indiget fundamento, & motiuo ad id iudicandum, & credendum, quam puer inter Fideles nutritus, & aliquando indigebit toto dicto fundamento ex omnibus prædictis coalescente, præsertim quando est praue affectus: puero vero inter Fideles nutrito, & etiam rustico aliquando & non rarò ad id iudicandum sufficit testimonium, aut parentis, aut præceptoris, aut Parrochi, aut concionatoris, aut alius instructoris, & præsuppositio eo iudicio præuio reuelationis diuinæ facile credet Fide diuina rem reuelatam, si aliàs non desit auxilium efficax Dei: quod verè deficiet, & non elicietur actus Fidei diuinæ, si iste futurus esset peccaminosus, quia eliciendus esset ob diuinam reuelationem creditam, seu iudicatam peccaminosè vt quando creditur, & iudicatur motiuo non prudente cognito, vt non prudente: iudicium autem quo creditur Deum aliquid reuelasse est prudens, seu cordatum, non absolutè, sed respectiue habita ratione ad iudicantem, quia puero, & etiam rustico, qui nihil contrarium nostræ religioni audiuit esse verum, sufficiet testimonium parentis, aut alterius, quem fidedignum existimat, vt attenta sua capacitate, & dispositione id cordatè iudicet: & Augustino dum Manichæo vt id cordatè, & prudenter crederet, non sufficeret, nisi prædictum fundamentum ex omnibus, aut fere ex omnibus prædictis coalescens.

Sed an præter iudicium, quo speculatiuè iudicamus, siue obscurè, siue euidenter, rem esse à Deo reuelatam, sit necessarium ad actum Fidei diuinæ alterum iudicium prudentiæ, quo practicè voluntati proponatur actus Fidei diuinæ, & eius bonitas, dicemus disp. 4. diff. 8.

DIF-

DISPVT. IIII.

De actu Fidei diuinæ.

DIFFICVLTAS I.

Quid ſit actus Fidei diuinæ.

SVPPONIMVS Actum Fidei diuinæ (medio quo placemus Deo, & â peccatis iuſtificamur, non tanquam forma, neque tanquam vltima diſpoſitione, ſed tanquam radice) eſſe actum cognitionis pertinentem ad intellectum, vt ſignificat Paulus ad Hebr. 11. vbi poſtquam dixit *Sine Fide impoſsibile eſt placere Deo*, ſtatim rationem ſubdit, quia ſcilicet *accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Hæc autem creduntur cognitione intellectus, non affectu voluntatis, neque actu alius potentiæ, & de eadem Fide antea in eodem capite dixerat, *Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula*, & etiam dixerat eſſe *Argumentum non apparentium*, intelligere autem, & argumentum ſunt actus intellectus, non voluntatis, neq; alius potentiæ.

Actus ergo Fidei diuinæ (vt deducitur ex dictis diſp. 1. & 2.) eſt iudicium rei â prima veritate reuelatæ, habitum, ſeu elicitum ob ipſius reuelationem: qui actus per eam particulam *Ob ipſius reuelationem* diſtinguitur quoad ſuam naturam, ſeu eſſentiam ſpecificam (quæ ex obiecto formali deſumitur) ab actibus ſcientiæ, & principiorum ipſius ſcientiæ, & ab actibus opinionis, & Fidei humanæ, & ab aſſenſu Theologico, cum quibus conuenit in eo quod ſit iudicium: & per eandem particulam *Ob ipſius reuelationem*, denotatur actum Fidei diuinæ eſſe iudicium certum, vt patet, quo etiam diſtinguitur ab actu opinionis, & Fidei humanæ:

manæ: & per eandem etiam denotatur esse iudicium obscurum (quia reuelatio, quamuis euidenter constans non demonstrat rem reuelatam) quo etiam distinguitur ab actu scientiæ, & ab actu principiorum ipsius.

Vnde Augustinus de prædestinatione Sanctorum cap. 2. illis verbis: *Credere nihil aliud est, quàm cum assensione cogitare*, vel obscurè definit actum Fidei, vel quod verius est, non definit illum plenè, & integrè, vt aduertunt Soarez, disput. 6. sect. 1. & Vazquez 1. 2. disput. 209. num. 20. quia cogitatiò cum assentione, id est, cogitatio non qua rem simplici apprehensione concipimus, sed qua ipsi assentiendo apprehendimus, tantum habet rationem generis, in quo conuenit cum prædictis assensibus, ac proinde in prædictis verbis Augustini tantum continetur genus actus Fidei diuinæ, non differentia constitutiua ipsius, & distinctiua ipsius ab alijs, & consequenter verbis illis non plenè definitur ab Augustino actus Fidei, neque id intendit, sed docere, quod consistat in cognitione, vt inde contra Semipelagianos probet Fidem esse ex dono gratiæ, ex illo Pauli 2. ad Corint. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Illis ergo verbis *Nihil aliud est*, noluit excludere differentiam actus Fidei, sed quamcunque aliam rem distinctam ab assensu.

Obseruandum est in aliquo actu Fidei diuinæ posse triplicem respectum ad Deum reperiri primum circa Deum, tanquam circa obiectum formale, ob quod credimus, qui significatur his verbis, *Credo Deo*, subintellige *dicenti*, & in omni actu Fidei diuinæ reperitur. Secundum circa Deum tanquam circa obiectum materiale, quod creditur, qui significatur his verbis, *Credo Deum*, subintellige *Esse, seu existere.* Tertium circa Deum, tanquã circa vltimum finẽ, qui significatur his verbis, *Credo in Deũ*, id est credendo tendo, seu eo in Deum, tanquam in finẽ: quod fieri potest actu Fidei diuinæ imperato, vel à dilectione charitatis erga Deum, vt indicat Augustin. tract. 29. in Ioan. vel à dilectione spei, seu concupiscentiæ Dei. Vnde non solum iusti, qui soli diligunt Deum dilectione charitatis possunt

credere

credere in Deum, sed etiam peccatores, adhuc in sua propria persona, quia peccatores adhuc perseuerantes tales, etiam sibi diligunt Deum amore spei, seu concupiscentiæ: præsertim, quòd his verbis *Credo in Deum* potest denotari respectus ad Deum, tanquam ad obiectum materiale, quod creditur, vt Ioann. 12. dum dicitur quosdam ex principibus credidisse in Christum, qui tamen non confitebantur eum: & etiam potest denotari respectus ad Deum tanquam ad obiectum formale, vt indicatur in epistola ad Phylem. & 1. Ioann. 5. quæ duo etiam conueniunt peccatoribus: ex tribus autem dictis respectibus primus, & secundus sunt dicto actui Fidei essentiales, tertius verò est illi accidentalis, & extrinsecus.

DIFFICVLTAS II.

Vtrum actus Fidei diuinæ rectè definiatur quod sit, substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.

PAVLVS Ad Hebr. 11. de Fide diuina ait, quod sit *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.*

Circa verba hæc Theologi contra Erasmum in annotationibus ad hunc locum Pauli, cui fauet Damascenus 4. de Fide, cap. 11. conueniunt Paulum in eis non loqui de Fide sumpta pro spe, seu fiducia ad voluntatem pertinente, sed de Fide sumpta pro credulitate pertinente ad intellectum: quod etiam docent communiter Patres (quos refert Vazq. 1. 2. disp. 209.) & indicant Concilium Arausi. c. 25. & Trid. sess. 6. c. 6. & 8. idque efficaciter deducitur ex contextu Pauli, quia de ea Fide dixit, quod sit *Argumentum non apparentium.* Argumentum autem in actu intellectus consistit, & de eadem dixit, quod ea *Intelligimus aptata esse sæcula*: intellige autem actus est intellectus, & de ea supponit, quod ipsa

Cre-

Credimus Deum esse, & remuneratorem esse, quod credimus intellectu, & actu ipsius, & non voluntate, neque ipsius fiducia. Quod etiam ostendunt nonnulla exempla Fidei, quæ ibi Paulus adducit, præsertim Fidei Noè, & Habraham. Et quamuis Paulus in eo capite nonnihil dicat de expectatione, & spe, solum est, quatenus est effectus ortus ex Fide intellectuali, de qua in eo capite ex professo loquitur, vt aduertunt Vazq. vbi suprà, & Soar. disp. 6. sect. 2.

Circa difficultatem ergo propositam Erasmus vbi supra docet in prædictis verbis Pauli non contineri definitionem Fidei, sed eius laudem, seu encomium.

Nihilominus Theologi conueniunt in prædictis verbis definiri actum Fidei diuinæ: quod indicant Chrysostomus, Theophilactus, Theoderetus, OEcumenius, Beda, Anselmus, & Glossa in suis commentarijs, & Augustinus tract. 79. in Ioannem, & Concilium Arausicanum vbi supra. Quod etiam declaratur, quia nomine *argumenti* significatur assensus firmus, quia argumentum ponitur pro suo effectu, qui est conuictio, & efficax persuasio: & nomine *Non apparentium* significantur veritates obscuræ, seu non visæ, quæ sunt obiect materiale Fidei diuinæ: & nomine *Substantia rerum sperandarum*, significatur quod actus Fidei sit fundamentum, cui innittur spes, quia actus Fidei diuinæ, quem Paulus definit, est veluti baculum, cui viatores innituntur ad sperandum, quia non posset quis à Deo sperare, nisi Deo crederet, quia solus actus Fidei diuinæ, vtpote supernaturalis, est proportionatus actui spei diuinæ, qui etiam est supernaturalis, & id exprimitur nomine Græco conuerso in nomen *substantia*, quod Græcum significat hypostasim, seu subsistentiam: quasi Paulus dixerit, *Fides est assensus firmus rerum, quæ non videntur, cui innititur spes.* Quibus verbis actus Fidei rectè, sufficienter, imò & essentialiter definitur: & in primis essentialiter, quia de essentia actus Fidei diuinæ est, quod sit assensus firmus rerum, quæ non videntur, & aptus ad fulciendam spem: Deinde rectè, & sufficienter definitur, quia dicitur, quod sit *assensus*, qui est genus ipsius actus Fidei, in quo conuenit cum alijs assensibus: & quod sit *firmus*, in quo conuenit cum assensu euidente scientiæ, & principiorum ip-

sius

sius, & cum assensu Theologico, & distinguitur ab assensu Fidei humanæ, & opinionis, & quod sit *Rerum, quæ non videntur*, in quo conuenit cum assensu Theologico, & Fidei humanæ, & opinionis, & distinguitur à quocunque assensu prædicto euidenter: & quod sit, *Cui innititur spes*, in quo distinguitur ab omnibus alijs prædictis assensibus, quia actui Fidei diuinæ, & non alijs conuenit esse aptum ad fulciendam spem Theologicam: in quo etiam denotatur obiectum formale Fidei diuinæ, quia sola certitudo actus Fidei diuinæ, quæ ipsi prouenit ex reuelatione diuina, ob quam elicitur, potest fulcire certitudinem spei Theologicæ, ac proinde firmitas, seu certitudo significata per secundam particulam definitionis traditæ, nempe *firmus* contrahitur, & perficitur implicitè illis verbis, *Cui innititur spes*. Vnde definitio actus Fidei tradita a Paulo quamuis sit magis obscura, quam tradita à nobis difficultate præcedente, ei tamen æquiualet: & proportione seruata potest etiam ad habitum Fidei applicari, sicut applicata est, quæ à nobis tradita fuit.

DIFFICVLTAS III.

Vtrum actus Fidei diuinæ fiat compositione, & diuisione.

CONVENIVNT Theologi actum Fidei diuinæ in nobis fieri componendo, aut diuidendo, quia actus Fidei diuinæ est iudicium, quo assentimur propositioni à Deo reuelatæ: iudicium autem in nobis fit componendo, aut diuidendo, quia iudicium in nobis fit, vel attribuendo prædicatum subiecto, seu affirmando prædicatum conuenire subiecto, quod est componere, vel negando vnum alteri, seu negando prædicatū cōuenire subiecto, quod est diuidere, quia affirmatio, & etiam negatio fit conceptione formali diuisibili in varias partes, quasi extensionis, quarum alia correspondeat subiecto, & alia prædicato, & alia conuenientiæ, vel disconueniētiæ prædicati cum subiecto, quod in nobis prouenit ex eo, quod subiectum, & prædicatum, & eorum conuenientiam, vel disconuenientiam inter se apprehendimus va-

rijs

rijs speciebus intelligibilibus totabilibus tãquam principijs, & varijs speciebus expressis tanquam terminis, & varijs productionibus specierum expressarũ tãquam formis, ac proinde iudicium formaliter fit conceptione formali diuisibili in varias partes, quasi extensionis correspondentes subiecto, & prædicato, & conuenientiæ, vel disconuenientiæ eorum inter se, quamuis non totaliter distinctas.

Est tamen difficultas primò, an in Angelis actus Fidei diuinæ fiat compositione, & diuisione, sicut fit in nobis.

Bañez quæst. 1. artic. 2. negat, quia generaliter existimat Angelum non iudicare compositione, & diuisione, sed simplici, & indiuisibili intuitu, quasi semper vtatur speciebus rerum prout sunt in se.

Turrianus verò disp. 24. dub. 2. affirmat, & meritò: quia Angelus nihil potest credere, siue complexum, siue incomplexum, quod cognoscat propria specie, & prout est in se, quia cum tali cognitione est incompossibilis assensus Fidei, sed id tantum, quod cognoscit, seu apprehendit speciebus alienis, & instar aliorũ, siue quoad omnia, quæ in propositione credibili reperiuntur, siue saltẽ quoad aliquid, quoad subiectum videlicet, vel quoad prædicatum, & quoad conueniẽtiam, vel disconuenientiã: ergo assensus, quo Angelus assentitur propositioni credibili, est diuisibilis in partes quasi extensionis correspondentes subiecto & prædicato, & conuenientiæ, vel disconuenientiæ prædicati cum subiecto.

Est ergo in actu Fidei diuinæ, tam hominis, quam Angeli alia pars assensus, quasi extensionis respiciens subiectum, & alia pars respiciens prædicatum, & alia respiciens conuenientiam, vel disconuenientiam inter subiectum, & prædicatum; & consequenter in actu Fidei sunt tres respectus partiales ad prædicta vtpote respectus transcendentales indistincti ex natura rei ab ipsis tribus partibus assensus respicientibus prædicta.

Secundò est difficultas, an in actu Fidei diuinę respectus ad obiectum materiale sit reipsa, seu ex natura rei distinctus a respectu ad obiectum formale.

Sunt qui existiment in actu Fidei diuinæ respectũ ad obiectum materiale creditum vt quod, in quo ratio assensus seu

iudi-

iudicijs consistit (quia soli obiecto materiali assentimur, vt quod) ex natura rei distingui a respectu ad obiectum formale, nempe ad diuinam reuelationem tanquam ad id, ob quod assentimur, & hunc respectum esse re ipsa superadditum alteri respectui, & ipsi accidentalem, quia idem obiectum materiale Fidei, v.g. Trinitas credi potest ob testimonium diuinum, & ob testimonium humanum: in vtroque autem casu assensus ex parte obiecti materialis est idem, quia in vtroque casu tendit in idem obiectum materiale, & in vno casu assensus ille est ob testimonium diuinum, & in altero ob testimonium humanum: ergo in actu Fidei diuinæ respectus in quo consistit assensus, est re ipsa distinctus ab altero respectu, in quo consistit, eum assensum esse ob testimonium Dei, quia respectus in quo consistit assensus potest esse absque altero respectu ob testimonium diuinum: imò respectus ad obiectum formale, vtpote supponens alterum est posterior, & superadditus re ipsa respectui ad obiectum materiale: imò vt modus illum modificans: quia ratione huius posterioris respectus, prior ille, in quo consistit assensus, se habet tali modo, quia eo posteriori respectu assensus ipse fit assensus ob testimonium Dei.

Soar. verò disput 6. sect. 5. & Becan. cap. 8. quæst. 2. docent & meritò, in actu Fidei diuinæ respectus ad obiectum materiale, & ad formale non distingui ex natura rei, sed tantum ratione: imò respectum ad obiectum materiale esse rationem genericam assensus Fidei diuinæ, & respectum ad obiectum formale esse rationem differentialem essentialem illius: & in primis dictos respectus non distingui ex natura rei, probatur, quia assensus Fidei obiecti materialis reipsa elicitur ob testimonium diuinum, & nequit aliter elici: ergo in ipso assensu obiecti materialis, & in substantia ipsius inclusus, & imbibitus est respectus ad testimonium diuinum: ergo respectus ad obiectum materiale, in quo formaliter consistit ratio assensus, non distinguitur ex natura rei à respectu ad diuinum testimonium, ob quod substantia assensus elicitur, sed tantum ratione. Quod verò respectus ad obiectum materiale sit ratio generica, & respectus ad obiectum formale sit differentialis, constat,

quia respectus ad obiectum materiale, in quo formaliter consistit ratio assensus, est indifferens, vt sit, vel ob testimonium diuinum, vel ob humanum, & est ratio superior ad assensum Fidei diuinę, & ad assensum Fidei humanæ: & respectus ad testimonium diuinum est contrahens rationem assensus Fidei, vt sit assensus Fidei diuinæ, & est ipsi assensui in particulari essentialis, & respectus ad testimonium humanum est contrahens rationem assensus Fidei, vt sit assensus Fidei humanę, & est ipsi in particulari essentialis: ergo in actu Fidei diuinę respectus ad obiectum materiale est genericus, & respectus ad obiectum formale est differentialis, & est essentialis.

Vnde assensus Fidei eiusdem obiecti materialis, v.g. Trinitatis ob testimonium Dei, & ob testimoniũ hominis physicè, & ex natura rei est duplex quoad substantiam, & diuersę speciei, & non vnus, & idem. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

DIFFICVLTAS IIII.

Vtrum actus Fidei diuinæ generetur per discursum.

DIFFICVLTAS Hæc procedit de actu Fidei diuinæ, quo credimus rem immediatè, seu seipsa reuelatam moti ob ipsam reuelationem.

Durand. in 3. distin. 24. quæst. 1. Gabr. distin. 23. quæst. 2. art. 1. Almain. tract. 2. moralium, cap. 3. Becan. cap. 8. quæst. 3. docent actum Fidei diuinę, quo credimus rem immediatè, seu in seipsa reuelata generari per discursum, seu esse discursiuum, quia qui credit rem ob reuelationem diuinam, assentitur ipsi rei, quia assentitur reuelationi: ergo ibi est discursus, saltem enthimematis, in quo semper in antecedenti supprimitur, seu subinteiligitur altera propositio: Consequentia patet, quia assensus, quo assentimur rei

reue-

reuelatę ob diuinam reuelationem procedit ex altero aſsen ſu, nempè ipſius reuelationis diuinę, tanquam ex cauſa, vt denotatur illa particula cauſali *quia*, poſita in antecedenti. Et confirmatur, quia in eo, qui credit Fide diuina, ſemper interuenit iſte diſcurſus, *Quidquid Deus dicit, eſt verum, ſed Deus dicit ſe eſſe trinum, & vnum: ergo Deum eſſe trinum, & vnum, eſt verum.*

Caietanus verò 2. 2. queſt. 1 artic. 1. Soar. diſput. 6. ſect. 4. Valentia diſput. 1. puncto 2. Ægid. diſput. 9. dub. 7. & Granado tractat. 9. diſput. 1. docent actum Fidei diuinæ non generari per diſcurſum, ſeu non eſſe diſcurſiuum, & meritò: quia actus Fidei diuinæ eſt, aſſentiri propoſitioni à Deo reuelatæ immediatè ob diuinam reuelationem, ſeu quia Deus reuelauit, quia hoc eſt credere Deo dicenti, in quo actus Fidei diuinæ conſiſtit, & non eſt actus Fidei diuinæ aſſentiri propoſitioni reuelatæ eam inferendo ex præmiſsis, in quibus reuelatio ipſa diuina ſit medium, quia hoc non eſt credere Deo dicenti, ſed eſt intellectum aſſentiri, propoſitioni reuelatæ abſque aliquo obiecto formali, ſeu motiuo formali immediato ex eo ſolum quod intellectus aſſentitur præmiſsis obiectiuis, & connexioni obiectiuæ propoſitionis à Deo reuelatę cum ipſis præmiſsis, ex quibus infertur ipſa propoſitio reuelata concurrentibus ipſis præmiſſis obiectiuis, & connexione ipſa obiectiua propoſitionis reuelatæ, illatæ ex illis, tanquam cauſa formali extrinſeca remota (quæ dici poteſt rationalis) ſeu tanquam motiuo formali extrinſeco remoto, mouendo prius, & excitando obiectiuè intellectum medio aſſenſu ipſarum præmiſſarum, & medio aſſenſu dictæ connexionis, vt cauſalitatibus ad eliciendum aſſenſum concluſionis illatæ, & non proximè, & immediatè ea proportione, qua finis eſt cauſa remotè motiua finaliter ad electionẽ medij influẽs finaliter remotè in ipſam electionẽ mediante intentione ipſius finis tanquã cauſalitate, qua voluntas prius mouetur, & ſic mota poſteà eligit medium, mota poſteà immediatè obiectiuè materialiter ab ipſo medio, & formaliter immediatè ab vtilitate medij, in quo electio diſtinguitur ab aſsẽſu cõcluſionis, quia iſte caret obiecto formali, ſicut generaliter omnis actus intelle

ctus excepto actu Fidei tam humanæ, quàm diuinæ, & ea proportione, qua consulens est causa remotè motiua moraliter ad opus, influens moraliter remotè in opus ipsum medio consilio, tanquam causalitate, quo prius mouetur ille, qui consulitur, & sic motus posteà operatur: dicuntur ergo præmissæ & finis, & causa moralis influere remotè in suos effectus, quia influunt in illos, mouendo prius ipsam causam physicam ipsorum effectuum, vt eos operetur, quia finis influit in electionem mouendo prius, media intentione voluntatem ad electionem, & præmissę mouendo prius intellectum medio assensu ipsarum ad assensum conclusionis, & consulens mouendo prius medio consilio personam consultam ad opus.

Ad rationem ergo aduersariorum negamus eum, qui credit propositionem in seipsa reuelatam ob diuinam reuelationem assentiri ipsi propositioni, quia assentiatur reuelationi diuinæ, sed immediatè, quia Deus reuelat, seu dicit, quia ipsa reuelatio, seu dictio est, quæ immediatè mouet tanquam obiectum formale ad ipsum assensum Fidei, quia dictio, seu reuelatio propositionis est apta, vt immediatè moueat ad assensum propositionis dictæ, seu reuelatæ vtpote relatio, seu narratio immediata, & formalis ipsius propositionis relatæ, seu dictæ, in quo dictio, seu relatio distinguitur à causa, ex qua deducitur cognitio effectus, quia causa non mouet immediatè, ad cognitionem effectus, quia in causa non continetur effectus formaliter, sed tantum virtualiter, & in quo distinguitur ab effectu, ex quo deducitur cognitio causæ, quia effectus non mouet immediatè ad cognitionem causę, quia causa non est formaliter in effectu, sed tantum est in eo tanquam principium, & virtus ipsius effectus. Assensus ergo, quo prius assentimur reuelationi diuinę, quàm propositioni reuelatę, tantum deseruit, vt conditio applicans intellectui reuelationem propositionis, & non vt causalitas, seu influxus reuelationis: & sinè si concurreret vt causalitas reuelationis, redderet assensum Fidei incertum, sicut & ipse assensus reuelationis est incertus saltem metaphysicè, quia inniteretur assensui reuelationis, vt causalitati, seu influxui.

Ad

Ad confirmationem admittimus in credente Fide diuina interuenire dictum illum discursum, siue expressè, siue confusè, nempe *Quidquid Deus dicit, est verum, sed Deus dicit se esse trinum, & vnum: ergo Deum esse trinum, & vnum, est verum*: nihilominus assensus huius conclusionis, vt illatæ ex præmissis non est Fidei diuinę, sed est alius assensus, qui aliquando est incertus, & obscurus, quãdo scilicet minor est incerta & obscura; & aliquãdo est certus, & euidẽs euidentia in attestãte modo dicto disp. 2. dif. 3. quãdo scilicet minor dicti discursus est certa, & euidẽs, assensus tamẽ dictę cõclusionis, seu propositionis est Fidei diuinę, quando elicitur immediatè ob diuinam reuelationem immediatè applicatam assensui dictę minoris, etiam quando iste assensus est incertus, quia tunc assensus immediatè elicitus ob diuinam reuelationem non innititur assensui incerto reuelationis, adhuc tanquam causalitati, seu influxui ipsius reuelationis, quia tunc assensus iste, seu iudicium reuelationis tantum est conditio, sed solum innititur reuelationi diuinæ tanquã motiuo formali immediato, cui non potest subesse falsum.

Id autem quod diximus, nempe actum Fidei diuinæ non esse discursiuum, etiam est verum de actu Fidei humanę, quia etiam iste immediatè est ob testimonium hominis, quia credere Fide humana, est credere homini dicenti: notitia autem testimonij humani prę suppositia tantum est applicatio ipsius testimonij humani, non causa, neque causalitas, seu influxus in actum Fidei humanę, sicut neque notitia testimonij diuini est causa, neq; influxus in actum Fidei diuinę.

DIFFICVLTAS V.

Vtrum actus Fidei diuinæ sit supernaturalis in sua substantia.

SVPPONIMVS Actum Fidei diuinę non posse à nobis elici absque dono, seu auxilio gratię, vt significat Paulus ad Ephes. 1. *Vobis donatum est pro Christo non solum, vt in eum creditis, &c.* Et definitum est in Concilio Arausicano

2 Can. 2. & in Tridentin. sess. 6. Can. 3. & 4

Hoc supposito conueniunt Theologi, actum Fidei diuinæ esse aliquo modo supernaturalé. Dissentiunt tamen, an sit supernaturalis quoad substantiam, seu essentiam, an tantum quoad modum aliquem.

Caietan. 2.2 q. 171. art. 2. Palud. in 3. distinct. 23. q. 3. Capreolus in 1. distin. 17. quæst. 1 art. 3. & Sotus 1. de natura, & gratia, cap. 22. docent actum Fidei diuinæ esse naturalem quoad substantiam, & supernaturalem quoad modum (quamuis non conueniant in explicando modum, quoad quē sit supernaturalis) quod deduci videtur ex illo Iacobi 2. *Tu credis quia vnus est Deus, benè facis, Dæmones credunt, & contremiscunt*, vbi Iacobus intendens solam Fidem non sufficere ad iustificationem, quia Dæmones, qui non sunt iusti, etiam credunt, supponit in nobis, & in Dæmonibus esse Fidem eiusdem rationis, & perfectionis, aliâs si Fides in nobis, esset perfectior, & altior, argumētum Iacobi nō esset efficax ad probandum solam Fidem in nobis non iustificare ex eo, quod sit in Dæmonibus, quia mirum non esset, quod Fides perfectior iustificet, quamuis minus perfecta id non efficiat, sed in Dæmonibus non est Fides supernaturalis in sua substantia: ergo neque in nobis. Quod etiam probari potest exemplo Fidei hæreticorum, quia in his est Fides aliquorum mysteriorum, & ob reuelationem diuinam, ac proin de eiusdem rationis, & speciei cum Fide, quam habent catholici, sed in hæreticis actus Fidei nō est supernaturalis quoad substantiam: ergo neque in catholicis.

Et ratione probatur, quia viribus naturalibus possumus credere ob testimonium humanum: ergo etiam ob diuinum, quia hoc, vtpote maioris authoritatis est magis efficax ad mouendum intellectum: ergo actus Fidei diuinæ est naturalis quoad substantiam, vtpote viribus naturalibus elicitus.

Medina verò 1.2. quæst. 62. artic. 2. Vazq. disput. 187. Molina in concordia quæst. 14. disput. 7. Soar. disp. 6. sect. 5. Turrian. disput. 46. dub. 3. & Ægid. disput. 4. dub. 3. docent actum Fidei diuinæ esse supernaturalem quoad substantiam, & meritò: quia omnis actus tam intellectus, quàm

volun-

voluntatis habens obiectum, seu motiuum formale, qualis est actus Fidei diuinæ sumit suam substantiam, seu essentiam ex obiecto formali, seu ex materiali, vt subest formali: obiectum autem formale Fidei diuinæ est supernaturale, quia est reuelatio diuina, quæ neque in indiuiduo, neque in specie est debita alicui creaturæ naturali, ac proinde est supra omnem creaturam naturalem: quia omne accidens, aut quasi accidens, quod neque in indiuiduo, neque in specie est debitum alicui creaturæ naturali, est supernaturale: ergo substantia, seu essentia actus Fidei diuinæ est supernaturalis.

Iacobus autem vbi suprà, quamuis non supponat, neque admittat in Dæmonibus Fidem diuinam (vt verè non admittit) sed alium assensum improprie dictum Fidem; nihilominus efficaciter arguit exemplo Fidei Dæmonum contra hæreticos illius temporis, qui existimabant Fidem vndequaque conceptam, quamuis non diuinam, sufficere sine operibus ad salutem, facientes vim non tam in modo credendi, quàm in obiecto, vt credito, & in firmitate assensus circa illud quod etiam in Dæmonibus reperitur.

Ad exemplum Fidei hæreticorum constabit disp. 7. diffi. 5. vbi dicemus in eo, qui adhuc culpabiliter discredit aliquē articulum posse esse actum Fidei diuinæ, seu ob reuelationem diuinam, & actum supernaturalem quoad substantiam, quamuis non simpliciter supernaturalem, sed tantum secundum quid, quia in illo actus ille non est Fidei infusę, seu non procedit ab habitu infuso Fidei (quo spoliatur ob peccatū hæresis) â quo actus Fidei (à quo procedit in catholico) procedit simpliciter supernaturalis alterius, & altioris speciei, quàm actus non procedens ab habitu infuso.

Et ad rationem concedimus antecedens, & negamus cōsequentiam. Et adprobationem respondemus, quod quamuis testimonium diuinum sit magis efficax ad mouendum intellectum, quam testimonium humanum: nihilominus, quia est supernaturale ideo tantum mouet ad actum supernaturalem, quoad substantiam, saltē secundum quid, ac proinde ad actum, cui viribus naturę nequit elici absq; auxilio gratię imò neque absque habitu infuso, aut concursu Dei supplente vicem habitus infusi

DIFFICVLTAS. VI.

Qualis sit actus Fidei diuinæ.

CONVENIVNT Primò Theologi actum Fidei diuinæ esse infallibiliter, aut indefectibiliter verum, dum dicunt Fidei diuinæ non posse subesse falsum, quod sub his verbis expressit Tridentinum sess. 6. cap. 9. & meritò: quia veritas prima, vt reipsa reuelans, est obiectum formale Fidei, cui, actus Fidei diuinæ innititur: repugnat autem primæ veritati reuelare id quod est falsum: ergo etiam repugnat actum Fidei diuinæ esse falsum.

Conueniunt secundò Theologi actum Fidei diuinæ esse obscurum, quod significat Paulus ad Hebræos 11. illis verbis, *Fides est argumentum non apparentium*, & meritò: quia motiuum formale cui innititur actus Fidei diuinę, est reuelatio diuina, quę non demonstrat, seu ostendit rem reuelatam, vt est in se ac proinde non ostendit illam euidenter intuitiuè, neque est causa rei reuelatę, neque est effectus illius, ac proinde, neque ostendit illam euidenter abstractiuè. Est autem obscurus formaliter, seu vt in se, id est non ostendens obiectum, non tamen est necessariò obscurus concomitanter, quia non excludit à subiecto euidentiam abstractiuam obiecti crediti habitam ex causa, aut ex effectu vt diximus disput. 2. difficult. 10. quia obiectum, quod Fide diuina creditur, potest etiam euidenter abstractiuè cognosci alio actu.

Conueniunt tertiò Theologi actũ Fidei diuinæ esse certum, quod negari nequit, vt statim constabit.

Est tamen difficultas, an actus Fidei diuinæ sit certior cognitionibus euidentibus viatorum.

Durand. in 3. distin. 23. q. 7. docet actum Fidei diuinæ esse minus certum, quàm actus euidentes scientiarum, tam certitudine euidentiæ, quàm certitudine adhæsionis, seu firmitatis assensus: quod etiam docuisse videtur Hug. de Sancto Victore lib. 1. de Sacramentis, p. 10. c. 1. dum ait, *Fidem esse certitudinem supra opinionem, & infra scientiam*,

Bona-

Bonauentura in 3. diſt. 23. artic. 1. quæſt. 4. docet actum Fidei diuinæ eſſe certiorem actu euidente ſcientiæ certitudine adhæſionis (id eſt, firmitate affectus voluntatis) minus tamen certam certitudine ſpeculationis, quod ſub aliis terminis etiam videtur docuiſſe Alexander 3. part. q. 86. m. 9. artic. 1.

S. T. q. 4. art. 8. quem Thomiſtæ communiter ſequuntur docet actum Fidei ex parte cauſæ eſſe certiorem actu ſcientiæ euidentis, eſſe tamen minus certum ex parte ſubiecti.

Pro clariori tamen intelligentia huius difficultatis, quæ magna ex parte tantum eſt de nomine, obſeruandum eſt, vt optimè Vazq. 1. p. q. 1. art. 5. certitudinem dupliciter ſumi, vno modo pro determinatione aſſenſus abſque hæſitatione, & formidine, quamuis falſus ſit, qui enim determinatè aliquid iudicat abſque formidine (id eſt, abſque iudicio reflexo, quo iudicet, forſan in hoc iudicio fallor) dicitur eſſe certus: & è contra qui non habet aſſenſum determinatum abſque formidine, ſed cum ea, dicitur eſſe incertus. Altero modo ſumitur certitudo pro veritate aſſenſus, cui non poſſit ſubeſſe falſum, & iuxta hanc acceptionem *verè iudicare* dicitur Hiſpanè *acertar*.

Hoc ergo ſuppoſito dicendum eſt aſſenſum euidentem viatoris, ſiue ſciētiæ, ſiue primi principij certiorem eſſe primo modo certitudinis aſſenſu Fidei diuinę habito ob teſtimonium Dei non conſtans euidenter, vt regulariter nō conſtat: è contra verò aſſenſum Fidei diuinę certiorē eſſe quoad modum quocumque aſſenſu euidenti viatoris certitudine ſecundò modo ſumpta: id eſt, magis neceſſariò, & indefectibiliter eſſe verum.

Ratio prioris partis eſt, quia intellectus magis determinatur, & cogitur euidentia obiecti ad ei aſſentiendum, quam ad aſſentiendum rei creditæ ob teſtimonium Dei obſcurè conſtans, & facilius inſurgit dubitatio, & formido circa rem ſic creditam, quām circa rem â viatore euidenter cognitā ob debilitatē applicationis diuini teſtimonij, obquod res creditur. Et id eſt, quod S. T. vbi ſuprà docet actū Fidei diuinę ex parte ſubiecti, & quoad nos eſſe minus certū, ideſt, minus determinatū, & maiorē locum relinquere formidini.

Addi-

Addidimus in priori parte *assensu diuinæ Fidei habito ob testimonium Dei non constans euidenter*, quia actus Fidei diuinæ habitus ob testimonium Dei euidenter constans certior est certitudine primo modo sumpta, quàm assensus euidens viatoris, quia testimonio Dei euidente magis determinatur; & cogitur intellectus ad assentiẽdum rei à Deo dictæ, quam ad assentiendum rei demostratę, & difficilius insurgit dubitatio, & formido circa rem sic dictam à Deo ob infinitã authoritatem Dei ad testificandum verum: imò, & quàm ad assentiendũ primis principijs, si testimonium Dei non minus euidenter constet, quam veritas primorum principiorum.

Ratio posterioris partis est, quia assensus Fidei diuinæ innititur testimonio principę veritatis habentis authoritatem infinitam ad testificandum verum, ita vt ipsi infinitè repugnet testificari falsum, ergo assensus Fidei diuinę magis necessariò, & magis indefectibiliter est verus, seu magis necessario, & indefectibiliter attingit verè rem creditam, quàm assensus euidens viatoris, siue obiecti demonstrati, quamuis increati, siue primorum principiorum, vel quia obiectũ huius assensus euidentis viatoris est creatum, quod non habet tantam necessitatem, quantam authoritatem habet prima veritas ad testificandum verum, vel quia si obiectum assensus euidentis viatoris est increatum, non attingitur eo assensu prout est in se, sed media illatione ex creaturis; & ideſt, quod S. T. docet vbi supra actum Fidei diuinæ esse certiorem ex parte causę.

Addidimus in posteriori parte actum Fidei diuinę esse certiorem secundo modo quocumque assensu euidenti viatoris, quia non est certior visione beatifica, quia hęc verè attingit Deum intuitiuè, & vt est in se, ac proinde veritas ipsius non est minor, seu non est minus necessaria, quam veritas assensus Fidei diuinę, sed non est maior, quia non magis repugnat visioni falsitas, quam actui Fidei diuinę.

Actus ergo Fidei diuinę certior est secundo modo assensu euidenti viatoris, non quoad substantiam certitudinis, quasi sit verior, quia vnus non est verior altero, neque è contra, sed quoad modum, nempe necessitatis, & indefectibilitatis, quia scilicet magis indefectibiliter, & necessariò est

verus

verus, seu quia ei magis repugnat subesse falsum, qua so'a ratione vnus actus potest esse certior altero certitudine secundo modo, non verò quoad substantiam, quia vnus nequit esse verior altero.

Ex dictis constat, quomodo sit vera sententia S. Thomæ, quæ communis est, & quid veritatis habeant sententiæ Durandi & Bonauenturæ.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrum actus Fidei diuinæ pendeat â voluntate.

CONVENIVNT Theologi, intellectum pendere à voluntate (siuè mediatè, siuè immediatè) ad eliciendum actum Fidei diuinæ, quod exprimunt Augustinus tract. 26. in Ioann. dum ait, *Multa potest homo facere non volens: credere autem non potest, nisi volens.* Et Bernardus lib. 5. de consideratione cap. 6. dum ait, *Fides est voluntaria quædam, & certa prælibatio nondum prospalata veritatis.* Et id supponitur in Concilio Arausic. can. 5. dum in eo dicitur, *Si quis sicut augmentum, ita & initium Fidei ipsum credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui iustificat impium.* Vbi supponit ad assensum Fidei prærequiri affectum credendi, quia supponit esse initium credendi, & nos eo credere. Et id deducitur ex Trid. sess. 6. c. 6. & ex scriptura ad Rom. 1. & Actor. 6. & 2. ad Corinth. 10. dum in eis supponitur nos liberè credere, & obedire Fidei, & captiuare intellectum in obsequium Fidei, quia si actus Fidei non penderet à voluntate, non posset esse liber.

Et ratione probatur, quia testimonio diuino obscurè, & ordinariè, quamuis sufficienter, proposito, & applicato intellectui ad credendum ob illud, non necessitatur, seu cogitur intellectus ad credendū (imo non rarò positiuè discredit) sed manet indifferens ad credendū, & ad non credendū, & ad credendū, & ad discredendū, ergo eo testimonio sic applicato nō sufficiēter determinatur intellectus ad credēdū, cōsequētia

patet,

patet, quia si eo sufficienter determinaretur, eo etiam verè necessitaretur, quia sufficiens determinatiuum potentiæ nõ liberę, sed naturalis (qualis est intellectus) verè necessitat, ergo si intellectus post sufficientem propositionem, & applicationem obscuram, & ordinariam diuini testimonij nó manet sufficienter determinatus ad credendum, sed verè indifferens, absque dubio indiget determinari ad credendum, à voluntate, ad id autem non sufficit intellectui, quod voluntas non resistat, seu negatiuè se habeat (vt contra Scotum in 3. dist. 25. q. 2. & contra Henricum Gandauensem quodlib. 5. q. 21. docent communiter Theologi) quia non resistentia voluntatis, quę nihil est, nequit determinari intellectus aliàs indifferens, sed necessarius est illi actus positiuus voluntatis, quo voluntas positiuè imperet, & moueat ipsum intellectum ad credendum, vt significat Augustinus, & supponit Concilium Arausic. vbi suprà: primum autem antecedens, nempe testimonio diuino ordinariè, & obscurè applicato, quamuis sufficienter, intellectum non necessitari ad credendum, constat primò experientia; vel quasi experientia, qua id quotidie experimur: secundò ex scriptura actorum 17. & 18. & Marci vltimo, & in alijs locis, dum in eis supponitur post factam sufficientem prædicationem, seu propositionem Euãgelij, & diuini testimonij, & eorum applicationem, alios credere, & potuisse non credere, & alios discredere, & potuisse credere: tertio idem antecedens ratione probatur, & primo à priori, quia motiuum, quo regulariter, & ordinariè applicatur diuinum testimonium, seu iudicatur Deum res nostrę Fidei reuelasse, quale est testimonium alicuius, vel aliquorum, quos fidedignos existimamus, non conuincit Deum eas reuelasse, etiamsi eo motiuo generari possit prudens, seu cordatum iudicium, quo prudenter iudicetur Deum illas reuelasse ergo intellectus regulari, & obscura propositione diuinæ reuelationis rerum credendarum non necessitatur ad credendum Deum illas reuelasse, ac proinde neque ad credendum ob reuelationem Dei res ipsas reuelatas esse veras.

Secundò idem antecedens ratione ab absurdo probatur, quia alias actus Fidei diuinæ, vt regulariter elicitur à

fide-

fidelibus, non posset esse in seipso, seu ratione sui voluntarius, & liber, & consequenter neque bonus, & meritorius ratione sui, quod est absurdum. Addimus prædictum antecedens esse verum quamuis diuina reuelatio applicetur, seu credatur ob fundamentum illud coalescens ex motiuis, quæ attulimus disp. 3. diffic. 4. quo res nostræ Fidei fiunt euidenter credibiles quoad reuelationem, quia fundamentum illud non conuincit physicè intellectum, quamuis illud moraliter conuincat, ac proinde intellectus indiget imperio, seu affectu voluntatis, quo ad id physicè determinetur.

Intellectus ergo regulariter, & ordinariè, etiam quando diuina reuelatio creditur ob illud fundamẽtum, quo res nostræ Fidei fiunt euidenter credibiles quoad ipsam reuelationem pendet ab imperio, seu motione positiua voluntatis nõ tantum vt applicetur ad apprehendendum simplici apprehensione diuinam reuelationem, & motiuum, quo eam credimus, & ad apprehendendos terminos rerum reuelatarum (quoad quod aliquando dependet, quamuis non semper) sed etiam pendet quoad assensum Fidei humanæ, quo credimus ipsam reuelationem, qui prærequiritur ad assensum Fidei diuinæ, quo credimus res a Deo reuelatas esse veras, quia motiuum, quo regulariter ducimur ad credendum Fide humana Deum res nostræ Fidei reuelasse, eo modo, quo nobis regulariter proponitur, non conuincit, intellectum saltem physicè ad id credendum Fide humana, sed relinquit illum indifferentem saltem physicè ad credendum diuinam reuelationem, & ad non credendum illam: imo ad credendum, & discredendum positiuè, quando aliàs apparet ratio aliqua sufficiens ad discredendum, vt apparere: potest intellectus, ergo quoad assensum Fidei humanæ, quo credimus Deum res nostræ Fidei reuelasse, pendet ab imperio voluntatis, non solum quoad exercitium dicti assensus, quia intellectus absque eo imperio nequit diuinam reuelationem credere, & eo imperio accedente credit, sed etiam quoad specificationem, quando aliàs apparet ratio aliqua sufficiens ad discredendum, quia absque imperio voluntatis nequit credere, neque discredere, & eo accedente credit, aut discredit pro libertate, et imperio voluntatis. Addidimus quando aliàs

apparet

apparet ratio aliqua sufficiens ad discredendum, quia si non appareat, nō pendebit quoad specificationem, quia tunc nequit discredere ex defectu motiui requisiti ad discredendum, et non quia conuincatur ad credendum.

Addimus autem quod quamuis prædicto assensu Fidei humanæ, quo credimus Deum reuelasse res nostræ Fidei semel elicito, & perseuerante nequeat intellectus dissentiri rei reuelatæ a Deo (si persuasus sit, vt regulariter contingit Deū non posse affirmare falsum) quia tunc cum eo assensu Fidei humanæ reuelationis diuinæ nequit in intellectu esse dissensus circa rem reuelatam a Deo, quod est necessariò quoad specificationem assentiri rei reuelatæ ex suppositione illa: nihilominus adhuc eo assensu Fidei humanæ reuelationis diuinæ elicito, & perseuerante, intellectus non necessariò credit quoad exercitium rem reuelatam a Deo, quia diuina reuelatio assensu Fidei humanæ credita non conuincit saltem physicè intellectum ad credendum rem reuelatam (etiāsi nequeat eam discredere) quia intellectus non conuincitur ad assentiendum rei quoad exercitium, nisi quando euidenter apparet res ipsa, aut aliquid ex quo euidēter infertur saltem extrinsecè, sicut infertur ex diuinā reuelatione, ac proinde intellectus adhuc præsuppositio assensu Fidei humanæ circa diuinam reuelationem pendet à nouo imperio, seu affectu volūtatis, vt quoad exercitium assentiatur rei reuelatę ob ipsam reuelationem, quidquid dicant Scotus in 3. dist. 25. q. 2. & Vazq. in manuscriptis q. 4. art. 2.

Intellectus ergo ad credendum Fide diuina res à Deo reuelatas, vt ordinariè proponuntur, indiget duplici imperio, seu affectu voluntatis; altero ad credendum Fide humana diuinum testimonium, quæ requisita est ad actum Fidei diuinæ rei testificatæ, & altero ad immediatè credendum Fide diuina rem ipsam à Deo testificatam. Addidimus *vt ordinariè proponuntur*, quia quando diuinū testimoniū, euidenter physicè constat intellectui, tunc intellectus non pendet à voluntate non solum quoad cognitionem euidentem diuini testimonij prærequisitam ad actum Fidei diuinæ rei testificatæ, quia ad eā cognitionē physicè conuincitur intellectus, ac proinde cogitur, rapitur, & necessitatur, sed neque quoad

actum

actum ipsum Fidei diuinæ rei testificatę, quia testimonio diuino euidenter cognito etiã conuincitur physicè, & cogitur ad actũ Fidei diuinę rei testificatę, quia res testificata est euidenter connexa cũ diuino testimonio euidẽter noto, ac proinde quando applicatio prævia ad cognitionẽ euidentẽ diuini testimonij non pendet â voluntate (vt potest contingere, & non rarò) tunc ipse actus Fidei diuinæ nullomodo pendet â voluntate, neque aliquo modo est liber.

Ex dictis constat actum Fidei humanæ, & actum opinionis immediatè, & in seipsis pendere ab imperio, seu affectu voluntatis, non tantum quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem, quando apparet ratio aliqua aliàs sufficiens ad dissentiendum, vt contra Ægidium disp. 13. n. 40. aduertit Lorca nu. 8. quia scilicet motiuum Fidei humanę, & motiuum opinionis non conuincunt intellectum ad assentiendũ rei credibili, neque opinabili, neque conuincunt ad non dissentiendum, quando aliàs apparet ratio aliqua sufficiens ad dissentiendum: bene tamen conuincunt ad non dissentiendũ quando non apparet: ob quod non possumus discredere Romam esse, quia scilicet nulla apparet ratio alias sufficiens ad id: quia tamen motiuum, quo credimus Romam esse, nempe tanta gentium multitudo id affirmantium absque hæsitatione, non conuincit physicè Romam esse, quamuis conuincat moraliter, ideo intellectus, indiget imperio voluntatis, vt quoad exercitium credat Romam esse.

Obseruandum est, quod quamuis homo prauè affectus circa materias virtutum moralium difficile assumat Fidem diuinam, seu incipiat credere iuxta illud Ioann. 5. *Quomodo potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis*: Nihilominus priuatio dicti mali affectus non est omnino necessaria, neque bona affectio circa dictas materias, neque generalis affectio sciendi, quæ oportet, quia neque priuatio bonæ affectionis, siue particularis, siue generalis, neque dicta praua affectio aufert sufficientiam motiui ad credendum, neque impedit imperium voluntatis ad id, & hæc duo sufficiunt intellectui ad credendum.

Quod si contra dictam doctrinam obijcias, primò Arist. 3. de Anima c. 3. dicentem, *Imaginamur, cum volumus, opinari,*

autem non est in nostra potestate. Vbi *opinari* sumit pro *iudicare*, ergo actus Fidei qui est iudicium non pendet à voluntate. Respondemus Aristotelem tantum velle nos non posse, seu non esse in nostra potestate iudicare absque sufficiente aliquo motiuo, aut absque connexione aliqua prædicati cum subiecto saltem apparente, nihilominus semel acceptis speciebus sensibilibus posse nos, seu esse in nostra potestate applicare phantasiam ad imaginandum absque motiuo aliquo, & absque connexione rerum.

Quod si secundò obijcias diuinum testimonium sufficienter propositum sufficere ad mouendum intellectum ad credendum, ergo non est necessaria motio voluntatis. Respondemus diuinum testimonium sufficienter propositum sufficere ad mouendum intellectum, quia tamen vt ordinariè proponitur, non conuincit physicè intellectum, nec determinat, sed eum relinquit indifferentem; ideo necessaria est motio voluntatis, vt quasi efficienter suppleat vim conuictuam, seu determinatiuam obiecti.

Est tamen difficile, an Deus sua potentia absoluta possit intellectum non conuictum ad assentiendum obiecto ipsi sufficienter proposito, immediatè determinare ad id, absque affectu voluntatis. Circa quod videtur dicendum posse (vt aduertunt Turrianus disp. 29. dub. vltimò, & Granado tract. 9. d sp. 2.) quia videtur, quod sicut Deus in concurrendo cũ intellectu, ipsi accommodatur, etiam pro sua voluntate possit attrahere intellectum ad assentiendum, & ipsum sibi accommodare.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrum affectus credendi Fide diuina sit naturalis, an supernaturalis in sua substantia.

SVPPONIMVS Quod nullus negare potest, ad assensum Fidei humanæ, quo credimus res nostræ Fidei esse reuelatas à Deo, qui est præuius, & prærequisitus ad actum Fi-

dei

dei diuinæ,& ad quem prærequiritur affectus voluntatis,quo voluntas velit, quod intellectus illum eliciat, sufficere affectũ naturalẽ quoad substantiã, sicut & ipse assensus Fidei humanæ,quẽ affectus habet pro obiecto,&pro effectu morali,& ad quẽ impellit intellectũ, est naturalis quoad substantiam.

Vnde quia Scotus in 3. dist. 25. quæst. 2. & Vazq. 2. 2. q. 4. art. 2. in manuscriptis non agnoscunt alium affectum voluntatis nisi prædictum,quo voluntas immediatè impellit ad dictum assensum Fidei humanę testimonij diuini, & mediatè ad assensum Fidei diuinę rei testificatę, ideò absolutè docent ad assensum Fidei diuinę sufficere affectũ in sua substantia naturalem: & quia iuxta uostram doctrinam difficultate præcedenti traditam, nempe adhuc supposita Fide humana qua credimus reuelationem diuinam,requiriturnouus affectus, quo intellectus immediatè impellatur, & determinetur ad credendum Fide diuina rem reuelatam, ideo nobis supereſt difficultas,an affectus iste secundus,& nouus debeat esse supernaturalis in sua substantia.

Circa hanc difficultatem Soar.disp.6.sect.7.Lorca disp. 31.Turrianus disp.46.dub.6.Ægid.disp.13.dub.5.Becanus cap.8.q.5.& Petrus Hurtado disp.46.sect.1. docent dictum secundum affectum debere esse supernaturalem quoad substantiam. Quod indicare videntur Patres, & Concilia, dum ad affectum credendi requirunt donum gratiæ, & inspirationem Spiritus Sancti,& eisdem verbis, quibus ad ipsum actũ Fidei diuinę, ergo sicut iste actus est supernaturalis in substantia,ita etiam sentiunt affectum illum debere esse talem. Et id ratione probatur primò, quia obiectum dicti affectus prærequisiti tam materiale, quam formale est supernaturale, quia obiectũ materiale est ipse actus Fidei diuinæ,& formale est honestas,seu bonitas propria ipsius actus Fidei diuinę, quę est bonitas supernaturalis, sicut actus ipse Fidei diuinę, ergo dictus affectus debet esse supernaturalis in sua substantia. Secũdò,quia dictus affectus est supra exigẽtiã, seu debitũ naturę,vtpote procedẽs ex auxilio gratiæ;ergo est supra naturã, seu supernaturalis in sua substãtia. Tertiò,quia dictus affectus mouet efficaciter intellectũ ad actũ Fidei diuinæ in sua substantia supernaturalẽ,ergo etiã ipse debet esse talis.

Theologi verò non pauci docent, & meritò dictum secundum, & nouum affectum prærequisitũ immediatè ad credendum Fide diuina non debere esse supernaturalem, sed sufficere naturalem in sua substantia, quod etiam docet Scotus vbi supra ex suppositione quod admittatur dictus secundus, & nouus affectus. Et id absolutè existimat probabile Adamus q.6.dub.1. Ratio huius nostræ doctrinæ est, quia nullum apparet fundamentum, ob quod affectus naturalis in sua substantia non sufficiat ad mouendum intellectum ad assensum supernaturalem in substantia, quia etiam voluntas potest à seipsa excitari, & moueri ad affectum supernaturalem, v.g. contritionis, & dilectionis Dei ex affectu reflexo naturali eliciendi contritionem, & dilectionem Dei: potest autem affectus iste credendi Fide diuina esse naturalis in substantia, quamuis habeat pro obiecto materiali actum Fidei diuinæ in substantia supernaturalem, quia affectus ille potest elici ex motiuo aliquo naturali, siue vtilitatis naturalis, v.g. ad operandum bene moraliter; siue delectabilitatis naturalis, quas habet actus Fidei diuinæ. Quod vero intellectus moueatur affectu naturali voluntatis ad actum supernaturalem Fidei diuinæ, mirum non est, quia intellectus non pendet essentialiter in operando à voluntate, sicut voluntas pendet ab intellectu, ob quod etiam non est mirum, quod intellectus propositione, & Fide humana naturali diuini testimonij ab ipso elicita, moueatur ad actum supernaturalẽ Fidei diuinæ, quia scilicet à seipso non dependet essentialiter in operando, & ob id etiam mirum non est, quod voluntas affectu, seu desiderio naturali, v.g. eliciendi cõtritionẽ supernaturalẽ excitetur, & impellatur ad ipsam contritionem supernaturalem, quia scilicet voluntas non pendet essentialiter à seipsa in operando, sicut pendet ab intellectu.

Addimus dictum affectum credendi elicitum ante omnem actum Fidei diuinæ, seu elicitum ab eo, qui nondum credidit Fide diuina, non posse esse supernaturalem in substantia, quia ante actum Fidei diuinæ in viatore nulla agnoscitur cognitio supernaturalis in substantia, voluntas autẽ vtpote potentia cæca dependens essentialiter à cognitione, vt à propositione, qua sibi proponitur, seu præsentatur obiectum ma-

teriale,

teriale, & formale, indiget cognitione proportionata affectui eliciendo: id tamen non tollit affectū ad immediatè credendum Fide diuina elicitum poſt actū Fidei diuinæ, quo voluntati proponitur alius actus Fidei diuinæ, vt velit, quod intellectus illū eliciat, & quo eidē volūtati proponitur motiuū formale ſupernaturale, ob quod dictus affectus eliciēdus ſit, eſſe ſupernaturalē in ſua ſubſtantia, quia tunc affectus ille habet obiectū materiale, & formale ſupernaturale, & ad ipſum affectū præſupponitur in intellectu actus ſupernaturalis Fidei, quo voluntati proportionatè proponitur vtrumq; dictū obiectū, vt quando ex vno actu Fidei diuinæ, quo credit actū aliū Fidei diuinæ eſſe bonū, & honeſtū (quia hoc eſt de Fide) etiāſi expreſsè nō credat eſſe bonū ſupernaturaliter, quia eo ipſo credit, ſeu proponit bonitatē ſupernaturalē, quia in ſe, & quaſi re ipſa bonitas actus Fidei diuinæ eſt ſupernaturalis.

Ad tertiā ergo rationē aduerſariorū conſtat ex dictis: ex eo verò quod Patres, & Concilia contra reliquias Pelagianorum ad affectum credendi Fide diuina requirant donum gratiæ, & inſpirationem Spiritus Sancti, non conuincitur eū affectum debere eſſe ſupernaturalem in ſubſtantia, quia etiā reperitur donū gratię, & inſpiratio ordinis naturalis in ſubſtantia, & quamuis ſit ordinis naturalis, eſt donum gratiæ, quia in indiuiduo non eſt debitum ex vi creationis, quod autem eiſdem verbis requirant donum gratię ad affectum credendi, & ad ipſum actum credendi non conuincit affectū credendi debere eſſe ſupernaturalem in ſubſtantia, ſicut eſt ipſum credere, quia quod credere Fide diuina ſit ſupernaturale, non conuincitur ex dictis verbis, ſed ex obiecto formali ipſius, quod eſt ſupernaturale.

Et ad primā rationē reſpōdemus, quod quāuis obiectum materiale dicti affectus ſit actus ipſe ſupernaturalis Fidei diuinę, formale tamen non poteſt eſſe honeſtas ipſa ſupernaturalis, neq; aliud ſupernaturale, quando nō proponitur cognitione ſupernaturali, vt verè nō proponitur ad primū affectū credendi Fide diuina, quia abſq; cognitione ſupernaturali nō poteſt mouerivolūtas motiuo ſupernaturali, quia affectus volūtatis ex talimotiuo eſſet ſupernaturalis, quinequit elici abſq; præuia cognitione ſupernaturali ipſi proportionata.

Ad secundum respondemus dictum affectum credendi quoad suam substantiam non debere esse supra exigentiam seu debitum naturæ, quia potest esse ex obiecto formali naturali, ex quo substantia ipsius obiectiuè desumitur, & non debet esse ex obiecto supra debitum naturæ, quia obiectum formale illius potest esse naturæ conforme, & illi debitum: nihilominus eũ affectũ esse supra debitũ naturæ, quatenus procedit ex cogitatione, quia hæc in individuo; & determinatè nó est naturę debita, quãuis debita sit aliqua cogitatio eiusdẽ speciei vagè, & sub disiunctione, hæc videlicet, aut illa.

Quod si obijcias affectus, quo immediatè mouemur ad credendum Fide diuina, potest esse naturalis, ergo potest esse malus: & consequenter etiam actus ipse Fidei diuinæ, quia ex eo affectu vitiabitur, vtpote imperatus ab illo. Respondemus, quod quãuis possit esse, & aliquando sit aliquis affectus credendi Fide diuina malus ex malo fine, aut ex alia mala circunstantia, aut ex prohibitione actus Fidei diuinæ, ex eo tamen affectu non orietur de facto actus Fidei diuinæ, nõ quia affectus malus, quantum est ex se, non sufficiat ad actum Fidei diuinæ, quia verè sufficit, cum sit efficax, neque quia malitia, qua ex eo affectu inquinaretur actus Fidei diuinæ, huic actui repugnet, quia non repugnat, sed quia Deus ad actum Fidei diuinæ de facto ex meritis Christi, & non aliter infundit habitũ requisitum ad actum Fidei, aut quia ex eisdem meritis Deus ipse loco habitus specialissimè concurrit ad actum Fidei, ex meritis autem Christi Deus neutrum horum faciet, ac proinde Deus de facto non dabit cogitationem efficacem ad affectum malum credendi Fide diuina in occasione in qua ex eo affectu sequeretur actus Fidei diuinæ.

Ad credendũ ergo Fide diuina requiritur affectus pius, seu honestus, saltẽ ex suo obiecto, nẽpe ex actu Fidei diuinę, & nõ aliunde vitiatus, ad quẽ requisitũ est auxilium gratiæ per Christum: quod est verũ, etiamsi contingeret non esse formaliter bonũ ex defectu libertatis, quia quamuis non esset formaliter bonus, tamẽ esset vtilis, & necessarius ad actũ Fidei diuinæ, ad quẽ, quamuis non libere factum, si id contingeret, esset necessarium auxilium gratiæ, quia actus Fidei diuinæ

quamuis

quamuis esset necessarius, & consequenter non moraliter bonus, est supernaturalis, & vtilis ad vitam æternam, saltem vt propositio, & ad quem non requiritur aliud auxilium immediatum præter habitum infusum Fidei, aut aliud supplens vicem illius, quia cogitatio necessaria ad dictum affectum credendi tantum est mediatè, seu remotè necessaria ad actũ credendi.

Ex dictis constat ad credendum Fide diuina præter iudicium speculatiuum, quo Fide humana credimus Deum reuelasse rem, quam Fide diuina credimus, etiam requiri cognitionem, qua voluntati proponatur dictus actus Fidei humanæ, quia ad hunc actum requiritur in voluntate affectus, quo immediatè imperet intellectui eum actum speculatiuum Fidei humanæ, voluntas autem nequit imperare, & velle, nisi quod præcognitum est, seu quod ipsi propositum est per cognitionem: & præter hanc cognitionem, qua voluntati proponitur dictus actus speculatiuus Fidei humanę, etiam requiri alteram cognitionem, qua eidem voluntati immediatè proponatur actus Fidei diuinæ rei reuelatæ, quia etiam ad hunc actum immediatè requiritur affectus, quo voluntas illum imperet intellectui: sufficere tamen videtur, quod vtraque dicta cognitio proponens voluntati vtrumque dictum actũ Fidei, sit simplex apprehensio, quando vterque affectus est naturalis, & non requiri quod sit iudicatiua, quia per simplicem apprehensionem possunt prædicti duo actus Fidei, humanæ videlicet, & diuinæ proponi volũtati vt cõueniẽtes.

Addimus, *Quando vterque affectus est naturalis*, quia ad affectum supernaturalem requiritur supernaturalis cognitio, quæ in viatore tantum potest esse actus Fidei diuinæ: vtraque tamen dicta cognitio proponens est practica quia est circa praxim, idest, circa operationem modo operabili: & vtraque potest esse naturalis quoad substantiã, quia ex nullo capite exigit, quod sit supernaturalis, quamuis vtraque sit gratia liberaliter à Deo data ex meritis. Christi, saltem quando dicti affectus fiunt honesti: vt tamen vterque dictus affectus naturalis, & vterque actus Fidei euadat honestus etiam requiritur iudiciũ honestatis illius, quia quod non iudicatur honestum non euadit tale.

DIFFICVLTAS IX.
Quomodo resoluatur actus Fidei.

DIfficultas hæc non procedit de resolutione, quæ fieri potest in causam purè efficientem, qua ratione resoluitur in intellectum, & in habitum infusum Fidei, & in Deum: sed procedit de resolutione in aliquid, medio quo appareat veritas rei reuelatæ, vt credi possit: Quod conuenire nequit lumini, seu habitui infuso Fidei diuinæ, quia iste tantum habet vim effectricem, seu causæ efficientis, & non rationem speciei intelligibilis, in quo habitus iste differt à lumine gloriæ, quod quia est species intelligibilis, & immediata Dei, vt est in se, ideo absq; medio aliquo, & motiuo facit apparere Deũ. vt possit cognosci, prout est in se, non vero habitus infusus Fidei, quia est pura causa efficiens, ob quod necessariũ est medium aliquod, aut motiuũ, quo appareat veritas rei reuelatæ, vt credi possit, quia ipsa ex se seu ratione sui nõ sic apparet.

Conueniunt ergo Theologi actum Fidei diuinæ primò, & proximè, & immediatè resolui in diuinam reuelationem tanquam in motiuum, seu obiectum formale, quo quasi medio, & quasi probatione, vtpote attestatione, seu dictione veritatis rei reuelatæ apparet eius veritas, quamuis tantum extrinsecè, seu in attestante: ideo enim assentimur rei à Deo reuelatæ, quia Deus eam reuelauit, & dixit ac proinde interroganti, *Quo moueris ad credendum*, v. g: *Deum esse vnum, & trinum?* Respondendum est, *Quia Deus, qui est infinitè verus, id dixit.* In reuelationem ergo, seu dictionem Dei tanquam in motiuum formale, & quasi medium primò, & proximè, & immediatè resoluitur actus Fidei diuinæ. Et quia ipsius reuelationis, seu dictionis Dei, ob quam solam tanquam ob motiuum formale credimus Fide diuina, non est aliud motiuum formale, quamuis sit aliud motiuum formale, assensus Fidei humanæ, quo credimus Deum aliquid reuelasse, & qui est præuia conditio ad assensum Fidei diuinæ, ideo assensus, seu actus Fidei diuinæ resoluitur in reuelationem diuinam, tanquam in motiuum formale, non solum primo, sed etiam vltimò, ideſt, tanquam in primum, & vltimum motiuum formale Fidei.

Ni-

Nihilominus, quia absq; iudicio, quo iudicamus Deum reuelasse rem quam Fide diuina credimus, non possumus ea Fide credere ob ipsam reuelationem: & quia dictũ iudicium non potest ex ipso obiecto iudicato, seu ex ipsis terminis immediatè haberi, quia in hoc obiecto, seu in his terminis *Deus reuelauit hanc rem*, nihil est, quo intellectus inclinetur in assensum illius, ideo necessarium est aliquod medium, quo intellectus manuducatur ad iudicandum Deum reuelasse rem, quam crediturí sumus Fide diuina, quod regulariter est testimonium Parentis, aut Parrochi, aut concionatoris, aut Præceptoris, aut aliũs, & aliquando testimonium Ecclesiæ.

Actus ergo Fidei diuinę primò, & vltimò resoluitur in diuinam reuelationem, tanquam in motiuũ formale, & quasi medium ex quo desumit suam essentiam, & firmitatem: & in iudicium, seu assensum Fidei humanæ, quo iudicamus rem, Fide diuina creditam, esse à Deo reuelatam, tanquam in cõditionem, seu applicationem præuiam dictæ diuinæ reuelationis; & in propositionem, seu testificationem humanam, qua mouemur ad iudicandum Fide humana rem, quam Fide diuina credimus esse à Deo reuelatam, tanquam in motiuum formale, & quasi medium dictæ conditionis, seu applicationis præuiæ: & quia propositio, seu testificatio hæc fieri potest à persona particulari nulla facta mentione Ecclesię, ideo non semper resolutio fit in testificationem Ecclesiæ, adhuc tanquam in motiuum dictæ conditionis, vt exprimit Turrianus disp. 5. dub. 1. imò quando sic resoluitur in testificationem Ecclesiæ, testificatio hæc nobis innotescit, & applicatur media testificatione alicuius particularis affirmantis Ecclesiam testificari Deum id reuelasse, nisi quando quis assistit Concilio Generali in quo id dicitur. Quando ergo credens ait, *Credo Fide diuina Deum esse vnum, & trinum, quia Deus id reuelauit*, tunc particula illa causalis *quia* denotat motiuum formale immediatum, seu causam formalem extrinsecam immediatam, & quando sic credens ait, sic credo, quia iudico, seu Fide humana credo Deum id reuelasse, tunc particula illa causalis *quia* denotat conditionem præuiam ad dictum actum credendi Fide diuina, non causam, neque causalitatem.

Vnde id quod Medina lib. 5. de recta in Deum Fide cap. 10. ait, nempe actum Fidei diuinæ in nobis vltimo resolui in testimonium Ecclesiæ, vt rectæ ab Spiritu Sancto, nobis non probatur, quia actus Fidei diuinæ nunquam resoluitur in illud tanquam in motiuum formale, neque semper tanquam in motiuum dictæ conditionis, seu applicationis: imò neque in testimonium Ecclesiæ secundum se secluſa assistentia Spiritus Sancti.

Interroganti ergo, quo moueris ad credendum Fide diuina Deum esse vnum, & trinum, respondendum est, quia Deus (quia est infinitè verus in cognoscendo, & in dicendo) id dixit: & interroganti vnde scis Deum id dixisse, respondendum est, vel quia id mihi dixit homo, quem fidedignum existimo, vel quia id dixit Ecclesia, quam scio id dixisse, quia astiti Concilio, in quo id fuit dictum, aut quia id audiui ab homine fidedigno.

DISPVT. V.

De *habitu Fidei diuinæ.*

DIFFICVLTAS I.

Vtrum sit habitus Fidei à solo Deo *per se infusus: & in quo subiecto.*

CIRCA Prius, quamuis antiquitus fuerint Theologi, qui negauerint esse habitum Fidei à solo Deo per se infusum; iã tamen à tempore Concilij Viennensis sub Clemente V. in quo opinio Theologorum admittentiũ habitus Fidei, & Spei, & Charitatis à solo Deo in Baptismo infusos, approbata fuit vt probabilior, conueniunt omnes in homine fideli esse habitum Fidei a solo Deo per se infusum, & meritò, quia est maxime conueniens,

& suaui prouidentiæ Dei, maximè conforme, vt ad actus supernaturales Fidei diuinæ infundatur à Deo similis habitus, quo potentia informata, & adiutata eos quoad substantiam connaturaliter eliciat, qui actibus nostris, vtpote effectibus æquiuocis ipsius minus principalibus nequit generari, quāuis possit alius etiam supernaturalis deseruiens ad facile, & promptè eliciendum actum Fidei diuinæ, vt dicimus tractatu de habitibus, diffi. 5.

Est tamen difficultas, an sit de Fide esse habitum Fidei à solo Deo infusum.

Vega 7. in Trident. cap. 24. Valent. 1 2. disp. 4. quæst. 3. puncto 4. & Soar. lib. 6. de gratia, c. 3. & 8. partem affirmatiuam tuentur. Primò, quia id continetur in scriptura præsertim 1. ad Corinth. 13. *Nunc autem manent tria hæc Fides, Spes, & Charitas.* Secundò, quia id definitur in Triden. sess. 6. cap. 7. dum dicitur, *in ipsa iustificatione hæc omnia infusa accipit homo Fidem Spem, & Charitatem.* Quod intelligendū est de habitu præsertim propter particulam *infusa*, quæ non conuenit actibus, sed habitibus.

Medina verò 1. 2. q. 110. art. 2. Vazq. disp. 79. cap. 1. & Montesino disp. 32. q. 1. partē negatiuam tradunt, & meritò, quia id non constat traditione aliqua, vt patet, neque aliqua definitione Ecclesiæ, quia si alicubi, maximè in dicto loco Trident, ibi autem (vbi tantum est sermo de iustificatione adultorum) per Fidem sufficienter intelligitur actus, quia in iustificatione adultorum semper reperitur actus Fidei: cui non obstat particula illa, *infusa*, quia etiam actus dicitur infundi a Deo ratione auxilij, prærequisiti, quod Deus in nobis sine nobis libere operantibus, operatur, & quamuis per charitatem non sufficienter intelligatur actus, quia in iustificatione adultorum medio baptismo facta, de qua in eo capite præcipuè est sermo, non semper reperitur actus charitatis, vt quando fit attritione, sed intelligitur charitas permanens; ac proindè sit de Fide esse charitatem permanentē a Deo infusam, sed non est de Fide esse habitum charitatis, quia hoc non est definitum, est tamen obiectum assensus Theologici, quamuis non puri, quia non omnes præmissæ, ex quibus infertur sunt de Fide, sed assensus mixti, quia in-

fertur

fertur ex vna de Fide,& ex altera Philosophica,imò non omnino perfecti,quia non infertur euidenter ex dicta definitione Trident.& tandem id non constat ex scriptura,quia testimonio Pauli adducto, & cuicumque alij sufficienter satisfit, illud intelligendo de actu.

Esse ergo habitum Fidei diuinę a Deo infusum,nō est de Fide,neq; obiectū assensus Theologici puri, nec perfecti (& multò minus esse habitum Fidei per se infusum,id est,qui sua natura nequeat produci nisi a solo Deo) ac proinde negare dictum habitum, non est hæresis; imò neque est error. Iam tamen videtur temerarium, quia iam est contra torrentem Theologorum,absq; firmissimo fundamento in oppositum.

Circa posterius conueniunt Theoligi habitum Fidei diuinæ infusū a solo Deo,esse in intellectu, vt in subiecto proximo,seu immediato,quia actus Fidei diuinæ ad quos eliciēdos iuuat,& eleuat,sunt in intellectu, & habitus operatiuus ponitur in eadem potentia, a qua eliciuntur actus ad quos iuuat, & eleuat, quia habitus operatiuus datur, vt iuuet,& quando est supernaturalis etiam vt eleuet potentiam ad eos actus eliciendos,quod nō efficeret si non esse in ipsa potētia.

DIFFICVLTAS II.

Vtrum habitus Fidei sit vnus, an multiplex.

SVPPONIMVS Ad credendum Fide diuina præter habitum à Deo per se infusum,qui est principium ad actū Fidei diuinæ,etiam esse species intelligibiles,quibus simplici apprehensione concipimus,seu apprehendimus res, quas credimus:species tamen istæ sunt naturales,non supernaturales,adhuc illę,quibus apprehendimus res supernaturales, quia res supernaturales Fidei apprehendimus,non prout in se sunt,& proprijs speciebus, vt experientia constat,sed eas quamuis spirituales apprehendimus instar rerum naturalium,& materialium, & speciebus naturaliter acquisitis earum rerum naturalium,& materialium instar quarum, illas apprehendimus,& concipimus.

Hoc

Hoc ergo ſuppoſito circa difficultatē conueniunt Theologi habitū infuſum Fidei diuinæ eſſe vnum numero inquolibet,& vnum ſecundum ſpeciem infimam in omnibus, quia omnes actus Fidei diuinæ medio habitu infuſo eliciti quamuis alij ſint aſſenſus,& alij diſſenſus(& iſti diuerſo modo phyſico,quaſi materiali,non deſumpto ex obiecto formali,ferātur in obiectum materiale) ſunt eiuſdem ſpeciei infimæ,quia ex vna parte omnes eliciuntur medio habitu infuſo, vt cauſa principali,& ex altera parte omnes ſunt ob idem obiectū formale,nempe ob diuinam reuelationem,quæ eſt eadē ſaltē formaliter,quoad authoritatem participatā ab infinita veritate Dei,a qua procedit,qua ratione mouet ad actus Fidei diuinæ,quamuis reuelatio illa diuina phyſicè ſit diuerſa circa diuerſas veritates reuelatas.

Addimus,vt optimè Soar.& Ægid.vbi infra habitū per ſe infuſum Fidei diuinæ, quamuis habeat varios gradus intenſionis, & poſsit intenſiuè augeri, ſicut quilibet alius habitus,ac proinde nō ſit ſimplex, quoad intenſionem, non tamen habere varias partes extenſionis,aut quaſi extenſionis, id eſt,non habere varias partes ratione quarū verſetur circa varia obiecta materialia, & circa varios actus; ſed eandem entitatem habitus extenſiuè indiuiſibilē, quæ verſatur circa vnū obiectū materiale,& circa actū erga illud,etiā verſari circa omnia alia obiecta materialia, & circa actus erga omnia illa,quia habitus infuſus Fidei, ſicut quicumque alius per ſe infuſus, datur, non ad facilitatem, ſed ad ſubſtantiam actus, & quia in omnibus actibus Fidei elicitis medio habitu infuſo eſt eadem ſubſtantia ſecundum ſpecieminfimam,quia omnes ſic eliciti eliciuntur ob eandem rationem formalē; ideò habitus infuſus Fidei ſufficiens circa vnum obiectum materiale,& ad actū circa illud,etiā ſufficit abſq; varietate partiū circa omnia obiecta materialia,& ad omnes actus circa illa.

Id verò quod nonnulli addunt, nempe præter habitum infuſum Fidei dantem intellectui vim ad eliciendum actum Fidei, eſſe aliam qualitatem manifeſtantem, ſeu clarificantem obiectum intellectui,falſum eſt,vt aduertunt Soar.diſp. 7.ſect.1.Ægid.diſput.16.dub.1.& communiter Theologi, quia alterius qualitatis diſtinctæ à dicto habitu. Nulla eſt

neceſ-

necessitas, neque vtilitas, neque officium quia si ad aliquid esset necessaria, maximè ad illuminadum, seu clarificã lum obiectum intellectui; ad id autem est omnino superflua, quia obiecta Fidei diuinæ nullo alio modo illuminantur quam reuelatione diuina tanquam obiecto, seu motiuo formali, & actu nostro Fidei tãquã actuali illuminatione, seu cognitione, qua producitur species expressa, seu imago illorum, & habitu infuso Fidei dante prædictam vim, tanquam principio effectiuo ipsius actus Fidei, seu actualis illuminationis (qui distinguitur à lumine Solis, & Lucernæ, quia ista lumina, nõ solum sunt lumina efficienter, quia producunt lumen, sed etiã sunt lumina formaliter, quia actu, & formaliter illuminant; habitus verò infusus Fidei, tantum est lumen effectiue) ergo ad nihil potest deseruire illa alia qualitas, ac proinde non est admittenda.

DIFFICVLTAS III.

Vtrum absque habitu Fidei infuso possit de potentia Dei absoluta elici actus Fidei.

SVPPONIMVS In quo conueniunt communiter Theologi, nõ tantũ intellectum, sed etiam habitũ infusum Fidei diuinæ esse principium efficiens actus Fidei diuinæ supernaturalis, & ad id habitum à Deo infundi, vt scilicet iuuet intellectum, & eum eleuet ad actum Fidei diuinæ, qui est supra eius vires physicas: quia in actu Fidei diuinæ, non tantum est ratio vitalis, & intellectionis, quæ correspondent intellectui, vt principio efficiẽti: (imò & essentialiter, ac proinde efficientia intellectus nequeat à Deo de sua potentia absoluta suppleri) sed etiam in eo est ratio supernaturalis, quæ correspondere debet dicto habitui, vt principio efficienti supernaturali proportionato actui ipsi, quia non est aliud cui ratio supernaturalis correspondeat, vt principio efficienti.

Est

Est tamen difficultas, an actus Fidei diuinæ de potentia Dei absoluta possit elici absque concursu habitus infusi Fidei.

Capreolus in 4. dinst. 49. quæst. 4. Sotus quæst. 1. artic. 4. & Ferrariensis 2. contra Gentes, cap. 54. partem negatiuam tuentur, quia actus Fidei diuinæ vtpote actus intellectus, est vitalis, & immanens, ac proinde essentialiter dependet a suo principio vitali, & a suo principio intrinseco, seu inhærente in ipsa potentia, sed non solum intellectus est principium intrinsecum actus Fidei, sed etiam habitus, non minus quam intellectus: ergo actus Fidei dependet essentialiter non solum ab intellectu, sed etiam ab habitu ea parte, qua est principium intrinsecum: ergo de potentia Dei absoluta non poterit elici absque concursu habitus, a quo essentialiter dependet, sicut neque absque concursu intellectus, quia ab eo essentialiter dependet.

Paludanus verò in 4. dist. 49. quæst. 1. artic. 2. Vazq. 1. part. disp. 46. Turrianus disp. 38 dub. 2. & Petrus Hurtado disp. 126. partem affirmatiuam tradunt, & meritò quia habitus infusus Fidei diuinę tantum concurrit ad actus, vt principium efficiens, & non vt principium vitale, quia verè non est tale, quia non est potentia alicuius vitæ substantialis, ergo potest a Deo suppleri per se ipsum concurrente absque creato aliquo tam extrinseco, quam intrinseco, seu inhærente intellectui, quod loco habitus concurrat, quia Deus absque dubio se solo potest efficere quidquid quæcumque causa efficiens nō vitalis potest, quamuis illud sit immanens & ob eamdem rationem actus Spei, & actus Charitatis possent de potentia Dei absoluta elici a voluntate absque habitibus infusis Spei, & Charitatis, Deo ipso supplente efficientiam habituum, quamuis supplere nequeat efficientiam voluntatis, quia sunt actus vitales, qui eo ipso essentialiter dependent a principio intrinseco vitali.

Ex eo ergò quod actus Fidei diuinæ sit vitalis solum probatur, quod nequeat produci absque intellectu, qui est principium vitale non verò, quod nequeat produci absque habitu, quamuis inhærente intellectui, quia habitui non correspondet, peculiariter ratio vitalis, neque intellectionis, sed

tantùm

tantum intellectui, & habitui tantum correspondet ratio supernaturalis, quæ non exigit principium efficiens vitale, neque intrinsecum, seu inhærens, vt patet. Quod verò tunc quando Deus supplet vicem habitus, & concurrit, non solum vt causa vniuersalis, sed etiam vt causa quasi particularis, intellectus concurrat, vt instrumentum eleuatum à Deo, non obstat vt actus Fidei sit liber, & meritorius, quia non obstat, vt etiã tunc intellectus libere moueatur a voluntate.

DIFFICVLTAS IIII.

Vtrum primus actus Fidei diuinæ eliciatur ab habitu infuso.

DIFFICVLTAS Hæc non procedit, quando habitus infusus Fidei prius tempore præsupponitur infusus ad primum actum Fidei diuinæ, vt contingit in eo, qui baptizatus est in ætate infantili, cui tunc infunduntur habitus Fidei, Spei, & Charitatis; quia quando sic præsupponitur, tunc primus actus Fidei absque dubio elicitur ab habitu sic præsuppositio, quia habitus præsuppositus est causa physica sufficiens ad illum actum, & nullatenus impedita: sed tantum procedit quandò habitus infunditur in eodem instanti, in quo elicitur actus, vt contingit, quando quis elicit primum actum Fidei diuinæ antequã iustificetur, vt dicemus diffic. 6.

Circa difficultatem ergo Molina in concordia q. 14. art. 13. disp. 44. & plures alij Recẽtiores, docent primum actum Fidei diuinæ, nõ elici ab habitu infuso, sed ab intellectu absque eo habitu, Deo supplente vicem illius (siue per seipsum, siue per aliquod specialissimũ auxiliũ) quia primus actus Fidei diuinæ est dispositio ad ipsum habitum, ob quam infunditur à Deo, ergo habitus Fidei nequit esse principium efficiens illius, neque infundi, vt ille eliciatur.

Med. vero 1.2. q. 113. art. 8. ad 2. & Turr. disp. 38. dub. 3. docent primum actum Fidei diuinæ elici ab habitu Fidei infuso in eodem instanti, in quo elicitur ipse actus primus, &

meri-

meritò; quia ex vna parte habitus Fidei diuinæ, habet ſufficientem vim, ſeu virtutem effectricem ad producendum actũ, vt patet; & ex altera parte ad eum producnndum non indiget exiſtere prius tempore, quia poteſt in eodem inſtanti, in quo primo exiſtit (ſicut Sol, & aliæ cauſæ efficientes) agere, & producere, ergo primus actus Fidei procedit ab habitu ſimul duratione exiſtente cum ipſomet actu.

Quod ſi primo reſpondeas, eum actum primũ Fidei diſponere ad habitum infuſum, ac proinde habitum eſſe dependẽtem in ſuo primo exiſtere ab actu, & eſſe natura poſteriorem ipſo, & hoc obſtare, vt habitus producat efficienter actum, quia impoſsibile eſt habitũ pẽdere ab actu in ſuo primo exiſtere, & è contra actum ab habitu, adhuc in diuerſo genere cauſæ, quia vnum ex eis debet abſolutè, & ſimpliciter eſſe independens ab altero, vt hoc alterum ab illo dependeat, quia ab illo abſolutè, & ſimpliciter exiſtente dependet, ac proinde dependet ab illo iam exiſtente extrà omnes ſuas cauſas. Contra reſponſionem eſt, quod primus actus Fidei non eſt diſpoſitio phyſica ad habitum infuſum, adhuc ad eius receptionem, quia non agnoſcitur, quomodo actus poſsit phyſicè diſponere ad habitum, quia in actu non agnoſcitur proportio phyſica ad id, neque agnoſcitur, quomodo habitus egeat diſpoſitione phyſica ad ſui receptionem, & quamuis gratis admittatur in actu Fidei ſufficientia ad diſponendum phyſicè ad habitum, & conſequenter poſſet ad habitum in poſteriori duratione futurum diſponere; de facto tamen non poſſet phyſicè diſponere ad ipſum habitum infuſum in eadem duratione, in qua elicitur actus ipſe, quia habitus habet vim effectricem phyſicam ad producendum actum, & actus tantum haberet ſufficientiam ad diſponendum phyſicè cauſam materialem receptiuam ipſius habitus, eam aptando, ſe tenendo ex parte ipſius cauſæ materialis: & ſi aliquis ex ipſis contra alterum præualere debet, & alterũ præuenire eſt habitus contra actum, quia cauſa efficiens efficatior, & virtuoſior eſt, quam cauſa materialis receptiua, & quam omne id, quod ſe tenet ex parte ipſius.

Quod ſi ſecundo reſpondeas, quod quãuis primus actus Fidei non diſponat phyſicè ad habitum infuſum Fidei, quia

neque

neque in actu agnoscitur proportio physica ad id, neque in habitu indigentia talis dispositionis; nihilominus primus actus Fidei est causa efficiens moralis, seu impetrans infusionem habitus, & hoc obstare, vt è contra habitus sit causa efficiens physica primi actus Fidei, quia effectus causæ efficiētis physicæ non decernitur à Deo, nisi viso concursu, seu actione ipsius causæ efficientis, vt dicimus tract. de Incarnatione, disput. 6. difficult. 4. quia Deus non aliter decernit effectum efficientis physicè, quam decernendo effectionem, seu productionem illius, vt re ipsa, & de facto efficitur, seu producitur, ac proinde decernendo coefficere effectum cum eius causa creata, quia re ipsa & de facto sic fit. Contra hanc responsionem est, quod absque fundamento dicitur primum actum Fidei impetrare habitum existentem in eodem instanti, in quo etiam actus ipse existit: imò id dicitur contra rationem, quia ad id necessarium erat, quod Deus impediret vim physicam effectricem, quam habet habitus (quod admittendum non est) quia vt dicitur in responsione ipsa aduersariorum effectus efficientis physici non potest impetrare suum efficiens, quia causa efficiens physicè non potest decerni post decretum, & visum effectum a Deo, & vt effectus impetraret suam causam a Deo, deberet esset prius decretus, & visus, quam sua causa: & quamuis dictus actus primus Fidei sit ex se meritorius (siue de condigno, siue de congruo) ipsius habitus infusi Fidei; de facto tamen non impetrat illum a Deo, quia habitus iam est a Deo anticipate decretus, & visus ante decretum actus, quia habitus a Deo decernitur, & confertur vt actus ipse connaturaliter eliciatur, quem Deus prius sub conditione collationis auxilij efficacis cognouit futurum in eo instanti.

Addimus non solum primum actum Fidei elici ab habitu, sed etiam reliquos actus, qui duratione præsupponunt habitum, non tantum eos qui non excedunt intensionem, & actiuitatē habitus tempore præsuppositi, quia habitus præsuppositus habet virtutem effectricem physicam, & sufficientem ad illos, non minus quam ad primum, & non impeditam; sed etiam eos actus, qui excedunt intensionem, & actiuitatem habitus tempore præsuppositi. Eliciuntur autem

isti ab habitu durationè præsuppositò, & a gradibus ipsi superadditis, & a Deo superinfusis in eodem instanti, in quo actus illi excedentes eliciuntur, vt quoad totam suam intẽsionem connaturaliter eliciãtur, sicut primus, & reliqui non excedentes, eliciuntur.

DIFFICVLTAS V.

Vtrum habitus infusus Fidei sit virtus intellectualis.

DVRANDVS In 3. dist. 23. q. 6. docet habitum infusum Fidei non esse propriè, & strictè virtutem intellectualem; quod indicat Arist. 6. Ethicor. cap. 4. dum enumerans virtutes intellectuales nullam facit mentionem Fidei. Et ratione probari potest, quia virtus est dispositio perfecti ad optimum, vt significare videtur Arist. 7. Physic. text. 17. Habitus autem Fidei diuinæ non est dispositio, neque principium ad optimam cognitionem, quia nõ est ad cognitionem euidentem, sed tantum ad obscuram.

Soar. verò disput 7. sect. 1. Turrian. disp. 4. dub. 1. Adam. quæst. 6. dub. 2. Granad. tractat. 12. disput. 2. Vazquez 1. part. disput. 5. cap 4. & Petr. Hurtad. disput. 55. docent habitum Fidei diuinæ esse propriè, & strictè virtutem intellectualem, & meritò; quia ad rationem virtutis intellectualis sufficit, quod sit habitus inclinans intellectum ad verum indefectibiliter (id est, semper ad verum, & numquam ad falsum) vt docet Arist. 6. Ethicor. cap. 2. & 3. habitus autem Fidei diuinæ inclinat intellectum in verum indefectibiliter, seu semper in verum, & nunquam in falsum, quamuis non attingat illud cognitione euidente, sed tantum obscura.

Arist. verò 6. Ethicor. cap. illo 4. ex eo quod enumerans virtutes intellectuales nullã fecerit mentionem Fidei, indicat Fidem humanam, quam ipse cognouit non esse virtutem intellectualem, & meritò, quia est falibilis, & non indicat Fidem diuinam non esse virtutem intellectualem, quia si

huius non fecit mentionem est, quia eam non cognouit. Et ad rationem Durandi respondemus illis verbis: *Dispositio perfecti ad optimum*, non definiri ab Arist. virtutem, sed tantum protulit illa de robore, & pulchritudine, de quibus dixit & verè esse dispositiones quibus optimum, nempe natura perficitur.

Addimus habitum Fidei diuinæ non tantum esse virtutem intellectualem, quatenus perficit intellectum in ordine ad verum, quia est principium veri indefectibiliter, sed etiam esse virtutem moralem quatenus perficit voluntatem in ordine ad bonum moraliter, quia est principium actus moraliter boni, de quo etiam dicimus diffic. vltima, & tract. de virtutibus difficult. 3. & vtroque modo, tam vt virtutem intellectualem, quam vt moralem esse Theologicam, quia vtroque modo est principium actus habentis Deum, vt primam veritatem iudicantem, & reuelantem pro obiecto formali.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrum habitus Fidei diuinæ infundatur aliquando absque Charitate?

SCOTVS In 3. distin. 36. art. 4. Durand. dist. 23. quæst. 6. artic. 3. & Vega 7. in Trident. cap. 28. docent habitum Fidei diuinę nunquam infundi, absque Charitate, quod probabile censet Valent. quæst. 6. punct. 2. & id indicare videtur Trident. sess. 6. cap. 7. dum ait *Nos in iustificatione hæc omnia simul infusa accipere Fidem, Spem, & Charitatem*, quo indicat Fidem infundi simul cum Charitate, & non absque ea. Et ratione probatur, quia alias, si semper quod adultus incipit credere Fide diuina antequam iustificetur, ei infunditur habitus Fidei, nunquam illi in Baptismo infunderetur, quia antequam legitimè Baptizetur, semper credit, consequens autem est contra Concilium Vien. quod vt refertur in Clementin. vnic. de summ. Trinit. docuit probabilius esse, tam paruulis, quam adultis in Baptismo habitum gratiæ, & vir-

tutes

tutes infundi, vbi per virtutes intelliguntur Theologicæ.

Caiet. verò q. 6. art. 2. Soar. disp. 7. sect. 3. Adamus quæst. 6. dub. 2. Granad. tract. 12. disp. 5. & Vazq. 1. 2. disput. 203. cap. 9. docent, habitum Fidei diuinę aliquando absque Charitate infundi, & meritò, quia ex vna parte habitus Fidei diuinæ quo ad sui infusionem non pendet ab habitu Charitatis, quia ab eo non pendet ex natura rei, vt patet, neq; ex diuina institutione, quia de hac non constat, & ex altera parte actus Fidei Diuinæ potest esse ante actum Charitatis, antè quem in peccatore non infunditur habitus Charitatis extrà Sacramentum, ergo absque fundamento negatur non infuso habitu Charitatis, infundi habitum Fidei diuinæ, quando actus Fidei elicitur, & non Charitatis, vt actus Fidei connaturaliter eliciatur ab intellectu adiuto, & eleuato ab ipso habitu. Et eadem ratione probatur habitum Fidei diuinæ posse infundi, absque habitu Spei, & habitus Fidei, & Spei, absque habitu Charitatis.

Vnde adultus, qui ante susceptionem Baptismi, credit actu Fidei diuinæ, ex tunc habet habitum Fidei, vt actum illum connaturaliter eliciat, qui postea intenditur ex opere operato per Baptismum; imò etiam extra illum ex opere operantis, solis tamen actibus ipso intensioribus, vt dicemus difficult. sequenti.

Trident. verò vbi supra, dum ait, nos in iustificatione accipere simul infusas Fidem, Spem, & Charitatem, non significat infundi simul duratione, sed omnes illas simul cũ remissione peccatorum accipere, seu acceptas habere in instãti iustificationis, ita vt particula *simul* non significet simultatem durationis, sed collectionem eorum omnium inter se, & cum remissione peccatorum, in quo sensu dicta particula sumitur Eccles. 18. dum dicitur, *Deus creauit omnia simul*, & ad Roman. 6. *Si complantati facti sumus similitudinis mortis eius, simul & resurrectionis erimus*, vel si significat illas simul duratione infundi, aut non significat instans iustificationis, sed totam durationem iustificationis sumptæ, non pro sola infusione gratiæ habitualis, sed pro tota serie iustificationis a primo auxilio, vsque ad infusionem ipsam gratiæ habitualis, aut si significat instãs iustificationis, seu infusionis gratiæ

habitualis. Particula illa *simul*, tantum significat vim Baptismi ad causandum illos tres habitus, quando non præsupponuntur causati, vt contingit in paruulis, & ad illos intendendos, quando præsupponuntur, vt contingit in adultis, qui ante Baptismum iustificati sunt, quia sicut quando non præsupponuntur, infunduntur de nouo; ita etiam quando præsupponuntur infusi, intenduntur per Baptismum, & hanc vim Baptismi voluit significare Concilium Vienn vbi supra. Sed an habitus infusus Fidei possit manere quando amittitur habitus gratiæ, & charitatis dicemus disput. 6. difficult. 2.

DIFFICVLTAS VII.

Quibus actibus intendatur habitus infusus Fidei?

CONVENIVNT Theologi, habitum infusum Fidei in homine iusto intendi actibus Fidei diuinæ ipso habitu intensioribus (siue sint intensiores arithmeticè, siue geometricè) quia si aliquando intenditur (quod negari non potest) nullis alijs actibus melius potest intendi.

Est tamen difficultas primo, an in homine iusto etiam intendatur actibus æqualibus ipsi habitui, & actibus eo remissioribus.

Ægid. disput. 7. dub. 6. & Turrian. disp. 45. partem affirmatiuam tuentur, sed absque sufficienti fundamento, & ideo plures alij partem negatiuam tradunt, & meritò, quia dictis actibus non intenditur physicè, imò neq; intensioribus ipso, quia habitus Fidei est per se infusus exigēs a solo Deo infūdi, neq; meritoriè, quia quāuis actus Fidei, imò & cuiuscūq; alius virtutis, etiā in peccatore mereatur de cōgruo intēsionē habitus infusi Fidei, non tamen de condigno, adhuc in homine iusto, quia in nullo actu bono, adhuc iusti, agnoscitur dignitas, seu cō lignitas, nisi ad augmentū gratiæ, & charitatis, & ad gloriā; nullo autē sufficienti fundamēto affirmari potest, Deū ob meritū de congruo, adhuc Fidei diuinæ intēdere habitū ipsūFidei, & ob hāc rationē multo minus bonis actibus

alia-

aliarum virtutum, adhuc in iusto intenditur habitus infusus Fidei, vt aduertit Vazquez 1.2.disput.220.cap 6.quod si in homine iusto non intenditur actibus remissioribus, neque æqualibus Fidei, neque aliarum virtutum, multo minus in peccatore.

Secundò est difficultas, an habitus infusus Fidei in peccatore, intè datur actibus Fidei intensioribus ipso habitu, sicut intenditur in homine iusto, vt diximus in principio difficultatis.

Non desunt, qui partem negatiuam tueantur, quia dictis actibus non intenditur physicè ob rationem supra adductã, neque intenditur meritoriè, quia illi nõ merentur intensionem illius, nisi de cõgruo, ob quod absq; sufficienti fundamẽto dicetur, Deum intendere habitum infusum Fidei.

Lorca verò q.5.circa art.4. Turrian. & Ægid. partem affirmatiuam tradunt, & meritò, quia in habitu infuso Fidei, vt iuuet, & eleuet intellectum ad connaturaliter eliciendum actum Fidei diuinæ, requiritur intensio actui eliciendo proportionata, quia ad actum ipso intensiorem (siue arithmeticè, siue geometricè) nequit sufficienter iuuare, & eleuare intellectum, ergo vt ad eum actum intensiorem iuuet, & eleuet verè intenditur â Deo, sicut etiam primò infunditur ab ipso, vt iuuet, & eleuet intellectum ad connaturaliter eliciendum primum actum; habitus ergo infusus Fidei intenditur ob actum Fidei ipso intensiorem, non physicè, neque meritoriè, sed occasionaliter, vt actus cõnaturaliter eliciatur, sicut etiã primò infunditur ob primum actum non physicè, neq; meritorie, sed tantum occasionaliter, vt connaturaliter eliciatur.

Addimus habitum infusum Fidei ante Baptismum (vt contingit in adulto, qui ante Baptismum habuit actum Fidei diuinæ) etiam intendi ex opere operato ex vi Baptismi, sicut de nouo infunditur, quando non præsupponitur (& ob hanc rationem etiam habitum Spei infusum ante Baptismũ) quod non constat fieri ex vi aliorum Sacramentorum, vt aduertit Lorca. Intenditur ergo habitus infusus Fidei a Deo ex vi Baptismi magis, aut minus iuxta dispositionem Baptizati ea proportione, qua habitus gratię præexistens ad Baptismum, & quia extra Baptismũ tantũ intenditur occasionali-

ter modo dicto actibus intensioribus non intenditur a Deo addendo tantam intensionem habitui, quantam tota intẽsio actus exigit ad sui connaturalem productionem, sed solum tantam, quanta habitui infuso Fidei præexistenti deficit, vt possit ad eum actum intensiorẽ iuuare, & elcuare intellectũ.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrum habitus infusus Fidei aliquando amittatur, & quo amittatur.

CIRCA Prius conueniunt Theologi habitum infusum Fidei aliquando corrũpi, seu amitti, quod indicat Trid. sess.6.cap.15 dum ait, infidelitate Fidem amitti, quia nomine Fidei nequit aliud satis commode intelligi quam habitus infusus Fidei.

Circa posterius, nempe quo amittatur habitus infusus Fidei conueniunt primo Theologi, & contra hæreticos, habitum infusum Fidei non amitti quocumque peccato mortali, imò solo peccato mortali infidelitatis, quod satis indicat Trid. c. illo 15 & Can. 28. dum supponit Fidem non amitti quocumq; peccato mortali, & amitti infidelitate, & meritò, quia neq; omne peccatum mortale opponitur habitui infuso Fidei, neq; iste pendet ab habitu gratiæ (qui quocumque peccato mortali amittitur) in sui conseruatione, sicut neque in sui inceptione, quia non conceditur, vt comes habitus gratiæ, sicut conceduntur virtutes per se infusæ morales, sed sicut fundamentum illius, quod potest ante ædificium incipere, & ædificio destructo, manere.

Conueniunt secundo Theologi, habitum infusum Fidei amitti peccato mortali, omnimodæ infidelitatis, seu desertione totius Fidei, id est, quãdo quis ita discredit Deo in aliquo, aut in aliquibus, vt ei, in nullo positiue credat, de quo ad minus loquitur Trident. cap. illo 15. dum ait, infidelitate Fidem amitti.

Est tam. ẽ difficultas, an amittatur, seu corrũpatur peccato mortali infidelitatis, quo quis ita discredit Deo in aliquo,

aut

aut in aliquibus, vt non diſcredat in omnibus, ſed in aliquo, aut in aliquibus poſitiuè credat, vt contingit Hæretico.

Durand. in 3. diſt. 23. quæſt 9. (quem ſequitur Gloſſa in cap. firmiter de ſumma Trinitate) docet non amitti, quod probat primo experientia, quia Catholicus, qui errore circa aliquod obiectum Fidei fit Hæreticus, eadem facilitate, & firmitate credit reliqua, qua illa credebat ante Hęreſim, ergo credit eodem habitu Fidei, quia ab habitu deſumitur facilitas, & firmitas. Secundò, quia habitus ſcientiæ non amittitur vno actu erroris contrarij, ergo neque habitus infuſus Fidei vno actu Hęreſis.

Reliqui verò Theologi docent amitti, quod indicat Trident. dum ait infidelitate Fidem amitti, quia nomine Fidei intelligitur habitus infuſus Fidei, & infidelitas; qua quis diſcredit Deo in aliquo, quamuis in alijs poſitiuè credat, Eſt vera, & abſolutè infidelitas. Quod etiam ex dicendis amplius conſtabit.

Ad primam, ergo rationem Durandi concedimus, Catholicum, qui errore circa aliquod obiectum Fidei fit Hęreticus, ſi reliqua credat ob diuinum teſtimonium (vt fieri poſſe admittit Ægid. diſp. 14. dub. 2. & nos admittimus diſp. 7. diffic. 5.) eadē firmitate credere, ac antea; hæc tamen firmitas non prouenit actui Fidei ex habitu infuſo, quia ex hoc nō credit, quouſque deſinit eſſe infidelis, ſed prouenit ex diuino teſtimonio ob quod credit, quia ei repugnat falſitas: & etiam credere fere eadē facilitate, ac antea, ſi eam ante Hæreſim habuit; hæc tamen facilitas non prouenit ex dicto habitu infuſo, ſed tantum ex acquiſito actibus ſupernaturalibus Fidei, ex quo etiam prouenit firmitas, non ſumpta pro infalibilitate, quia hæc prouenit ex diuino teſtimonio, ſed ſumpta pro immobilitatè, qua habens habitum acquiſitum credit, ſiue habitus iſte acquiſitus ſit naturalis quoad ſubſtantiam, vt nonnullis placet, ſiue ſupernaturalis, vt nos exiſtimamus, qui quamuis ſupernaturalis non concurrit ad ſubſtantiam actuum, ſed tantum ad eorum facilitatem, & eſt diuerſæ ſpeciei ab infuſo, & eo imperfectior: imò & imperfectior ipſis actibus ſupernaturalibus, quia

ab ipsis producitur efficiēter, vt a causis principalibus æquiuocis. Addidimus *fere eadem facilitate*, quia nō tanta, sed minore, quia actu hæresis amittitur aliquid intensionis illius partis extensionis habitus acquisiti, quæ inclinabat in actū Fidei, circa eam propositionem circa quam errat; ac proinde ab eo habitu nequit tanta facilitas prouenire.

Ad secundam rationem concedimus habitum scientiæ non destrui vno actu erroris, adhuc contrarij, seu circa idem obiectū, in quod inclinat habitus scientiæ, quia habitus iste destruitur ex natura rei, & iuxta suam naturam, quia sicut est diuisibilis quoad extensionem, & quoad intensionem, & acquiritur paulatim quoad partes extēsionis pluribus actibus circa diuersa obiecta, & quoad partes, seu gradus intensionis pluribus actibus circa idem obiectum; ita etiam eadem proportione pluribus actibus cōtrarijs paulatim corrumpitur, tam quoad extensionem, quàm quoad intensionem. Et eodē modo dictus habitus, acquisitus Fidei diuinæ, quāuis sit supernaturalis corrumpitur paulatim quoad intensionem, & quoad extensionē; habitus verò infusus Fidei (qui tantum est diuisibilis quoad intensionem) non destruitur ex natura rei, sed tantum demeritoriè ex voluntate, & institutione Dei, & ideo vno actu mortali infidelitatis, qui de condigno meretur destructionem totius habitus infusi, destruitur totus.

DIFFICVLTAS IX.

Quomodo habitus infusus Fidei amittatur peccato mortali infidelitatis.

EX Dictis difficultate præcedenti constat habitum infusum Fidei amitti, seu expelli peccato mortali infidelitatis, & eo solo peccato.

Est tamen difficultas, quomodo expellatur per illud Caiet. & Bañez 2.2.q.1.art.5. Valent.q.5.pun.3. Turrian. disp.44.dub.2. & Vazq.1.2. disp. 91. cap. vltim. docent habitum infusum Fidei expelli, seu amitti physicè, & ex natura rei. Primò, quia qui elicit actum infidelitatis, quo solo auferr-

tur,

tur, aufert ſibi obiectum formale Fidei, nempe diuinam reuelationem, quia hæc nobis applicatur propoſitione Eccleſiæ quam propoſitionem contemnit, & ſibi aufert, qui ſciens diſcredit id, quod Eccleſia proponit, vt reuelatum à Deo, ergo qui in vno diſcredit, aufert ſibi phyſicè habitum infuſum Fidei, quia iſte nequit eſſe phyſicè abſq; ſuo obiecto formali, quia ab eo accipit naturam, & eſſentiam. Secundò, quia ſi tantum expelleretur, ſeu amitteretur moraliter, ſeu demeritoriè, multo melius expelleretur ob odium Dei, quam ob infidelitatem, quia odium Dei magis demeretur priuationē illius, quam infidelitas; aut ſi tantum aufertur à Deo ob peccatum mortale contra Fidem, multo melius auferetur ob peccatum, quo interius credens omnia myſteria Fidei, inducit multos ad diſcredendum quam ob hæreſim interiorem, in quam ſeductus incidit, quia iſte minus peccat contra Fidem, quam inductor ille, & tamen nullus expoliatur dicto habitu ob peccatum odij Dei, neque ob peccatum inductionis ad infidelitatem, ergo habitus infuſus Fidei non expellitur moraliter, ſeu demeritoriè, ſed phyſicè, & ex natura rei peccato mortali infidelitatis poſitiuæ.

Scotus verò in 3. diſt. 23. q. vnica, Soar. diſp. 7. ſect. 4. Ægid. diſp. 18. dub. 4. & Becanus cap. 11. q. 3. docent habitum infuſum Fidei non expelli, ſeu amitti phyſicè, ſed tantum moraliter, & demeritoriè ex lege, & ex ordinatione Dei, & merito, quia dictæ oppoſitionis phyſicæ, & ex natura rei inter actum mortalem infidelitatis, & inter habitum infuſum Fidei nullum inuenitur ſufficiens fundamentum, vt conſtabit, ex ſolutione ad rationes aduerſariorum, ergo actus infidelitatis quantumuis mortalis non expellit phyſicè habitum infuſum Fidei, expellit ergo illum moraliter, & non aliter, quàm demeritoriè ex ordinationè ſeu inſtitutione Dei, qui ob ſolam infidelitatem mortalem, quæ directè, & primario eſt contra Fidem, & qua quis verè, & ſimpliciter dicitur infidelis, demeritoriam de condigno priuationis ipſius habitus infuſi, eum aufert, & non ob alia peccata, quamuis magis demeritoria, vt eſt odiū Dei; & quāuis ſint cōtra Fidem, quando primario, & directè non ſunt contra illam, & quibus quis non eſt, neque dicitur infidelis, vt eſt dictum peccatum indu-

ctionis

ctionis contra Fidem, quod indicatum est in Trident. sess. 6. cap. 15. ex quo constat ad secundam rationem aduersariorũ.

Ad primam verò respondemus, in primis in ea falsum supponi reuelationem diuinam non applicari nobis sufficiẽter ad credendum ob ipsam, nisi propositione Ecclesiæ, vt aduertit AEgid. nu. 37. & nos diximus disp. 3. difficul. 3. & quamuis id admittamus, & etiam quod sic discredens, sibi aufert applicationem obiecti formalis non conuincit, quia applicatio obiecti formalis non est necessaria ad conseruationem habitus, quia hæc non pendet ex applicatione actuali illius obiecti, sed tantum est necessaria ad eliciendum actum Fidei.

Addimus in quo conueniunt Theologi, quod quamuis habitus infusus Fidei aliquando in totum destruatur, nunquam tamen minuitur, quia nec minuitur cessatione ab actibus Fidei, quia ab his non pẽdet in conseruari adhuc quoad aliquem gradum, nec minuitur actibus mortalibus infidelitatis, quia his in totum destruitur, neque venialibus infidelitatis aliàs multiplicatione horum venialium, tandem in totum destrueretur, & sane venialibus infidelitatis, nequit physicè minui, vt patet, neque moraliter, seu demeritoriè, quia culpa venialis infidelitatis non est digna priuatione alicuius gradus habitus infusi Fidei; & quamuis esset id non sufficeret ad affirmandum Deum de facto sic punire peccatum veniale infidelitatis.

DIFFICVLTAS X.

Vtrum in voluntate sit habitus ad affectum requisitum immediatè ad credendum Fide diuina.

EX Dictis disp. 4. diffic. 7. & 8. constat ad credendum Fide diuina modo ordinario, necessarium esse affectum in voluntatè, quo immediatè imperet intellectui, vt credat Fide diuina, & ad id sufficere affectum ordinis naturalis quoad substantiam, imo affectum ad primum actũ credendi Fide diuina

non

non posse esse supernaturalē quamuis ad plures actus Fidei diuinę post primum possit esse supernaturalis.

Est ergo difficultas primo, an ad dictum affectum naturalem, sit in voluntate habitus, qui si datur etiam erit naturalis, & acquisitus.

Non desunt, qui partem affirmatiuam tueantur, quia voluntas patitur difficultatem in eliciēdo dictum affectum, ob difficultatem actus Fidei diuinæ, quem imperat, & habet pro obiecto, & effectu immediato, quia eo ipso quod intellectui est difficile credere, etiam est difficile voluntati elicere affectum efficacē, quo efficaciter velit, quod intellectus credat: Habitus autem acquiritur in omni ea potentia in qua reperitur difficultas ad eliciendum suum actum, quia habitus acquiritur ad superandam eam difficultatem.

Alij partem negatiuam tradunt, & merito, quia etiamsi voluntas patiatur difficultatem in eliciendo dicto affectu efficaci, eam tamen solum patitur extrinsecè, & deriuatiuè ab intellectu, quia scilicet intellectui est difficilis actus credendi, & solū quādiu in intellectu est difficultas ad illum, quia si actus credendi sit, aut fiat intellectui facilis, voluntas nullā patietur difficultatē in eliciendo dicto affectu; ergo si in aliqua potentia acquirendus est habitus, quo difficultas quam habet voluntas, superetur (vt verè acquirendus est, & acquiritur, vt conijcitur ex facilitate, quæ post frequentationem actuū Fidei diuinæ reperitur) est habitus Fidei diuinæ in intellectu, quo ipsi fiat facilis actus Fidei diuinæ, & ex intellectu deriuetur facilitas in voluntatem ad dictum affectum, quo vult intellectus credere Fide diuina, sicut ex ipso intellectu deriuatur difficultas in illam: habitus autem iste Fidei, qui in intellectu acquiritur est verè supernaturalis in sua substātia, vtpotè actibus supernaturalibus Fdei acquisitus, & concurrit ad actū Fidei quoad facilitatem, & promptitudinem, & non quoad substantiam actus, quia ad eum vt sic concurrit habitus per se infusus.

Secundò est difficultas, an saltem ad affectum supernaturalem credendi Fide diuina sit in voluntate habitus infusus, quando dictus affectus est proprius ad id, elicitus videlicet ob propriam honestatem ipsius actus credendi; quod addi-

mus,

mus, quia quando affectus aliàs pertinet ad aliquam aliam virtutem infusam, vt quando affectus credendi elicitur ex complacentia Dei ob bonitatem ipsius Dei, vt quando quis vult credere ex complacentia Dei, quia actus credendi placet Deo, tunc absque dubio ad talem affectum supernaturalem est in voluntate habitus infusus, nempe charitatis, aut alius.

Circa hanc ergo difficultatem Theologi communiter, paucis exceptis, docent ad affectum supernaturalem credendi Fide diuina peculiarem, & proprium ad id elicitum, videlicet ob propriam honestatem ipsius actus credendi esse in voluntate habitum infusum. Ita Soar. disp.7. sect. 2. Lorca disp. 25. Ægidius disp. 13. dub.6. Adamus disp. 1. q.6. dub. 1. & Granad. tract. 13. disp. 6. & meritò, quia ex vna parte vt affectus iste (vtpote supernaturalis) à voluntate connaturaliter quoad substantiam eliciatur, est ipsi voluntati necessarius habitus per se infusus, vt eo voluntas iuuetur, & eleuetur, & ex altera parte est maximè consonum suauitati prouidentiæ Dei quod affectus ille connaturaliter eliciatur, quia est imperium, & initium actus credendi Fide diuina, qui connaturaliter elicitur; etiamsi voluntati denegetur habitus acquisitus naturalis ad affectum naturalem: imò etiam denegandus sit habitus acquisitus supernaturalis ad affectum supernaturalem, quia habitus acquisitus tam naturalis, quam supernaturalis tantum est concedendus in potentia, quæ ratione sui, habeat difficultatem in eliciendo suum actum, quia tantum conceditur ad superandam difficultatem: voluntas autem ratione sui nullam habet difficultatem ad eliciendum dictum affectum siue naturalem, siue supernaturalem, sed tantum deriuatiuè ab intellectu.

Obseruandum tamen est, vt optimè Lorca, hunc habitũ infusum voluntati ad eliciendum dictum affectum supernaturalem, quo ob honestatem actus Fidei diuinæ vult quod intellectus eum actum eliciat, ratione sui, & primario non esse virtutem, quia dictus habitus infusus inclinat in dictum affectum, qui non est moraliter bonus ratione sui, & primario, & bonitate propria, sed ratione alterius: & secundario, & bonitate deriuata ab actu Fidei diuinę (qui ratione sui est bo-

nus

nus quia rationi consonum est credere Deo dicenti) quia si dictus affectus est bonus, est, quia actus credendi, quem habet pro obiecto, & pro effectu morali est bonus, quamuis ad hos actus credendi egeat libertate voluntatis tanquam fundamento; habitus autem ea ratione est virtus moralis, qua est principium actus moraliter boni, sicut habitus absolutè est virtus moralis, quia est principiũ actus moraliter boni: dictus ergo habitus infusus in voluntate non est virtus moralis ratione sui, & primario sed secundario, & quatenus deseruit habitui Fidei, qui non solum est virtus intellectualis quatenus perficit intellectum in ordine ad verum, sed etiam est moralis, quatenus eum perficit in ordine ad bonum moraliter, quia sicut actus Fidei diuinæ est verus, ita etiam est moraliter bonus: sicut ergo in actu Fidei diuinæ, & in affectu ad ipsum non est duplex bonitas moralis, sed vna tantũ numero in vtroque, & non nisi Fidei diuinæ in actu Fidei primario, & in ipso affectu derivatiuè, & secundario à bonitate actus Fidei sicut in actu infidelitatis, et in affectu ad ipsum actum infidelitatis est vna tantum numero malitia, & hęc infidelitatis, ita etiam in vtroque dicto habitu, nempe in infuso Fidei diuinę intellectui, & in infuso dicti affectus voluntati est vna tantum ratio virtutis, primario in habitu intellectus, & secundario in habitu voluntatis: quia quamuis isti duo habitus sint principia diuersorum actuum secundum speciem quoad physicam entitatem, non tamen quoad moralitatem, nempe bonitatem moralem, ac proinde ea ratione, qua habitus infusus voluntati est virtus, est formaliter Theologalis, quia est principium actus habentis bonitatem moralem actus Fidei habentis Deum pro obiecto formali, & materialiter, seu physicè non est Theologalis, quia non est principium actus habentis, quoad suam physicam entitatem Deum pro obiecto formali, sed bonitatem ipsius actus credendi, quem habet pro obiecto materiali, & pro effectu morali.

Et eadem proportione qua philosophati sumus de affectu supernaturali quoad bonitatem moralem, philosophandum est de affectu naturali, quod scilicet habeat bonitatem moralem actus Fidei diuinæ quamuis bonitas hæc sit super-

naturalis,

naturalis, quia tantum habet eam deriuatiuè, & quasi extrinsecè, sicut affectus supernaturalis, & non quasi intrinsecè, sicut habet eam actus Fidei diuinæ. Et eadem proportione qua philosophati sumus de habitu supernaturali infuso voluntati quoad rationem virtutis, etiam est philosophandum de habitu naturali acquisito, ex suppositione quod admittatur, vt á nonnullis admittitur.

DISPVT. VI.

De Fide diuina tam pro actu, quam pro habitu.

DIFFICVLTAS I.

Vtrum Fides diuina sit speculatiua, an practica?

DIFFICVLTAS Hæc suo modo procedit de actu, & de habitu Fidei diuinæ: Scotus ergo q. 4. prologi, §. ad quæstionem igitur, & Durand. q. 6. prologi num. 20. docent Fidem diuinam esse pure practicam, quod probat Scotus quia omnis actus Fidei diuinæ, etiam ille qui est immediatè circa Deum mouet, & incitat voluntatem ad affectum, ergo omnis est practicus, & id probat Durandus, quia actus Fidei diuinæ habet pro obiecto opus meritorium, quod si actus Fidei est purè practicus, etiam habitus erit talis, quia erit principium actus purè practici.

Henricus (vt refert Lorca disp. 26.) & alij (vt refert Durand. num. 7.) docent Fidem diuinam esse purè speculatiuam; quia tandem & vltimo ordinatur ad visionem beatificam, quæ est pura speculatio.

S. T. verò q. 4. art. 2. & ibidem Caiet. & Aragon. Valent.

p.2.Soar.disp.7.sect.1.Lorca,Ægid.disp.16.n.16.Turrian. disp.38.dub.6.& Adamus quæst.6.dub.2.docent Fidem diuinam esse speculatiuam,& practicam, & merito, quia Fide diuina cognoscimus,& credimus mysterium Trinitatis, & Incarnationis, & similia, quæ non sunt praxis, & etiam plura alia,quæ quamuis sint operationes, non tamen sunt praxes, quia non cognoscimus illa modo operabili,ideſt,illa proponendo,& dirigendo vt fiant: & etiam Fide diuina cognoscimus,& credimus plura,quæ sunt operationes, & modo operabili,ea scilicet proponendo, & dirigendo, vt fiant: credimus enim quomodo Deus diligendus sit super omnia,& quo modo exercenda sint plura alia opera bona,ergo Fides diuina,tam actualis,quam habitualis,quælibet suo modo est speculatiua,& practica?

Superest tamen difficultas inter auctores nostræ sententiæ,quomodo Fides diuina sit speculatiua,& practica?

Caiet. Aragon Valent.& Soar. docent non esse formaliter speculatiuam,& practicam,sed tantum eminenter. Lorca verò,Turrian.Ægidius,& Adamus docent esse formaliter speculatiuam,& practicam, & meritò; quia Fide diuina plura credimus formaliter speculatiuè, & plura alia formaliter practicè.

Est tamen discrimen inter actus Fidei diuinæ,& inter habitum saltem infusum,quod vnus,& idem numero actus non est simul speculatiuus,et practicus; vnus tamen, et idem numero habitus infusus Fidei est simul speculatiuus, et practicus;quia omnes actus Fidei tam speculatiui, quam practici, quorum habitus est principium sunt eiusdem speciei,ac proinde actus speculatiuus Fidei, & actus practicus quilibet seorsim est inadæquatus habitui Fidei,sicut etiã intellectui.

Ad rationem ergo Scoti,concedimus actum Fidei diuinæ excitare affectum circa obiectum ipsius actus Fidei;id tamen non sufficit ad rationem actus practici, sed requiritur quod moueat ad affectum voluntatis,aut ad alium actum,eum immediatè proponendo,vt obiectum,& dirigẽdo,vt fiat. Ad rationem Durandi negamus omnem actum Fidei habere pro obiecto immediatò modo prædicto actum meritorium,quod requiritur ad rationem cognitionis practicæ.

Ad

Ad rationem verò Henrici, & aliorum respondemus, quod quamuis Fides extrinsecè, & vltimo ordinetur ad visionem beatificam, quæ est pura speculatio, non ex eo est speculatiua, sed quia est cognitio, aut principium cognitionis, quæ habet pro obiecto immediato rem, & nõ operationem, aut si aliquando operationem, non tamen modo operabili, quod non tollit etiam esse practicam, quia etiam est cognitio, aut principium cognitionis, quæ habet pro obiecto immediato operationem, & modo operabili.

DIFFICVLTAS II.

Vtrum Fides diuina possit esse maior in vno quam in alio?

CIRCA Fidem actualem, seu actum Fidei diuinæ, conueniunt Theologi posse esse intensiue maiorem in vno homine, quàm in alio; & in eodem homine vnum actum Fidei diuinæ posse esse intensiuè maiorem, quam alium vt patet: & etiam in vno homine posse esse extensiuè maiorem, quam in altero; quia vnus potest plures res Fidei credere, quam alius, siue vno, siue pluribus actibus; imò vnus, & idem potest idem in diuersis temporibus.

Addimus Fidem diuinam actualem, seu actum Fidei diuinæ posse in vno esse certiorem quam in altero; imò in eodem homine circa diuersas res Fidei, & in diuersis temporibus circa idem obiectum, non certitudine sumpta pro veritate, quia sic vnus actus Fidei diuinæ non est certior alio, sed certitudine sumpta pro determinatione assensus Fidei absque formidine, quia vnus homo potest magis determinatè, & firmiter credere quam alius relinquendo minorem, & difficilio rem locum formidini, quàm alius: imò vnus, & idem homo potest magis determinatè, & firmiter credere vnam rem Fidei quam alteram, imò in vno tempore vnam, & eandem rem magis determinatè, & firmiter, quam in alio tempore, vt patet.

Circa Fidem habitualem infusam, seu habitum infusum

Fidei diuinæ conueniunt Theologi posse esse maiorem intensiuè in vno homine quam in alio, vt patet: imò in vno, & eodem posse fieri maiorem intensiuè, vt etiam patet, & nō posse esse maiorem quoad extensionem in vno homine quam in altero, & multo minus in eodem homine, quia quoad extensionem est indiuisibilis, vt diximus disp. 5. dif. 2. & idem dicendum est de habitu supernaturali acquisito Fidei diuinæ quoad intensionem, vt etiam patet, non verò quoad extensionem, quia quoad hanc verè est diuisibilis pro varietate propositionum Fidei, quæ Fide diuina creduntur.

DIFFICVLTAS III.

Vtrum Fides diuina possit manere sine charitate?

DIFFICVLTAS Hęc suo modo procedit de actu, & habitu Fidei diuinæ.

Circa eam ergo Catholici contra hæreticos cōueniunt, Fidem diuinam posse esse, & manere sine charitate, quod definitur in Trid. sess. 6. can. 28. dum in eo damnatur, qui dixerit amissa gratia per peccatum, etiam amitti veram Fidem, & id supponit Paul. 1. ad Corinth. 13. dum ait. *Etsi nouerim mysteria omnia, charitatem autem non habuero.* Et significat Iacob. cap. 2. dum ait. *Fides sine operibus mortua est.* Quod expressit August. 15. de Trin. cap. 18. dum ait. *Fides sine charitate potest esse, sed non prodesse,* & tradunt communiter PP.

Et ratione probatur, quia Fides tam pro actu, quam pro habitu ex natura rei non pendet à charitate, quia est prior quam ipsa, neque pendet ab illa ex ordinatione Dei, quia de hac non constat, imò constat oppositum: neque omne peccatum mortale, quod expellit gratiam, opponitur Fidei diuinę, quia non opponitur illi ex natura rei, quia existens in peccato mortali potest ex natura rei credere Fide diuina, neque illi opponitur ex ordinatione Dei, quia de hac non constat, imò constat oppositum: ergo Fides diuina potest esse, &

manere, quamuis non sit, & quamuis amittatur gratia, & charitas.

Sed obijciunt hæretici primo plura scripturæ, & PP. testimonia, quibus indicatur vera Fides iustificare, ac proinde nō posse esse absque gratia, & charitate. Testimonia hęc explicantur in tract. de gratia: interim tamen dicimus, vel eis tantum significari veram Fidem esse initium, & radicem iustificationis, vel in eis tantum esse sermonem de Fide viua, quæ per dilectionem operatur.

Obijciunt secundo illud Iacobi 2. Fides sine operibus mortua est; Fides autem mortua non est vera Fides, sicut homo mortuus non est verus homo. Respondemus primo, Fidem absque charitate dici mortuam, quia absque charitate est otiosa, & non mouetur, motibus scilicet meritorijs de condigno vitæ æternæ (sicut aquæ, quæ non mouentur dicuntur mortuæ, & mare quod non mouetur dicitur mortuum) quod non tollit esse veram Fidem; sicut quod homo sit otiosus, non tollit esse verum hominem. Secundo respondemus, quod quamuis Fides absque charitate sit in rigore mortua, non desinit esse vera Fides, quia Fides non constituitur intrinsecè in esse veræ Fidei vita, & anima, qua viuit, nempè charitate sicut corpus, quod est altera pars hominis non desinit esse corpus ex eo quod sit mortuum, & absque anima, quia non constituitur in esse corporis anima, & vita; homo verò mortuus desinit esse homo, quia in esse hominis intrinsecè constituitur anima & vita; quia ergo Fides non viuit intrinsecè, sed tantum extrinsecè per coniunctionem cum charitate, sicut dictum corpus per coniunctionem cum anima; homo verò viuit intrinsecè ipsa anima, qua intrinsecè constituitur in esse hominis; ideo homo mortuus morte ipsa, qua separatur anima desinit esse verus homo; Fides verò non desinit esse vera Fides, quamuis moriatur sicut neque dictum corpus desinit esse verum corpus, ex eo quod moriatur, quia moriuatur extrinsecè, & non intrinsecè.

Tertiò obijciunt testimonia scripturæ, & PP. in quibus Fides absque charitate dicitur ficta, & dicitur negari à male viuentibus, & etiam dicitur dæmoniorum. Respondemus in eis Fidem absque charitate, & operibus dici fictā, non quoad

in-

intrinsecum ipsi, sed quoad apparentiam; & eodem modo, qui male viuunt, dicuntur negare Fidem, quia scilicet viuunt, ac si essent infideles, & dicitur Fides dæmoniorum quoad omnimodam carentiam fructus, seu quoad omnimodam sterilitatem.

DIFFICVLTAS IIII.

Vtrum charitas sit forma Fidei diuinæ?

CONueniunt Theologi charitatem esse formam, & animã Fidei diuinę, qua Fides formatur, animatur, & viuit, & ob id Fidem diuinam coniunctam charitati appellant Fidē formatam, & viuam; & Fidem diuinam sine charitate, informem, & mortuam; quod suo modo conuenit actibus, & habitibus tam Fidei, quam charitatis.

Est tamen difficultas, quomodo charitas sit forma, & anima Fidei diuinæ?

Circa quam Theologi contra Richardum conueniunt charitatem non esse formam physicã, & intrinsecã Fidei diuinæ, quia non est in Fide tanquam in subiecto, sed tantum esse formam extrinsecam, & moralē, eã extrinsecē, & moraliter informantem: quam sic tribus modis informat. Primo ex eo quod actus Fidei diuinę refertur in Deum ex imperio charitatis, qua relatione, & imperio formatur, & viuit, quod primario conuenit actibus ipsis tam Fidei, quam charitatis; habitibus verò secundario, quatenus sunt principia ipsorum actuum. Secundò charitas dicitur formare, & animare Fidē, quia actus Fidei fiunt digni vita ęterna, ex eo quod fiant ex imperio charitatis, vel saltem ex eo quod fiant ab homine iusto habente charitatem, quamuis non fiant ex imperio charitatis. Hi tamen duo modi formationis, & animationis etiã conueniunt charitati respectu actuum aliarum virtutum.

Tertio ergo charitas est peculiariter forma, anima, & vita Fidei diuinæ (non charitas antecedens Fidem, sed eam subsequens) quia scilicet Fides diuina est radix excitatiua, & fructificatiua iustificationis, & charitatis, sicut est arbor sui fructus, ac proinde Fides iustificatione, & charitate (non solum prima peccatoris, sed etiam

secunda iusti, qua crescit in iustitia, & charitate) perficitur, & consummatur, formatur, & viuit iuxta illud Iacobi 2. *Vides quoniam Fides cooperabatur bonis operibus illius, & ex operibus consummata est.* Sicut ergo arbor suo fructu perficitur, & formatur, & viuit, quia fructus arboris etiã est vita ipsius, sicut etiam fructus vitæ (operatio videlicet vitalis) est vita; ita etiam Fides suo fructu iustificationis, & charitatis perficitur, animatur, & viuit; & absque eo fructu dicitur mortua, & otiosa, sicut arbor absque fructu censetur talis, & in eo sensu Trid. sess. 6. cap. 7. Fidem, cui non accedit charitas appellat mortuam, & otiosam. Et Iudas in sua epistola hæreticos appellat arbores autumnales, quia non ferunt fructum, quẽ fert Fides, imò bis mortuas, & eradicatas, quia non solum non ferunt fructum, sed neque habent radicem, quę est Fides, ac proinde carent duplici vita, nempè vita fructus, & vita radicis, in quo assimilantur arbori eradicatæ; peccatores verò fideles assimilantur arbori autumnali, quæ quamuis habeat radicem, tamen non fert fructum.

DIFFICVLTAS V.

Vtrum Fides diuina formata, & informis sint eadem Fides?

DIFFICVLTAS Hęc etiam suo modo procedit de actu, & de habitu Fidei diuinæ.

Circa quam Alex. 3. p. q. 64. memb. 6. Glossa in rubrica de summa Trinit. & Fide Catholica, & alia Glossa in Clemẽt. vnica eodem titulo docent, Fidem formatam, & Fidem informem esse duas Fides specie distinctas, quod Magist. in 3. dist. 23. probabile existimat, & indicari videtur 1. ad Cor. 3. illis verbis. *Cum venerit quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est* (id est, id quod est imperfectũ) ergo aduenięte Fide formata euacuatur, seu destruitur Fides informis, ac proinde videtur specie distingui. Et ratione probatur, quia vna,

& eadem res nequit esse viua, & mortua, sed Fides formata est viua, & informis est mortua, ergo sunt distinctæ adhuc secundum speciem.

Theologi tamen communiter docent, & meritò, Fidem formatam, & Fidem informem esse vnam, & eandem adhuc numericè, & indiuisibiliter. Ita S. T. 2.2.q.4.art.4. & ibidem eius interpretes, & scholastici in 3. dist. 23. vbi Magist. id etiam probabile existimat. Et in primis, quod non sit duplex Fides secundum speciem, constat, quia Fides formata; & informis adhuc sumpta pro actu innititur eidem obiecto, formali, nempe eidem diuinæ reuelationi, & sumpta pro actu procedit ab eodem habitu, saltem in Catholico. Deinde quod non sit duplex secundùm numerum constat, quia absq; fundamento aliquo fingitur distinctio numerica Fidei, quia Fides est informis, quando est sine charitate, & est formata quando est cum illa; eadem autem numero Fides, quæ est cũ charitate, potest postea manere sine illa, & quæ antea est sine charitate potest postea esse cum illa, quia nõ pendet á charitate, vt iam diximus. Fides ergo formata nihil addit supra informem, nisi connotationem ad charitatem, quia connotat coniunctionem cum illa.

Paulus verò vbi suprà non vult Fidem informem cessaturam per aduentum charitatis, qua formabitur, sed tantum vult per aduentum visionis claræ Dei, qua beamur, cessaturam Fidem.

Et ad rationem respondemus distinguendo maiorem, nempe eandem numero rem non posse esse viuam, & mortuã, quando res est viua intrinsecè, sicut est homo; posse tamen, quando tantum est extrinsecè viua, sicut & materia prima hominis, quæ est viua, quando est cum anima, & eadem numero est mortua, quando est sine illa: & quia Fides tantum est extrinsecè viua ob coniunctionem cum charitate ipsi extrinseca; ideo eadem numero Fides diuina potest esse viua, seu formata, & etiam mortua, seu informis, quamuis in diuersis temporibus.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrum possit quis certò cognoscere se habere Fidem diuinam.

QVOD Quærimus est, an possit quis iudicatiuè cognoscere iudicio cui non possit subesse falsum, se habere Fidem diuinam; aut quod idem est, an possit quis id certo cognoscere certitudine sumpta pro veritate cognitionis, cui non possit subesse falsum, non certitudine quasi subiectiua sumpta pro determinatione iudicij non relinquentis intellectui locum formidini.

Conueniunt ergo Theologi, neminem lege ordinaria cognoscere certo cognitione, cui non possit subesse falsum, se habere habitum infusum Fidei diuinę; quia id non potest certò cognoscere certitudine euidentiæ; quia id nemo euidenter cognoscit, neque certitudine Fidei diuinæ; quia non est de Fide esse talem habitum, & multo minus eum habitum in aliquo ex nobis reperiri; neq; certitudine Theologica, quia id nemo potest deducere ex præmissis de Fide, neque ex vna de Fide, & ex altera euidenter nota, vt patet.

Est ergo difficultas circa actũ Fidei diuinæ, an quis possit certo cognoscere cognitione certa, cui siue naturaliter, siue supernaturaliter nequeat subesse falsum, se habere, vel habuisse actum Fidei diuinæ.

Et primo est difficultas, an fidelis cognoscat certo euidenter se habere actum Fidei diuinæ, id est, an id cognoscat cognitione euidenti, quæ eo ipso etiam est certa.

Bonauent. in 3. distin. 23. dub. 4. circa tex. & Vega 9. in Trid. cap. 37. partem affirmatiuam tuentur; quam expressisse videtur Aug. 13. de Trinit. cap. 1. dum ait. *Video me credere, si credo.* Et iterum. *Fidem quando in se nobis videmus in nobis.* Et ratione probatur, quia nihil possumus magis euidenter experiri quam actum nostri intellectus: actus autem Fidei diuinæ est actus intellectus nostri.

Valentia verò 1.2. disp. 8. q. 4. p. 4. § 6. & A Egidius disp. 14. dub 14. partem negatiuam tradunt & merito; quia actus

Fidei diuinæ eſt aſſenſus elicitus ob reuelationem diuinam, vere, & re ipſa factam, & non tantum apparentem: fidelis autem quamuis euidenter cognoſcat ſe credere ob reuelationem diuinam (quod tantum voluit Auguſt. & tantum probatur ratione aduerſariorum) non tamen cognoſcit euidenter ſe credere ob reuelationem diuinam verè, & re ipſa factam, quia non habet euidentiam illius, ergo non cognoſcit euidenter ſe habere actum Fidei diuinæ.

Secundò eſt difficultas, an fidelis certò cognoſcat certitudine Fidei diuinæ ſe habere actum Fidei diuinæ, ideſt, an id cognoſcat actu Fidei diuinæ.

Scotus in 3. diſt. 23. Caiet. & Medin. 1. 2. q. 12. art. 5. & Bañez 2. 2 queſt. 6. articul. 1. partem affirmatiuam tuentur: quam indicare videtur Paul. 2. ad Corinth. vlt. *Vos metipſos tentate, ſi eſtis in Fide, ipſi vos probate.* Et ratione probatur. Primo, quia fidelis credit certitudine Fidei diuinæ Deum eſſe vnum, & Trinum, ergo eadem certitudine credit actum, quo id ſic credit eſſe ob reuelationē diuinā, quia ſi Fide diuina nō crederet eū actū eſſe ob reuelationē diuinā, poſſet formidare, an eſſet Fidei diuinæ, & conſequenter, an obiectū illius eſſet verum. Secundò, quia ſi fidelis non eſt certus certitudine Fidei diuinæ ſe habere, vel habuiſſe actum Fidei diuinæ poterit formidare, & dubitare, an ſit fidelis; quia Fide ipſa conſtituitur fidelis.

Valent. verò, & AEgid. vbi ſuprà, Turrian. diſp. 42. dub. 5. Becanus cap. 11. quæſt 5. & Adamus quæſt. 6. dub. 5. partem negatiuam tradunt, & meritò quia non eſt reuelatum à Deo me credere Fide diuina, ſeu me habere actum Fidei diuinæ: ergo non poſſum credere Fide diuina; neque hac Fide certus eſſe, me habere actum Fidei diuinæ, quia nō poſſumus Fide diuina credere, niſi id quod Deus reuelauit.

Paulus autem vbi ſuprà, non loquitur de probatione infallibili Fidei diuinæ, ſed tantum de probatione, quæ inducit prudentem, & moralem certitudinem. Et ad primam rationem concedimus antecedens, & negamus conſequentiam. Et ad probationem concedimus fidelem poſſe phyſicè formidare, & dubitare, an actus Fidei diuinę quos elicit, ſint Fidei diuinæ, & an obiectum ipſorum ſit verum, non

tamen id posse licitè, & absque peccato, suppositâ prudentè propositione reuelationis diuinæ, de quo diximus disp. 3. dif. 3. & etiã ad secundã concedimus fidelẽ posse physicè, vel metaphysicè formidare, & dubitare, an sit fidelis, sed id non posse prudenter, seu cordatè.

Tertiò est difficultas, an fidelis certo cognoscat certitudine Theologica, id est, assensu Theologico se habere actum Fidei diuinæ.

Bañez q. 6. art. 2. dub. vlt. & Becanus cap. 11. q. 5. partem affirmatiuam tuentur, quia fidelis vti potest discursu in quo ex vna propositione reuelata, & ex altera euidente infert, seu concludit se habere actum Fidei diuinę; ergo potest esse certus certitudine, seu conclusione Theologica. Antecedens probatur, quia potest vti hoc syllogismo, quicumque credit mysteria Fidei ob reuelationem Dei veram, & non tantum apparentem, habet actum Fidei diuinæ, sed ego credo mysteria Fidei ob reuelationem Dei veram, & non tantum apparentem, ergo habeo actum Fidei diuinæ: in hoc autem syllogismo, maior est reuelata, minor euidens.

Valent. verò, & Turrianus dub. 6. partem negatiuam tradunt, & meritò, quia me habere actum Fidei diuinæ, neq; infertur ex duabus præmissis de Fide, quia non sunt, neque ex vna de Fide, & ex altera euidente, quia si in aliquo syllogismo maximè in adducto pro aduersarijs, in eo autem non, quia præter quam quod maior propositio potius est euidẽs, quam reuelata: minor non est euidens fideli, vt dicimus in principio huius difficultatis; quia quamuis sit mihi euidens, quod credo ob testimonium Dei, & id ego experiar, seu quasi experiar; non tamen quod credo ob testimonium Dei verè, & re ipsa exhibitum, & non tantum apparens quia mihi non est euidens Deum id reuelasse.

Ex dictis constat fidelem non certo scire cognitione, cui non possit physicè subesse falsum, se habere actum Fidei diuinæ: nihilominus id potest certo agnoscere certitudine morali maxima excludente moraliter omnem formidinem, & maiori certitudine, quam sit certitudo, qua certò moraliter credimus hostiam à nobis consecratam esse verè consecratam, quia fidelis, euidenter cognoscit se credere ob testi-

monium

monium Dei, & firmiſsimis motiuis abſque motiuo proba bili in oppoſitum, poteſt cognoſcere Deum, id verè, re ipſa reuelaſſe.

Addimus eum, qui credit obiectum aliquod ob reuelationem creditam ob alteram reuelationem reflexam poſſe certo cognoſcere ſe habere actum Fidei diuinæ certitudine aſſenſus, quaſi Theologici; quia in primis euidenter cognoſcit euidentia quaſi experimentali ſe credere ob reuelationē Dei, & deinde actu Fidei diuinæ credit eam reuelationem ob quam credit obiectum illius reuelationis directæ, eſſe re ipſa factam à Deo. Vnde in hoc caſu in dicto illo ſillogiſmo, aduerſariorum minor propoſitio eſt certa, quia partim eſt euidens, nempe quoad hoc, quod credo ob reuelationem Dei, quia hoc conſtat quaſi experientia, & partim eſt certa de Fide nempè quoad hoc, quod reuelatio ob quam credo ſit verâ, & non tantum apparens; quia quoad hoc creditur Fide diuina.

DISPVT. VII.

De habentibus Fidem diuinam.

DIFFICVLTAS I.

Vtrum primus parens habuerit Fidem diuinam.

MAGIST. In 2. diſt. 23. Hugo de Sancto Victore lib. de Sacramentis par. 6. cap. 14. Alenſ. in ſumm. de virtut. & Gandau. quodlib. 7. quæſt. 14. indicāt in Adamo ſaltem in ſtatu innocentiæ ante lapſum non fuiſſe actum Fidei diuinæ, ſed notitiam quandam excellentiorem mediam inter Fidem, & viſionem Beatificam, quia

actus

actus Fidei diuinæ est cognitio obscura, quæ in Adamo, saltim in eo excellentissimo statu innocentiæ erat indecens.

Theologi tamen communiter docent in Adamo, etiam in statu innocentiæ fuisse actum Fidei diuinæ, quod deducitur ex Paulo ad Hebr. 11. *Sine Fide impossibile est placere Deo, & accedentem ad Deum oportet credere*: Adamus autem etiam in statu innocentiæ fuit placens Deo, & ad eum accessit, ergo habuit actum Fidei diuinæ; quod fuit satis congruum, quia est conuenientissima dispositio ad sanctificationem, seu accessum ad Deum; quod autem Adamus in eo statu fuerit sanctus, satis indicatur Sapientia 2. *Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum*, Et Ecclesiast. 1. *Deus fecit hominem rectum*, & supponitur in Trident. sess. 5. decreto de peccato originali Can. 1. dum dicitur. *Adam per transgressionem mandati, statim sanctitatem, & iustitiam, in qua constitutus fuerat amisisse* Et ratione probatur, quia Adam etiam in eo statu, absque dubio habuit cognitionem mysterij Trinitatis, & Dei glorificatoris, sed non cognitionem Fidei Angelicæ, quia non est verisimile id accepisse ab Angelis, neque cognitionem euidentem, quia non intuitiuam, vt patet, neque abstractiuam, quia nullus erat effectus per se Trinitatis, vt Trinitas est, ex quo id posset deducere; neque erat aliquis effectus Dei glorificatoris, ex quo id posset deducere, ergo id cognouit ex reuelatione Dei; ac proinde habuit actum Fidei diuinæ, qui non incongruebat Adamo, adhuc in statu fœlici, quia in eo quamuis fœlici erat purus viator.

Addimus primum Parentem habuisse actum Fidei diuinæ in primo instanti suæ creationis, quia in eo creatus fuit in gratia, & sanctitate, vt tradunt Dionysius cap. 13. de Eccles. Hierarch. part. 3. & alij PP. & indicatur in dictis locis sapient. & Ecclesiast. & Trident. ac proinde in eo primo instanti habuit actum Fidei diuinæ, qui adultis est necessarius ad actum Charitatis, absque quo extra Sacramentum non contingit illis sanctificari. Id quod dicimus de Adamo, nempe in statu innocentiæ habuisse actum Fidei diuinæ; imò & in primo instanti suę creationis, etiam dicēdum est de Eua, quia eadem est congruentia, & ratio. Quod si ambo pri-

mi Parentes in ſtatu innocẽtiæ, imò in primo inſtãti creationis habuerunt actum Fidei diuinæ, etiam fuit illis infuſus habitus, vt eo adiuti, & eleuati actum illum elicerent.

Circa obiecta quæ Adam in ſtatu innocentiæ credidit conueniunt Theologi credidiſſe explicitè omnia myſteria ad diuinitatem, & etiam ad ſanctificationem, & ad beatitudinem ſpectantia, quæ nos credimus. Eſt tamen difficultas, an etiam crediderit explicitè Incarnationem.

Circa quam, etiam ſi Leſius de prædeſtinatione Chriſti ſect. 2. num. 26. partem negatiuam tueatur: nihilominus Vazq. 3. part. diſput. 12. cap. 13. Soar. etiam 3. part. quæſt. 1. artic. 3. Turrian. diſput. 27. dub. 1. & Ægid. diſput. 17. partem affirmatiuam tradunt, & meritò; quia ex vna parte id fieri potuit, abſque præiudicio decreti Incarnationis facti poſt peccatum ipſius Adami præuiſum, vt dicimus tract. de Incarnat. diſput. 1. difficult. 27. & ex altera parte erat maximè congruum tantum myſterium ipſi in eo ſtatu reuelari, & ne in eo ſtatu adeo fœlici, eſſet tanti myſterij ignarus, & vt ex tunc tantum myſterium veneraretur. Nihilominus ipſi non fuit reuelata occaſio futuritionis Incarnationis, nempe peccatum ipſius, ne ipſi in eo adeo fœlici ſtatu nimia triſtitia injiceretur.

Sed an reuelatio Incarnationis fuerit ipſi facta in primo inſtanti ſuæ creationis, & conſequenter in eo habuerit actum Fidei circa illam ſub controuerſia eſt, quia Soar. & Ægid. exiſtimant reuelationem Incarnationis fuiſſe illi factã in eo primo inſtanti. Vazquez verò, & Turrianus exiſtimant non fuiſſe illi factam, vſque ad ſomnum illum, cuius fit mentio, Gen. 2. in quod inclinant plures PP. quos refert Vazquez, & ob hoc etiam nos in id inclinamus, quia eorum auctoritas eſt firmius fundamentum quam quod poteſt pro Soar. & AEgidio adduci.

DIFFICVLTAS II.

Vtrum Angeli habuerint Fidem diuinam?

SVPPONIMVS Ex tract. de Angelis, in quo contra Ludouicum Viuas in cap. 9 lib. 11. de Ciuitate Dei conueniunt Theologi, Angelos prius fuisse viatores, & postea ex illis alios fuisse beatificatos, & alios damnatos, de quo Vazq. 1. part. disp. 226.

Hoc ergo supposito difficultas est, an Angeli in statu viatorum habuerint actum Fidei diuinæ.

Durand in 3. dist. 23. quæst. 9. docet, Angelos in statu viæ non habuisse actum Fidei diuinę, adhuc circa mysteria supernaturalia, sed mysteriorum supernaturalium habuisse cognitionem euidentem; quia Angeli habuerunt euidentiam reuelationis Dei mysteriorũ supernaturalium, ex reuelatione autem euidenter constantè infertur cognitio euidens rei reuelatæ medio illo sillogismo. *Quidquid Deus dicit est verum, &c.*

S. Th. verò quæst. 5. artic. 1. Turrian. disput. 43. dub 2. Ægid disp. 17. num. 16. Adam. quæst. 6. dub. 4. Granad. tract. 13. sect. 3. Pet. Hurtad. disp. 59. sect. 1. & communiter Theologi docent in Angelis in statu viæ fuisse actum Fidei diuinæ, & meritò, quia Angeli in eo statu habuerunt cognitionẽ supernaturalem mysterij Trinitatis, & Dei glorificatoris nõ euidentem, quia ex euidentia reuelationis non infertur, vt diximus disput. 2. difficult. 7. ergo cognitionem Fidei diuinæ.

Addimus Angelos in primo instante suæ creationis habuisse dictum actum Fidei diuinæ, vt aduertunt S. Th. & communiter Theologi, quia ex vna parte in eo primo instanti potuerunt elicere actum Fidei diuinæ, & ex altera in eo instanti fuerunt creati in sanctitate; & gratia (vt affirmant Vazq. & Turrian.) quæ adultis, aut quasi adultis non confer-

tur

tur extra Sacramentum absque actu Charitatis, ad quem erat illis necessarius actus Fidei diuinæ.

Quod si in primo instanti fuerunt creati in sanctitate, & gratia, etiam in eo fuit illis infusus habitus Fidei diuinę, absque quo, numquam in viatoribus reperitur sanctitas, & gratia, præsertim, quod in eo primo instanti habuerunt actū Fidei diuinę, qui nequit connaturaliter elici absq; dicto habitu.

DIFFICVLTAS III.

Vtrum Beati habeant Fidem diuinam?

CONVENIVNT Theologi in Beatis (siue hominibus, siue Angelis) non esse actum Fidei diuinæ circa Deum, vel quia repugnat Deum clare videri (sicut videtur à Beatis) & simul obscurè cognosci (sicut cognoscitur per actū Fidei) vel saltem, quia actus Fidei non decet Beatos, vt indicatur 1. ad Corinth. 13. illis verbis. *Cum venerit quod perfectum est* (id est, clara visio Dei) *euacuabitur quod ex parte est*, (id est, obscura cognitio) & illis verbis. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, & 2. ad Corin. 5. illis verbis. *Dum sumus in corpore peregrinamur à Domino; ambulamus enim per Fidem, & non per speciem.*

Est tamen difficultas, an circa alia obiecta à Deo distincta sit in Beatis actus Fidei diuinæ?

Circa quam, etiamsi non desint, qui partem affirmatiuā tuentur; nihilominus Theologi communiter partem negatiuam tradunt, & meritò, quia ex vna parte circa alia obiecta est beatis possibilis cognitio intuitiua media propria specie eorum obiectorum à Deo infusa; & ex altera parte cognitio Fidei, vtpote obscura incongruit statui perfectissimo, & fœliciſsimo beatitudinis.

Addimus in Beatis, non solum non esse actum Fidei diuinæ, sed neque habitum infusum, in quo eiam Theologi cōmuniter conueniunt; quia incongruenter conseruabitur à Deo habitus ab ipso solo infusus, vbi actus incongruit.

Et quia in Beatis non est futurus actus Fidei diuinæ, ideò

neque

neque erit in illis affectus credendi (qui consistit in imperio efficaci credendi) & etiam quia incongruit, vbi non congruit actus credendi. Et ob hanc rationem non erit in Beatis habitus infusus ad affectum credendi; quia scilicet vbi affectus incongruit, etiam incongruè conseruatur habitus infusus ad illum.

Tertullian. verò lib. de patientia, cap. 12. & Irenæus lib. 2. contra Hæreses cap. 47. in illud Pauli 1. ad Corinth. 13. *Nunc autem manent Fides, Spes, & Charitas*, vbi indicant in patria etiam manere Fidem & Spem, exponuntur à nonnullis; ita vt tantum velint manere Fidem non in se, sed in alia cognitione perfectiori sibi simili, & succedente.

In animabus verò Purgatorij est verè actus Fidei diuinæ, etiam circa Deum, quia etiam in Purgatorio peregrinantur à Domino, quia eum nondum vident. Vnde in eis etiam est, & perseuerat habitus infusus Fidei: & etiam in Patribus Lymbi verè fuit actus Fidei diuinæ, quia etiam in Lymbo peregrinabantur à Domino, & consequenter in eis etiam erat habitus infusus Fidei.

DIFFICVLTAS IIII.

Vtrum Damnati habeant Fidem diuinam?

DVRAND. In 3. distin. 23. q. 9. docet in damnatis, adhuc Angelis, qui in via habuerunt Fidem diuinam, etiã eam reperiri in eo statu damnationis (sed an Angeli eam habuerint in via ipse hæsitat) in idem inclinat Salmerõn disp. 3. in epist. Iacobi, & quoad Angelos damnatos, id existimat probabile Valentia q. 5. punct. 2. quod de Dæmonibus significari videtur Iacobi 2. *Credis quod vnus est Deus, benefacis: Dæmones credunt, & contremiscunt*; quibus verbis Iacobus significat in Dæmonibus esse Fidem similem Fidei diuinæ, quæ est in hominibus peccatoribus; aliàs argumentum, quo probare intendit Fidem hominum peccatorũ non sufficere ad salutem, desumptum ab exemplo Fidei Dæmonum, quæ non sufficit, nõ esset efficax, quia si Fides quæ est in Dæmoni-

monibus non esset diuina, exemplum non esset efficax; quia ex eo quod Fides Dæmonum non sufficiat ad salutem, non inferretur efficaciter, Fidem peccatorum nõ sufficere, quia hæc vtpote diuiná & superior posset sufficere, quamuis Dæmonum non sufficeret; quod si in Dæmonibus manet Fides diuina, etiam manebit in hominibus damnatis.

Et id ratione probatur, qua damnati, tãm homines, quàm Angeli recordantur reuelationis diuinæ; cuius habuerunt notitiam in via; quid ergo impediet ob eam assentiri, & credere?

S. Th. verò q. 5. art. 2. Soar. disp. 6. sect. 9 Ægid. disp. 17. dub. 2. q. 6. dub. 4. Granad. tract. 13. sect. 1. & communiter Theologi docent & meritò in damnatis non esse Fidem diuinam, quod generaliter desumitur ex Dionysio de diuinis nominibus capit. 4. dum ait, damnatos carere omnibus diuinis donis: & specialiter ex Augustin. 9. de Ciuitate Dei cap. 2. dum ait, Dæmones cognoscere Christum, non lumine Fidei, sed efficacia signorum. Ratio autem huius est, quia absque auxilio efficaci gratiæ Dei, nullus elicit actum Fidei diuinæ, vt supponemus ex tract. de gratia, damnatis autem nullum tale auxilium confertur à Deo, & non solùm non habent actum Fidei diuinæ, sed neque habitum infusum Fidei; quia nihil supernaturale illis confertur à Deo, neque conseruatur in eo statu, quamuis anteà præcesserit.

Damnati ergo cognoscunt res nostræ Fidei, non immediatè ob testimonium diuinum, sed partim ex signis, & ex effectibus, quos experiuntur, & partim ex motiuis nostræ Fidei, quæ damnati optimè penetrãt, quibus moraliter cõuincuntur Deũ res nostræ Fidei reuelasse, & inde per discursum cognoscũt esse veras, syllogismo illo. *Quidquid Deus dicit est verum, &c.* & non immediatè ob testimonium Dei. Et quia eorum cognitio saltem circa mysteria præcipua nostræ Fidei non est euidens, sed obscura, etiã in eo Dæmone, qui habuit euidentiã diuinæ reuelationis, ideo dicuntur credere; & quia plura sic credunt moraliter conuicti quæ nolent credere, quia nolent esse vera, ideo dicuntur credere coactè, sed non coactione rigorosa, quia non prouenit ab extrinseco ipsis non cooperantibus.

Iacobus autem vbi suprà, quamuis non admittat in dæmonibus Fidem diuinam nostræ similem, sed alium assensum improprié dictum Fidem, efficaciter arguit exemplo Fidei dæmonum contra hæreticos illius tẽporis, vt vidimus disp. 4. diff. 5. quia existimabant Fidem vnde cumque conceptam quamuis non diuinam sufficere sine operibus ad salutem, facientes vim non tam in modo credendi, quàm in obiecto, vt credito, & in firmitate assensus circa illud.

Ad rationem verò respondemus, ad actum Fidei diuinæ non sufficere reuelationem diuinam sufficienter applicatam, si non conferatur auxilium efficax gratiæ, quod damnatis nõ confertur, vnde non credunt ob reuelationem diuinam ex defectu auxilij efficacis, & non ex defectu reuelationis diuinæ, & applicationis ipsius.

DIFFICVLTAS V.

Vtrum hæretici habeant Fidem diuinam?

SOar. disp. 7. sect. 4. Lorca disp. 33. & plures alij docent, hæreticum, dum est talis, non posse habere actum Fidei diuinæ, quia peccatum infidelitatis, & hæresis non est, quousq; illi, qui discredit, sit prudenter proposita reuelatio rei credendæ: imò quousque persuasus sit, veram Ecclesiam tenere eam rem, vt reuelatam à Deo, sed illi cui non vrget reuelatio diuina prudenter proposita circa vnam rem, non vrgebit prudenter proposita circa aliam; præsertim, si ab eodem proponente, & æqualiter sit proposita; quia vtraque reuelatio est eiusdem Dei, & circa vtramque rem prudenter proposita; imò aliquando ab eodem proponente, & æqualiter: ergo qui est incredulus, & infidelis Deo reuelanti vnam rem, qualis est hæreticus, non potest eidem aliam reuelanti credere.

Durand. verò in 3. dist. 23. q. 9. docet, hæreticum discredentem vnam aut alteram rem Fidei diuinæ, posse Fide diuina, seu ob reuelationem diuinam credere alias res, seu habere actum Fidei diuinæ circa illas (cui annunt AEgidius disp.

14.dub.2.Becanus cap.11.q.3.&Granad.tract.13.sect.2.)& non absq; probabilitate aliqua,quia ille est vere Deo infidelis,& hæreticus (si aliàs sit professione Christianus) vt dicemus disp.10.diffic.5. qui sciens Deum aliquid reuelasse, aut id non potens cordate,seu rationabiliter dubitare,discredit illud: sed quis post prudentem propositionem duarum rerũ Fidei,vt à Deo reuelatarum,adhuc ab Ecclesia factam, postquam nequeat cordatè,seu rationabiliter dubitare Deum illas duas reuelasse, potest persuaderi vnam ex illis esse à Deo reuelatam,& alteram non,vel quia reuelatio circa illam proponitur motiuis efficacioribus,quam reuelatio circa alterã, vel quia proponitur àpersona maioris auctoritatis,vel quia etiamsi proponatur ab eodem, & æqualibus motiuis, ac reuelatio circa alteram,potest in hac altera esse peculiaris aliqua difficultas, ob quam quis iudicet proponentem adhuc Ecclesiam falli circa reuelationem huius alterius,& non circa reuelationem illius; ergo poterit credere ob reuelationẽ diuinam,seu Fide diuina vnam rem,eam videlicet,quam existimat esse à Deo reuelatam (cum ei non deficiat aliquod requisitum ex parte obiecti formalis, & applicationis ipsius ad credendum Fide diuina) & discredere alteram; imò non apparet cur ex duabus rebus ab eodem propositis, vt reuelatis adhuc ab Ecclesia,& æqualiter non possit quis pro sola suæ voluntatis libertate credere vnam esse reuelatam, & nõ alteram, cum pro sua libertate quis ita credat Fide humana rem esse reuelatam,vt possit,vel potuerit id discredere absq; vlla mutatione ex parte motiui ad id credendum Fide humana, quando in obiecto materiali est aliqua difficultas sufficiens ad discredendum esse reuelatum à Deo; aliàs intellectus non penderet à voluntate in credendo quoad specificationem Fide humana reuelationẽ diuinam, quod est falsum, vt diximus disp.4.diffi.7.

Ex quo constat ad rationem aduersariorum,reuelationem diuinam posse vrgere circa vnam rem, & non circa alteram; vel quia reuelatio circa vtramq;rẽ non proponitur ab eodẽ, vel quia non proponitur æqualiter, quamuis ab eodem, vel quia si æqualiter, & ab eodẽ adhuc ab Ecclesia proponitur, potest esse peculiaris ratio,aut difficultas in vna re,& non in

altera, ob quam iudicetur reuelatio esse facta circa vnam rē, & non circa alteram, vel pro sola libertate voluntatis, quam uis non sit maior difficultas in vna re, quam in altera.

Obseruandum est, in quo Theologi contra Durandum conueniunt, in hæretico non esse habitum infusum Fidei diuinæ, quia eum per hæresim amisit; ac proinde dū hæreticus nequit credere actu Fidei infusæ, seu procedente ex Fide infusa, sed ex Deo supplente vicem habitus infusi: eum tamen habitum recuperat eo ipso, quod post retractationē, siue explicitam, siue implicitam definēs esse hæreticus credit aliquo actu Fidei diuinæ, vt hunc actū nouū iam Catholicus connaturaliter eliciat, & quia actus ille Fidei diuinæ in hæretico perseuerante hæretico non procedit ex habitu infuso Fidei, bene tamen in Catholico; ideo actus Fidei diuinæ in hæretico est diuersæ speciei ab actu Fidei diuinæ in Catholico, quia actus specificantur non solum ab obiecto formali, sed etiam à principio efficienti principali, & quamuis etiam essentialiter sit fluxus à principio instrumentali, ab hoc tamen nō specificatur stricte (sicut neque ab obiecto materiali, etiamsi essentialiter sit circa illud:) ob quod actus Fidei, & actus visionis Beatificæ in hominibus, & in Angelis non distinguntur specie, quamuis eorū intellectus à quibus essentialiter fluunt distinguantur specie, quia ab his tantum fluunt instrumentaliter: ita tamen actus Fidei diuinæ in hæretico, & in Catholico sunt diuersæ speciei, vt in Catholico sit perfectioris, seu altioris speciei; quia etiamsi Deus sua potentia absoluta possit concursu aliquo adeo extraordinario, & excedēte loco habitus infusi concurrere cū intellectu ad actum Fidei, vt iste euadat altioris speciei, quam actus procedens ex habitu infuso in Catholico: nihilominus sua potentia ordinaria ita concurrit ad actum Fidei diuinæ in hæretico, vt in hoc euadat inferioris speciei, quam in Catholico, quia Deus infundit Catholico habitum, vt meliori modo, & meliorem actū eliciat, quam lege ordinaria absque illo eliceret.

Nihilominus actus Fidei diuinæ in hæretico potest procedere, & procedet ex habitu acquisito Fidei (quem diximus esse supernaturalē) si ante hæresim illū acquisierit actibus elicitis in statu Catholici, aut si illum acquirat in statu hæreti-

ci actibus in eo elicitis: & quamuis nullo firmo fundamento, possit firmiter definiri habitum acquisitum actibus altioribus Fidei in statu Catholici elicitis esse diuersæ speciei, ab habitu acquisito actibus inferioribus Fidei in statu hæretici elicitis, etiãsi verisimilius sit specie distingui, sicut & actus ipsi, qui sunt causæ principales eorũ specie distinguntur. Nihilominus existimamus habitũ acquisitũ in statu Catholici deseruire ad facilè, & promptè eliciendos actus Fidei in statu hæretici, & è contra habitũ acquisitũ in statu hæretici deseruire ad facilè, & promptè eliciendos actus Fidei in statu Catholici, quia quamuis actus Fidei in Catholico, & in hæretico sint diuersæ speciei; circa omnes tamen eadem est difficultas in ipsa potentia, quia omnes sunt circa eandem materiam, & ob eandem reuelationem diuinam, ex quibus solis prouenit difficultas ipsi potentiæ vincenda per habitum, & consequenter sufficienter vincetur, seu superabitur habitu, seu facilitate acquisita, quibuscumque actibus Fidei circa illam eandem materiam, & ob illam eandem reuelationem, quia actus generant habitus, seu facilitates ad actus similes quoad materiam, & quoad quodcumque aliud, ex quo potentiæ prouenit difficultas, siue actus futuri sint eiusdem speciei, siue diuersę ab actibus, à quibus habitus generantur.

DISPVT. VIII.

De necessitate actus Fidei diuinæ ad salutẽ.

DIFFICVLTAS I.

Quid & quotuplex sit necessitas ad salutẽ?

CIRCA Prius illa sunt, & dicuntur necessaria ad salutem, sine quibus eam consequi non possumus, qualia sunt auxilia præueniẽtia adultis, & Baptismus in re, vel in voto eisdem; & Baptismus in re

susceptus paruulis, & pœnitentia in re, vel in voto adultis, qui post Baptismum susceptum peccarunt mortaliter.

Circa posterius, illa quæ sunt necessaria ad salutem sunt in triplici differẽtia, quia alia sunt necessaria necessitate tãtũ præcepti; alia sunt necessaria, tantũ medij; alia sunt necessaria necessitate præcepti, & medij simul: illa sunt necessaria ad salutem necessitate tantum præcepti, quæ ex eo tantum sunt necessaria ad illã, quia sunt præcepta sub præcepto graui; illa verò sunt necessaria ad salutem necessitate tantũ medij, quę tantum sunt necessaria tanquam media, seu remedia conducentia ad illam, & non tanquam præcepta, qualia sunt media necessaria ad salutem, quę nõ sunt in nostra potestate, seu libertate, vt Baptismus paruulis, & auxilia præuenientia adultis: illa tandem sunt necessaria necessitate medij, & præcepti simul, quæ vtroque modo sunt necessaria, nempè, & tanquam media, & tãquam dicto modo præcepta, vt Baptismus, & pœnitentia adultis.

Est tamen discrimen inter tria prædicta, quod ea, quæ sunt necessaria ad salutem necessitate tantum præcepti, solũ sunt necessaria negatiuè ad illam, quia tantum sunt necessaria, quatenus eorum obseruatio est necessaria, vt non amittatur salus, quia est necessaria, vt non fiat peccatum mortale, quo amittitur iustificatio absque qua nequit obtineri vita æterna, & non sunt necessaria positiuè, quia quamuis aliquando positiuè conducant ad iustificationem, & ad perseuerantiam in ea, tamen quatenus positiuè conducunt (qua ratione sunt media, seu vtilia) non sunt necessaria; & ob id non dicuntur necessaria vt media, seu necessitate medij: illa verò quæ sunt necessaria necessitate tantum medij (quæ etiam dicuntur necessaria necessitate salutis, & finis) sunt necessaria positiue, quia sunt necessaria quatenus media, seu quatenus vtilia, & positiue cõducentia, seu influentia in salutem animæ; qualia sunt auxilia præueniẽtia adultis, & Baptismus paruulis, quia absque influxu positiuo eorum nequit salus animę obtineri. Ea tandem quę sunt necessaria necessitate præcepti, & medij simul, sunt necessaria negatiuè, & positiuè modo prædicto, quales sunt Baptismus, & pœnitentia adultis peccatoribus.

Ex

Ex discrimine dicto inter necessitatem tantum præcepti, & necessitatem tantum medij oritur alterum, nempè quod necessitas tantum præcepti excusatur ignorantia inuincibili ipsius præcepti, aut impotētia implendi illud, quia necessitas præcepti est, vt non fiat peccatum mortale, & ab hoc excusant ignorantia inuincibilis, & dicta impotentia; necessitas verò medij non excusatur ignorantia, neque impotentia, quia necessitas hæc est ob influxum positiuum rei sic necessariæ, quem non supplet ignorantia, neq; impotētia.

Obseruandum est, ea, quę sunt necessaria ad iustificationem etiam esse necessaria ad gloriam, seu vitam æternā, quia hæc obtineri nequit absque iustificatione; & quæ sufficiunt ad iustificationem primo faciendam, & conseruandam etiam sufficere ad gloriam, quia ad hanc obtinendam sufficiunt iustificatio, & perseuerantia in ea vsq; ad mortē; & quia ad perseuerandū in iustificatione non est necessarius actus Fidei diuinę, vt mediū (vt sæpè dicimus in hac disputatione) sed tantū ad iustificationē primo faciendam, ideo actus Fidei, qui sufficit & est necessarius ad iustificationē primo faciēdā, etiā est sufficiens, & necessarius ad gloriam, quia ad gloriā immediatè non est necessaria Fides, sed tantum ad iustificationem media qua obtinetur, quia posita iustificatione, & perseuerantia in ea vsque ad mortem, absque eo quod iustus aliud medium exhibeat, obtinebit gloriam. Vnde eo ipso quod quæritur, quæ Fides sit necessaria ad iustificationē, eo ipso quæritur quæ sit necessaria ad gloriam, & quæ constet sufficere ad iustificationem etiam constabit sufficere ad gloriam.

DIFFICVLTAS II.

Vtrum actus Fidei diuinæ sit necessarius, vt medium ad iustificationem?

DIfficultas hæc tantum procedit de lege ordinaria, quia de potentia Dei absoluta non est necessarius actus Fidei diuinæ ad iustificationem, quia hæc fieri potest infusione habitus gratiæ, quę fieri potest à Deo absq; prę uio aliquo actu nostro; & etiam vnione hypostatica, quæ etiam potest fieri absque aliquo actu nostro.

Circa difficultatem hanc Vega 6. in Trid. à cap. 17. docet actum Fidei diuinæ non esse medium necessarium ad iustificationem: quod indicare videtur Paul. ad Rom. 2 dum postquam dixit: *Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur*, subdit. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt*: quo indicare videtur gentiles, seu infideles, posse absque Fide seruare legem, & iustificari, sola notitia lumine naturali habita. Quod etiã potest ratione probari primo ab absurdo, quia aliàs multis absque ipsorum culpa deficerent media necessaria ad salutem, quia multis inest ignorantia inuincibilis mysteriorum nostræ Fidei. Secundò à priori, quia ad iustificationem sufficit dilectio Dei super omnia, sed absque actu Fidei diuinæ sola notitia naturali, siue ex testimonio humano, siue aliter habita potest elici dilectio Dei super omnia, quia ea notitia potest proponi voluntati Deus vt summe bonus, seu diligibilis: ergo ad iustificationem non est necessarius actus Fidei diuinæ necessitate medij.

Reliqui tamen Theologi docent, actũ Fidei diuinæ esse necessariũ adultis ad iustificationẽ (& consequenter ad gloriã) necessitate medij: quod satis significat Leo ser. 4. de Natiuit. Aug. ser. 38. de Tempore, Fulgent. lib. de Fide ad Petrum in initio, & Bernard. epist. 77. quod etiã non obscurè significauit Paul. ad Hebræos 11. *Sine Fide impossibile est placere Deo*, quia si non esset mediũ necessarium ad iustificationẽ, qua sola placemus Deo, vt amici, nõ esset impossibile absq; Fide placere Deo quando esset ignorantia inuincibilis rerum Fidei. Id quoq; significat Trid. sess. 6. c. 7. dũ ait. *Baptismus est Sacramentum Fidei, sine qua nulli vnquã contingit iustificatio*, quia si Fides diuina non esset mediũ necessariũ, sed tantũ esset necessaria necessitate præcepti, aliquando absque illa contingeret iustificatio, tunc videlicet, quando esset ignorantia inuincibilis, aut impotentia credendi.

Quod ratione à priori probatur, quia in primis iustificatio, quæ fit extra Sacramentũ, tantũ fit actu dilectionis Dei; ad hunc autẽ ex natura rei prærequiritur actus Fidei diuinæ in viatoribus, quia in his nulla alia cognitio supernaturalis reperitur, ac proinde nulla alia cognitio proportionata,

qua voluntas ſua natura cæca proportionatè,& ſufficienter ducatur,dirigatur, & illuminetur ad dictum actũ dilectionis Dei,vtpotè ſupernaturalẽ. Deinde iuſtificatio adultorũ,quæ fit medio Sacramento prærequirit ex inſtitutione Chriſti tã quã diſpoſitionẽ neceſſariã vt mediũ,actũ Fidei,& Spei,& Pœnitentiæ: præter hos autẽ duos modos iuſtificationis,nullus alius reperitur: ergo ad iuſtificationẽ quocumq; modo fiat, prærequiritur actus Fidei diuinæ,tanquam medium.

Addimus,actum Fidei diuinę in re elicitũ,eſſe medium neceſſarium ad iuſtificationem,& nunquam ſufficere in voto (ſicut adultis ſufficiunt Baptiſmus,& Pœnitentia quia abſque actu Fidei diuinæ in re habito fieri nequit iuſtificatio,neque in Sacramento, neque extra Sacramentum, quia in Sacramẽto exigitur re ipſa exhibitus vt diſpoſitio, & extra Sacramentum re ipſa exhibitus, requiritur vt propoſitio, & illuminatio proportionata ad actũ dilectionis Dei abſque quo extra Sacramentum nequit fieri iuſtificatio.

Obſeruandum tamen eſt,vt optimè aduertit Soar.diſ.12. ſect.2.n.10.& indicat AEgid.diſp.14.n.113.& 175. actũ Fidei diuinæ eatenus eſſe adulto neceſſariũ medium ad gloriã, quatenus ipſi eſt ſic neceſſarius ad iuſtificationẽ, quia adultus ſemel iuſtificatus, ſi non peccet mortaliter, ſeu quod idẽ eſt,ſi perſeueret in iuſtitia, & in ſanctitate (quod poteſt iuſto contingere,quamuis iam in hac vita nullum eliciat actum Fidei diuinæ)ſaluabitur. Vnde quamuis exiſtimemus valde veriſimile eſſe nullum adultum ſaluandum eſſe de facto,qui antequam moriatur non eliciat actum Fidei diuinæ Dei exiſtentis, & remuneratoris: nihilominus ſi contingat, quod adultus,qui in infantia baptizatus eſt,nunquam peccet mortaliter adhuc in non credendo ignorantia inuincibili excuſatus,ſaluabitur abſq; actu Fidei diuinę(quamuis non abſq; habitu Fidei inſuſo)& abſque eo actu poterit opera moralia meritoria gloriæ, quibus gloriam & coronam adipiſcatur, elicere;ſi tamen peccet venialiter nõ ſaluabitur abſque actu Fidei diuinæ exhibito aut in hac vita, aut in Purgatorio, quia non ſaluabitur abſque iuſtificatione à veniali, ad quam in hac vita eſt neceſſarius actus Fidei diuinæ, tanquam diſpoſitio, quando iuſtificatio fit medio Sacramento,

vel tanquam propositio proportionata ad actum contritionis, siue formalis, siue virtualis, de ipso peccato veniali, absq; quo actu non contingit iustificatio adhuc à veniali extra Sacramentum: & hoc posteriori modo etiam est necessarius in Purgatorio; quia in eo non aliter remittitur quam contritione formali, aut virtuali.

Paulus autē ad Rom. 2. in dictis verbis, vel tantū loquitur de gētibus fidelibus, de quibus ait naturaliter, ideſt, absq; lege scripta lumine naturali ductos seruasse mādata legis naturalis, & iustificatos fuisse apud Deum, sed non absque actu Fidei diuinæ ad quem obseruatione legis naturalis impetrarunt à Deo auxilium efficax: vel si loquitur de gentilibus infidelibus, de eis ait absque lege scripta seruasse mandata aliqua legis naturalis (quia non dicit omnia) & eorum obseruatione iustificatos fuisse non iustitia remissiua peccatorum, sed iustitia bonitatis operum, ideſt, eorum obseruatione factos fuisse benè, & iustè operātes, & reputatos fuisse bonos.

Et ad primam rationem ab absurdo respondemus plures adultos inuincibiliter carere notitia mysteriorū Fidei, & inculpabiliter, ideſt, absque culpa commissa in ipsa carentia notitiæ, non tamen absq; culpa in alijs actibus, aut omissionibus, quia nullus adultus moritur absque notitia mysteriorum Fidei, qui non fuerit male vsus auxilijs gratiæ Dei, collatis ad alios actus, ob quod ei in pœnam denegatur dicta notitia. Vnde omnibus adultis saltem mediatè, & radicaliter conferuntur auxilia necessaria, & sufficientia ad salutem, quia omnibus conferuntur auxilia necessaria, & sufficientia ad rectè viuendum, & ad non peccandum, quibus si benè vterentur, conferrentur vlteriora auxilia prox ma ad credendum.

Ad secundam rationem à priori, respondemus concedendo maiorem, & negando minorem, quia in viatoribus nullus alius actus intellectus nisi Fidei diuinæ est sufficiens, & proportionata propositio ad actum dilectionis Dei super omnia.

DIF-

DIFFICVLTAS III.

Vtrum ad iustificationem necessarius sit actus explicitus Fidei diuinæ Dei tanquam obiecti?

ID Dicitur credi Fide diuina, seu actu Fidei diuinæ explicitè, quod in se ipso, & distinctè creditur; id verò implicitè, quod non creditur in se ipso, sed in alio, in quo aliquo modo continetur, vel à quo supponitur.

Hoc ergo supposito Theologi, qui docent actum Fidei diuinæ esse medium necessarium ad iustificationem communiter conueniunt eum debere esse explicitè Dei existentis, seu eo debere credi Deum esse seu existere, quod etiam admittit Vega, excepto casu ignorantiæ inuincibilis Dei, quē casum ipse existimat, neque fuisse, neque fore.

Id autem significat Paul. ad Hebr. 11. dum postquam dixit, *sine Fide impossibile est placere Deo*, (quo significat actum Fidei esse medium necessarium ad iustificationem) intendens ostendere, quarum rerum Fides sit medium necessariū, immediatè subdit. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* vbi illis verbis, *Quia est*, existentiam Dei significat; & eam credendam esse explicitè in se ipsa, & non tantum in alio obiecto, cum quo sit coniuncta, aut à quo ipsa supponatur, significat, dum ait, quod oporteat credere Deum esse, & remuneratorem esse; quia non fuit contentus dicendo, quod *remunerator sit*, quāuis hoc contineat Deum existere, imò expressè ex parte subiecti, quia Deo existenti attribuitur officium remuneratoris, quia non continet ità expressè ac significatur illis verbis, *Quia est.*

Quod etiam ratione constat, quia in primis ad iustificationem extra Sacramentum necessarius est actus Charitatis Dei tanquam medium, ad eum autem necessarius est etiam vt medium actus explicitus Fidei Dei existentis; quia actu

Cha-

Charitatis Dei explicitè & expressè diligitur Deus existens ob ipsum, quia Deus sua existentia est formaliter essentialiter bonus in se physicè, & absque ea nō est talis, & actu Charitatis Deus diligitur vt bonus in se, deinde ad iustificationem in Sacramento absque dubio exigitur a Christo actus Fidei diuinæ existentiæ Dei, & officij remuneratoris vt indicatur in Trident. sess. 6. cap. 6. imò id exigitur à Christo, dum exigit actum Fidei diuinæ, quo credimus impium à Deo iustificari, vt ibidem etiam dicitur à Tridentino; quia Deum existere est primum, cui tanquam subiecto attribuuntur alia, quæ de Deo credimus; quia de Deo existente credimus esse remuneratorem, & impij iustificatorem.

Est tamen difficultas, an actus Fidei Dei existentis sit generaliter medium necessarium omnibus etiam habentibus scientiam euidentem Dei existentis.

Caietanus & Carthusianus in dicta verba Pauli, & alij partem negatiuam tuentur, quia cum scientia euidente Dei existentis nequit esse actus Fidei illius, ergo non est necessarium habenti dictam euidentiam, aliàs non posset iustificari.

Soar. verò disput. 12. sect. 3. Turrian. disput. 26. Ægid. disput. 14. dub. 9. & Becanus cap. 12. q. 1. partem affirmatiuam tradunt, & meritò, quia Paulus generaliter loquitur respectu omnium viatorum, & id probant rationes adductæ pro iustificatione extra Sacramentum, & pro iustificatione in Sacramento.

Ad rationem verò aduersariorum negamus, actum Fidei diuinæ alicuius obiecti non posse esse simul cum scientia eiusdem euidente genita per demonstrationem, vt diximus disput. 2. difficult. 10. & quamuis non possent esse simul

posset demonstratio libere relinqui existente, adhuc cogitatione Dei existentis, & sic relinqueretur locus actui Fidei diuinæ, vt posset fieri iustifi-

catio.

DIFFICVLTAS IIII.

Vtrum ad iustificationem sit necessarius actus explicitus Fidei Dei remuneratoris remuneratione supernaturali?

SVPPONIMVS Actum Fidei diuinæ Dei remuneratoris explicitum, esse medium necessarium ad iustificationem, quod significat Paulus ad Hebr. 11. illis verbis. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator fit*; sicut ex eis verbis difficultate præcedenti deduximus actum explicitum Fidei Dei existentis esse medium necessarium ad iustificationem.

Est tamen difficultas, an actus iste explicitus Fidei Dei remuneratoris debeat esse Dei remuneratoris remuneratione supernaturali?

Vega 6. in Triden. cap. 21. docet ad iustificationem sufficere actum explicitum Fidei vnius Dei existentis, & habentis prouidentiam naturalem circa vniuersum, quia nullo fundamento constare potest requiri Fidem alius obiecti; quia dictis verbis Pauli requirentis actum Fidei Dei existẽtis, & remuneratoris satisfieri videtur requirendo Fidei Dei existentis, & prouidentiæ naturalis ipsius circa vniuersum.

Soar. verò disp. 12. sect. 3. Turrian. disp. 25. dub. 4 Ægid. disp. 14. dub. 8. Gran. tract. 10. disp. 2. sect. 1. Adam. q. 7. dub. 2. & cõmuniter Theologi docent & meritò: ad iustificationẽ requiri actũ explicitũ Fidei Dei remuneratoris remuneratione supernaturali, seu glorificatoris: quod Pau. ad Heb. 11. significat, dum ad accessum ad Deum, seu ad iustificationẽ requirens credere, quod Deus remunerator sit, loquitur de remuneratione supernaturali vitæ æternæ, vt ex contextu deducitur; præsertim ex eo quod post verba relata, de Patribus antiquis, qui Fidem habuerunt, & ea iustificati sunt, quorum ibi mentionem facit, subdit *defunctos fuisse, non acceptа repromissione patriæ cœlestis, quam a petierũt, & inquisierunt*: ex quo cõstat fundamentũ aduersariorũ esse falsum.

Ita

Ita tamen actus explicitus Fidei Dei existentis, & remuneratoris est medium necessarium ad iustificationem, vt etiam omni tempore, adhuc ante aduentum Christi fuerit medium necessarium, quod satis significat Paul. vbi suprà dum ait, *Abel*, & *Enoch*, iustificatos fuisse, & significat ad id eam fuisse necessariam.

Est tamen discrimen inter necessitatem actus Fidei Dei existentis, & inter necessitatem actus Fidei Dei remuneratoris ad iustificationem extra Sacramentum, quod actus Fidei Dei existentis est necessarius ex natura rei ad illam; quia ex natura rei est necessarius ad actum dilectionis Dei, absq; quo nequit fieri iustificatio extra Sacramentum; quia ad actum dilectionis Dei, vt pote supernaturalem, non est in viatoribus alia propositio proportionata, nisi actus Fidei diuinæ, quia in viatoribus non est alia cognitio supernaturalis: & ad actum dilectionis Dei est necessaria cognitio supernaturalis Dei existentis, qui vt sic est bonus in se, & absq; existentia non est talis, sicut & actus dilectionis Dei est ipsius existentis, & sic boni ob ipsius bonitatem, quia absque existentia non est sic bonus. Actus verò Fidei Dei remuneratoris non est necessarius ex natura rei ad iustificationem, quia ad eam sufficit actus dilectionis Dei, & ad hunc ex natura rei sufficit Fides Dei existentis ob ipsum, Hispanè, *Por quien el es* (qui sua existentia est in se essentialiter, & sufficiẽter bonus physicè, seu transcendentaliter, absque officio remuneratoris, quia sua existentia natura diuina est actu essentia, & natura essentialiter completa, & integra nostro modo concipiendi: Est tamen necessarius ex institutione Dei, quia auxilia efficacia ad dictum actum dilectionis Dei, alligauit Deus actui Fidei Dei remuneratoris supernaturalis, & quãuis actus iste sit sic necessarius, non tamen requiritur, quod sit iste actus, quando fit iustificatio, sicut est necessarium, quod sit actus Fidei Dei existentis boni in se, quando iustificatio fit actu dilectionis, sed sufficit quod præcesserit, & non sit reuocatus: Ad iustificationem verò medio Sacramento actus Fidei Dei existentis, & actus Fidei Dei remuneratoris supernaturalis tantum requiruntur ex institutione Christi, ex quâ etiam præter Fidem Dei existentis, & Dei remune-

rato-

ratoris, etiam requiritur Fides Dei iustificatoris, quia ad iustificationem medio Sacramento requiritur à Christo Spes veniæ peccatorum, vt de iustificatione, quæ fit in Baptismo dicitur in Trident. sess. 6. cap. 6. & de iustificatione, quæ fit in Sacramento Pœnitentiæ supponitur sess. 14. cap. 4. Spes autem veniæ peccatorum nequit haberi absque Fide Dei iustificatoris, seu veniam peccatorum concedentis: sufficit tamen quod dictæ Fides, & Spes præcesserint, & non sint reuocatæ, quamuis ad nouum Sacramentum noui actus Fidei, & Spei requirantur, vt dispositiones ad nouum effectum gratiæ noui Sacramenti, quando requisiti ad effectum præcedentis Sacramenti non perseuerant in se ipsis actu, & formaliter post prius Sacramentum receptum.

Obseruandum est, quod quamuis bonitas transcendentalis, & quasi physica Dei (ob quam Deus diligitur dilectione Charitatis seu amicitiæ) sit tota entitas diuina etiã personalis, quia bonitas quasi physica Dei, sicut cuiuscumque rei consistit in integritate ipsius; quia Deum esse bonum (sicut quãcumque rem) est esse integrum, seu perfectum physicè, cui nihil desit: nihilominus existentia Dei, vt per rationem præcisa ab attributis, & personalitatibus diuinis est ipsi Deo bonitas essentialis, sicut est ipsi essentia, seu natura actualis; quia ea Deus concipitur integer essentialiter (quamuis non integer quasi accidentaliter, absque attributis, neque integer quasi personaliter, absque personalitatibus) sicut non existentia, seu carentia existentiæ concipitur malus essentialiter, quasi physicè, & transcendentaliter. Vnde Paulus ad Hebr. 11. eo ipso quod, dixit necessarium esse accedenti ad Deum credere, quod Deus sit, seu existat; dixit necessarium esse credere Deum esse bonum bonitate quasi physica, seu transcendentali.

DIF-

DIFFICVLTAS V.

Vtrum actus Fidei Christi tanquam obiecti fuerit omni tempore medium necessarium ad iustificationem?

SOTVS In 4. distinct. 5. art. 2. Medina lib. 4. de recta in Deum Fide cap. 3. Soar. disp. 12. sect 3. Lorca disput. 20. Gran. tract. 10. disp. 2. sect. 1. Ægid. disp. 14. dub. 9. & cõmuniter Theologi docent, & meritò post lapsum Adami fuisse semper necessariã tanquam medium Fidem diuinam in Christum; quod etiam tradit Aug. multis in locis.

Omissis autem varijs testimonijs scripturæ, quibus id à nonnullis intenditur probari, & verè non probatur; ex eo probandum est; quia ad iustificationem adulti, tam in Sacramento, quàm extra illud, necessaria est, & semper fuit tanquã medium Fides Dei remuneratoris remuneratione supernaturali; in hoc autem obiecto implicitè continetur, aut saltem supponitur Christus; quia Deus remuneraturus est remuneratione supernaturali ex meritis Christi: ergo eo ipso quod necessaria est, & semper fuit Fides Dei dicto modo remuneratoris tanquam medium ad iustificationem, etiam est & semper fuit sic necessaria Fides in Christũ saltè implicita.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrum antè aduentum Christi Fides explicita ipsius fuerit necessaria vt medium ad iustificationem?

CORDVVA Lib. 2. q. 5. Lorca disp. 21. Ægid. disp. 14. dub. 9. & Becan. cap. 12. q. 2. docent, Fidem explicitam Christi, seu mediatoris, & liberatoris à peccatis, fuisse

etiam ante aduẽtum Christi neceſſariam vt medium ad iuſtificationem. Quod expreſsit Aug. epiſt. 57. q. 2. & ſæpe alibi: & quamuis hanc Fidem Christi, quæ erat ante aduentum ipſius, & ſupponit fuiſſe medium neceſſarium ad iuſtificationẽ appellet occultam, tamen eam ſic appellat non quia fuerit implicita Chriſti, ſed quia erat Chriſti vẽturi & nõdũ exiſtẽtis.

Et id ſignificari videtur ad Rom. 3. dum dicitur: *Iuſtitia autem Dei per Fidem Ieſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum*: vbi ſupponitur iuſtificationem etiam antiquorum ante aduentum Chriſti, neſſario fieri media Fide Chriſti tanquam obiecti; Fides autem implicita Chriſti non eſt abſolutè, & ſimpliciter Fides Chriſti, ſed alius obiecti, in quo continetur, aut â quo ſupponitur. Et ratione probatur, quia maximè congruum eſt, vt ſicut nullus iuſtificatur & ſaluatur ſine meritis Chriſti, nullus iuſtificetur, neque ſaluetur niſi ex Fide explicita Chriſti.

S. Th. verò q. 2. art. 7. Soar. diſput. 12. ſect. 3. Turrianus diſp. 27. dub. 3. Gran. diſp. 2. ſect. 2. Petrus Hurtado diſput. 44. ſect. 1. & communiter Theologi docent, antiquis ante aduentum Chriſti non fuiſſe Fidem explicitam Chriſti neceſſariam, vt medium ad iuſtificationem, & meritò, quia Fides explicita Chriſti non fuit antiquis medium neceſſarium ad iuſtificationem ex natura rei, quia ad iuſtificationem ex natura ipſius, ſufficit Fides Dei ſummi boni, quia hæc Fides ſufficit ad actum dilectionis Dei, qui etiam tunc ſufficiebat ad iuſtificationem; neque fuit illis medium neceſſarium ex inſtitutione, ſeu ordinatione Dei, quia de hac non conſtat, quia in teſtimonio illo ad Roman. 3. aut nomine Fidei Ieſu Chriſti, ex qua dicitur fieri iuſtificatio non intelligitur Fides in Ieſum Chriſtum tanquam in obiectum, vt deducitur ex eo quod poſtquã dicitur: *Iuſtitia Dei per Fidem Ieſu Chriſti*: Immediatè ſubditur: *In omnes & ſuper omnes, qui credunt in eũ*: vbi tãquã quid diſtinctũ ſubditur credere in eũ, nẽpe in Chriſtũ à Fide Ieſu Chriſti, cuius mentio immediatè præceſsit, ſed nomine Fidei Ieſu Chriſti intelligitur Fides alius obiecti ex ſup. dict. à nobis, habita tamen ex meritis Ieſu Chriſti, vel ex prædicatione Chriſti, aut nomine Fidei Ieſu Chriſti intelligitur Spiritus Fidei Ieſu Chriſti, ideſt, merita Ieſu Chriſti, aut

ſi no-

si nomine illius Fidei intelligitur Fides Christi, tanquam obiecti potest intelligi Fides implicita Christi, quæ verè est Fides Christi, tanquam obiecti quamuis sit explicita alius obiecti, & magis sit huius, quam Christi; aut si intelligitur Fides explicita Christi tanquam obiecti, non requiritur à Paulo, tanquam necessaria necessitate medij, sed tantum necessitate præcepti, absque cuius obseruatione non poterant iustificari, qui habebant sufficientem notitiam illius. Fatemur Aug. in ea fuisse sententia, sed rigide sensit, & absque firmo fundamento.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrum in lege Euangelica Fides explicita Christi sit medium necessarium ad iustificationem?

VALENTIA disp.1.q.2.pun.4.Molina 1.p.q.1.art. 1,disp.2.Sanct.lib.2.sum.cap.2.Lorca disp.22.Pepantius q.2 art.7 dub.1.&Gran.tract.10.disp.2.sect.2.docent Fidem explicitam Christi, seu mediatoris esse in hoc statu legis Euangelicæ medium necessarium ad iustificationem, quorum fundamenta postea nobis obijciemus.

Sotus verò in 4.distinct.5.q.vnica art.2.dub. vlt. Vega 6.in Trident.cap.22.Bañez,& Arag.q.2.Soar.disp.12.sect. 4.Turr.disp.27.dub.4.& Vazq.in manuscriptis,q. 2. art.7. dub.3.docent, & merito; adhuc in lege Euangelica non esse necessariam Fidem explicitam Christi, vt medium ad iustificationem,quod deducitur ex eo,quod Actor. 10.Cornel. antequam ipsi Petrus prædicaret Christum & ipse eum explicitè crederet,significatur esse iustus, vt tradunt communiter Interpretes & PP.etiamsi August.& Chrysost.oppositum sentiant:& ratione probatur,quia etiam post sufficientem Euangelij promulgationem Fides explicita Christi nō est medium ex natura rei necessarium ad iustificationem, vt constat ratione adducta difficultate præcedente, neque

est

est medium necessarium ex institutione Dei, quia de hac non constat.

Sed obijciunt aduersarij primo illud Marc. vlt. *Prædicate Euangelium omni creaturæ, qui non crediderit.* Subintellige Euangelium, *condemnabitur*, ergo necessarium est expressè credere Euangelium quod fuit expressè prædicatum; ac proinde Christum in Euangelio expressissimè prædicatum. Circa quem locum Bernard. epist. 77. ait. *Sine Fide* subintellige Euangelij *nihil sufficere ad salutem*, quo satis significat Fidē Euangelij, & consequenter Christi esse necessariam necessitate medij. Respondemus illis verbis, *qui non crediderit condemnabitur* sufficienter satisfieri dicendo in eis tantum contineri necessitatem præcepti, quia ille cui sufficienter prædicatum est Euangelium, violatione præcepti credendi, vt potè præcepti grauis, condemnabitur. Et eodem modo exponendum est illud Ioan. 3. *Qui non credit.* Subintellige Christum, *Iam iudicatus est*, quia scilicet violatione præcepti grauis tam positiui credendi, quam negatiui non discredendi condemnabitur. Quod vero ait Bernardus *sine Fide nihil sufficere* verum est, vel quia sine Fide Euangelij nihil credendo, id est, sine Fide aliquorum, quæ continentur in Euangelio nullus adultus, qui mortaliter peccauit, potest saluari; quia ille careret Fide Dei existentis, & remuneratoris gloriæ, quæ in Euangelio continentur, & quorum Fides est cuicumque medium necessarium ad iustificationem, vel quia cum positiua infidelitate deliberata Euangelij sufficienter propositi, nullus potest saluari; imo neque cum omissione deliberata actus Fidei, eorum quæ necessitate præcepti credenda sunt. Et Actor. 16. dum dicitur, *Quid oportet me facere, vt saluus fiam, Paulus, & Silas dixerunt crede in Dñm Iesum Christū.* Quibus verbis exigitur Fides explicita Christi tantum exigitur tanquam necessaria ex præcepto, cui custos ille, qui interrogabat nolebat antea obedire, & cui si obediret, etiam crederet Baptismum esse necessarium necessitate medij, quo saluandus erat.

Secundo obijciunt illud Ioan. 3. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto ita exaltari oportet Filium hominis* (nēpè in Cruce) *vt omnis qui credit in ipsum ne pereat.* Vbi Christus

comparat crucifixionem sui cũ exaltatione serpentis in eo, quod sicut serpens ille fuit exaltatus, vt læsi à serpentibus non perirent, sed eũ aspiciendo sanarentur: ita etiã Christus exaltatus fuit in Cruce, vt læsi peccato originali media serpentis astutitia in Paradiso, sanarentur aspiciendo explicitè Christum per Fidem: quod significatur illis vltimis verbis, vt qui credit in ipsum non pereat. Respondemus dictis verbis tantum significari, & comparationem in eo tantum tenere, quod sicut nullus læsus à serpentibus sanabatur, nisi aspiciendo serpentem æneum exaltatum; ita etiam nullus peccator sanatur à peccato nisi virtute exaltationis, seu crucifixionis Christi, quæ non proficiet nisi credentibus explicitè Christum, postquam sit eis explicitè prædicatus, ad huius tamen veritatẽ sufficit necessitas præcepti credendi Christũ.

Tertio obijciunt Trid. sess. 6. cap. 6. dum agens de dispositione ad iustificationem ait, homines disponi per Fidem credentes vera esse, quæ diuinitus reuelata sunt, atque illud in primis à Deo iustificari impium per gratiam eius per redemptionem, quæ est in Christo Iesu. Respondemus hic esse sermonem de dispositione ad iustificationem per Baptismum faciendam, & non de dispositione per actum dilectionis faciendam: imò non esse sermonem de dispositione simpliciter necessaria adhuc ex præcepto ad iustificationem medio baptismo faciendam, sed de dispositione, qua adulti baptizãdi ad eam iustificationem regulariter disponuntur.

Quarto obijciunt Athanas. in symbolo, vbi postquam dixit. *Sed necessarium est ad æternam salutem, vt Incarnationem Domini nostri Iesu Christi fideliter credat.* In fine concludit. *Hæc est Fides Catholica quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, saluus esse non poterit.* Respondemus Athanasium in eo symbolo non loqui de necessitate medij alias omnia quę in eo continentur credenda essent necessitate medij, quod nullus dixit, sed tantum loqui de necessitate, saltem prout, abstrahit à necessitate medij, & à necessitate præcepti, imò à necessitate præcepti positiui credẽdi, & à necessitate præcepti negatiui non discredendi, quia respectu aliquorum non est præceptum positiuũ illa credẽdi, sed tantũ negatiuũ nõ discredẽdi illa, quod ge-

nerale est respectu omnium, qu. sunt à Deo reuelata.

Id verò quod Soar disp. 12. sect. 4. ait, nempe quod Fides explicita Christi sit necessaria necessitate medij in re, vel in voto, idest, quod quando re ipsa haberi non potest ea Fides, voluntas implendi ea, quæ sunt necessaria sit medium necessarium ad iustificationem, & supplens defectum Fidei explicitæ Christi existente Fide implicita illius, nobis non probatur; quia quando deficit explicita Christi non est necessaria dicta voluntas ad iustificationem ex natura rei, vt medium, vt ex se patet; neque est necessaria ex institutione Dei, quia de hac non constat. Et quamuis ad iustificationem extra Sacramentum sit necessaria voluntas implēdi omnia præcepta grauia, quæ implicita est in actu dilectionis Dei, quo fit dicta iustificatio, ac proinde etiam implendi præceptum credendi explicitè Christum; nihilominus tunc non est necessaria peculiari aliqua ratione, sed tantum generali implendi omnia præcepta grauia, ac proinde dicta necessitas tantum est præcepti: ad iustificationem verò medio Sacramento non est necessaria talis voluntas; quia sicut tunc attritio de peccatis mortalibus habita ob ipsorum proprias malitias excludens voluntatem faciendi similia peccata sufficit ad iustificationem; ita etiam sufficit voluntas non faciendi similia peccata, & non requiritur voluntas vitandi omnia, seu implendi omnia præcepta grauia.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrum Fides explicita Christi in lege Euangelica sit iusto medium necessarium ad ingressum gloriæ?

CAnus relect. de Sacrament. p. 2. quæst. 2. Bañez 2. 2. quæst. 2. art. 8. Aragon. art. 5. & Castro 2. de lege pœnali c. 14. admittētes Fidē explicitā Christi nō esse mediū necessariū ad iustificationē: nihilominus docēt homini iā iusto esse mediū necessariū ad adeptionē gloriæ. Probari autē potest;

quia ex vna parte Fides explicita Christi non est medium necessarium ad iustificationem, vt diximus difficult. præcedenti, & ex altera parte Fides explicita Christi est medium necessarium ad salutem, vt Aug. de Prædest. Sanct. cap. 7. supponit fuisse necessariam Cornelio, & generaliter significari videtur Marc. vl. *Qui non crediderit condemnabitur.* Et Ioan. 3. *Vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternã.* Et infra. *Qui non credit iam iudicatus est*: Ergo quamuis Fides explicita Christi non sit medium necessarium, vt peccator fiat iustus; est tamen vt iustus adipiscatur gloriam, seu salutem æternam.

Soar. vero disp. 12. sect. 4. Lorca disp. 22 mẽb. 3. Turrian. disp. 27. dub 7. Ægid. disp. 14. dub. 9. Vazq. 1. 2. disp 192. & communiter Theologi docent Fidem explicitam Christi homini iam iusto non esse medium necessarium ad adeptionẽ gloriæ, & meritò, quia absq; fũdamẽto dicitur iustificatũ nõ posse absque Fide explicita Christi perseuerare in iustificatione, vt constabit ex solutione ad rationem aduersariorum. Imò id dicitur contra rationem, quia iustus, qui vsq; ad mortem in iustitia perseuerat, saluatur, & adipiscitur gloriam, vt exprimitur Matth. 24. *Qui autem perseuerauerit vsque in finem* (in iustitia videlicet, & sanctitate) *hic saluus erit*, & definit Trident. sess. 6. cap. 16. & can. 26 & 32. Ad perseuerandum autem in iustitia, & sanctitate non est necessaria, vt medium Fides explicita Christi, imò neque alius obiecti; quia ad id sufficit, quod nullum violetur præceptum graue culpabiliter, & grauiter, quod absque dubio contingere potest absque Fide explicita Christi, imò cuiuscunq; alius obiecti.

Ad rationem ergo aduersariorum concedimus Fidem explicitam Christi non esse medium necessarium ad iustificationem; negamus tamen esse medium necessarium ad gloriam; quamuis id existimauerit August. quia etiam existimauit esse medium necessarium ad iustificationem, quem quoad hoc etiam deserũt aduersarij: & quãuis in testimonijs scripturę adductis significetur dictã Fidẽ esse necessariam ad gloriam, sed nõ significatur esse necessariã necessitate medij de qua est præsens difficultas, sed tantũ necessitate præcepti

affir-

affirmatiui,& negatiui in peccatore, vt violatione præcepti Fidei non apponat obicem iuſtificationi, & in iuſto, vt violatione dicti præcepti non amittat iuſtitiam abſque qua non ſaluabitur.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrum Fides explicita myſterij Trinitatis ſit medium neceſſarium ad iuſtificationem?

COnueniunt Theologi, ante aduentum Chriſti Fidem explicitam Trinitatis nō fuiſſe medium neceſſarium ad iuſtificationē, quianeque fuit neceſſaria ex natura rei, vt patet, quia ex hac ſufficit Fides explicita Dei exiſtentis, ſeu boni in ſe, neque ex inſtitutione Dei, quia de hac non conſtat.

Eſt tamen difficultas, an iam in lege Euangelica ſit medium neceſſarium ad iuſtificationem.

Valent. diſp. 1. quæſt. 2. p. 5. Sanct. lib. 2. cap. 2. Lorca diſp 20. nu. 6. & diſp. 22. inter ſe comparatis, Becanus c. 12. q. 3. Granado diſp. 2. ſect. 2. & Adamus diſp. 1. q. 7. dub. 2. partem affirmatiuam tuētur. Primo, quia Trinitas eſt obiectū principaliſsimū Fidei, ergo in hoc principaliſsimo ſtatu legis Euangelicæ Fides, quæ magis principaliter requiritur ad iuſtificationem, tanquam medium eſt Fides explicita Trinitatis. Secundò, quia Baptiſmus eſt profeſsio Trinitatis, & Baptiſmus eſt medium neceſſarium ad iuſtificationem: ergo etiam profeſsio Trinitatis, & conſequenter etiam Fides explicita Trinitatis, quia nequit quis rectè profiteri id quod non credit.

Scotus vero in 3. diſt. 25. q. 1. Azor lib. 8. cap. 6. quæſt. 6. Ægid. diſp. 14. dub. 9. Vazquez in manuſcriptis quæſt. 2. ar. 7. dub. 2. & plures alij Theologi partem negatiuam tradunt, & merito; quia credere explicitè myſterium Trinitatis non eſt medium neceſſarium ad iuſtificationem ex natura rei, quia non eſt neceſſarium ad dilectionem Dei, quæ ad iuſtificationem ſufficit, neque eſt medium neceſſarium ex inſtitutione

Dei quasi Deus actum dilectionis Dei, & susceptionem Sacramenti iustificantis quibus solis fit iustificatio, alligauerit actui Fidei explicitæ Trinitatis: quia id non constat fundamento aliquo firmo; quia quod Trinitas sit obiectum principalissimum Fidei non conuincit quod adhuc in statu principalissimo legis Euangelicæ Fides explicita illius sit medium necessarium ad iustificationem, quia quamuis sit obiectum principalissimum Fidei, potuit non institui Fides explicita illius medium necessarium, & non constat fuisse sic instituta: & quod Baptismus sit professio Trinitatis minus conuincit Fidem explicitam Trinitatis esse medium necessarium, quia quamuis sit professio Trinitatis, & sit medium necessarium ad salutem, potuit Fides explicita Trinitatis non sic institui, & non constat fuisse sic instituta; neque id constat scriptura vt patet, neque Patrum testimonio, quia qui dicunt Fidem Trinitatis esse necessarium facile exponuntur de necessitate præcepti.

Addimus primo Fidem explicitam Trinitatis non solum in re determinate non esse medium necessarium ad iustificationem, sed neque in re, vel in voto sub disiunctione; neque esse medium necessarium, iam iustis ad ingressum gloriæ ob eandem omnino rationes, ob quas id etiam diximus difficult. 7. & 8. de Fide explicita Christi. Addimus secundo neque Fidem implicitam Trinitatis esse medium necessarium ad iustificationem, quia in nullo obiecto, cuius Fides explicita sit sic necessaria continetur, neque ab eo supponitur.

Si ergo neque Fides explicita Christi, neque Fides explicita Trinitatis est medium necessarium ad iustificationē, neque ad gloriam, nullius alius obiecti Fides explicita erit sic necessaria ad iustificationem, neque ad gloriam (nisi existentiæ, seu bonitatis Dei, & officij remuneratoris ad iustificationem extra Sacramentum, & ad eam in Sacramento Baptismi & pœnitentiæ, etiam Fides explicita officij iustificatoris) quia nullius alius obiecti Fides explicita est sic necessaria ex natura rei, vt patet, neque ex institutione Dei, quia de hac non constat.

(?)

DIFFICVLTAS X.

Quorum obiectorum Fides sit necessaria omnibus fidelibus necessitate præcepti?

CONVENIVNT Primo DD. contra Caluinum non esse præceptum seu obligationem credendi explicitè omnia obiecta à Deo reuelata, quia nullo fundamento constat de tali præcepto seu obligatione. Conueniunt secundo non satisfieri præcepto Fidei credendo generatim, & implicitè quidquid credit Ecclesia Romana; sed ex præcepto Fidei esse aliqua explicitè credenda, vt ex dicendis constabit; & oppositum est error damnatus à Gregorio XI. vt refertur in directorio inquisitorum, 2. p. q. 10. art. 8. Conueniunt tertio ex præcepto Fidei ad minus credenda esse explicitè obiecta illa, quorum Fides explicita est necessaria necessitate medij (quæ in nostra sententia sunt Deum esse existentem seu bonum, & iustificatorem, & glorificatorem) quia sicut Fides explicita eorum obiectorum est maximè necessaria ad salutem; ita etiam est maximè sub præcepto illius Fidei.

Est tamen difficultas, an præter hæc tria obiecta sint omnibus fidelibus credenda alia ex præcepto? & quæ?

Rosella verbo *Fides*, & alij docent fideles satisfacere præcepto Fidei, credendo explicitè obiecta, quorum Fides explicita est medium necessarium ad salutem, & credendo implicitè reliqua in Fide Ecclesiæ, credendo videlicet generatim, & in confuso quidquid credit Ecclesia.

Bonauent. in 3. dist. 25. art. 1. q. 3. & Duarand. q. 1. docent fideles omnes teneri ex præcepto Fidei credere articulos, qui solemniter in Ecclesia celebrantur, & non teneri credere alios.

Lorca disput. 23. docet fideles omnes teneri ex præcepto Fidei credere quatuordecim articulos, qui in puerorũ Catechismo continentur, & reliqua, quæ in symbolo Apostolorũ

continentur; & mysteria quæ in Ecclesia solemniter celebrantur, vt mysterium Circumcisionis, Præsentationis in Templo, Trasfigurationis, & aduentus Spiritus Sancti.

Sanc. ver lib. 2. sum. cap. 3. Azor lib. 8. cap. 6. à quæst. 2. Soar. disp. 13. sect. 4. Turrian. disp. 28. dub. 1. Becan. cap. 12. & Vazq. 1. 2. disp. 121. docent & meritò fideles omnes ex præcepto Fidei teneri credere explicitè, seu seorsim omnes articulos in symbolo Apostolorum contentos, & non amplius (ex quibus Vazq. & Sanc. excipiunt articulum communionis sanctorum, & ferè idem docent communiter DD.

Et in primis fideles teneri credere explicitè omnes articulos Fidei in symbolo Apostolorum contentos, dicitur in Catechismo Pij V. in initio illis verbis: *Quæ primum Christiani homines tenere debent, illa sunt quæ sancti Apostoli diuino spiritu afflati duodecim symboli articulis distinxerũt.* Quod etiam probat praxis, & vsus Ecclesiæ, quæ nullum admittit ad Baptismum, nisi credentem articulos in symbolo Apostolorum contentos. Et id etiam indicat Augustin. serm. 135. de temp. dum ait. *Symbolum est regula Fidei vestræ breuis, & grandis.*

Et ratione probatur quia Christus Marc. vltimo cõmẽdans Apostolis prædicationem Euangelij omni creaturæ, addidit: *Qui non crediderit condemnabitur*, vbi non dixit, *Qui discrediderit condemnabitur*, sed *qui non crediderit*: aliàs qui non discrederet, quamuis nihil crederet non condemnaretur; ergo ad minus est necessarium necessitate præcepti credere articulos in symbolo Apostolorum contentos; quia valde verisimile est Apostolos ea in vnum aggregasse, quæ necessario ex præcepto Christi credenda erant, vt essent omnibus in promptu. Quod autem communio sanctorum non continea tur in Catechismo paruulorum est, quia est maximè obscura, & in eo Catechismo prima tantum Rudimẽta Fidei pro paruulorum captu traduntur.

Obseruandum tamen est, in quo DD. communiter conueniunt ad impletionem præcepti Fidei sufficere dictos articulos explicitè in seipsis, seu seorsim credere quoad substantiam. Nihilominus in declarando, quid sit eos credere quoad substantiam non omnes conueniunt: a. ijs tamen de-

clara-

clarationibus missis, dicendum est, vt optimè Azor & Sancius credere articulos quoad substantiam idem esse, ac eos credere vt vocibus ipsis significantur, quamuis confusè, & non distinctè significentur. Vnde satisfiet explicitè, seu seorsim credendo Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum esse vnum tantum Deum, quamuis non credatur distinctè esse vnam essentiam, seu Deitatem in tribus personis, & satisfiet explicitè, seu seorsim credendo Christum esse Deum, & hominem, quamuis non credatur distinctè in Christo esse duas naturas, & vnam personam.

Quod verò præcepto Fidei, seu ob ipsum assensum Fidei non sint alia necessario credenda probatur, quia ad id affirmandum nullum apparet sufficiens fundamentum: imò non esse alia ex præcepto credenda conijcitur ex eo, quod Apostoli solos dictos Articulos in vnum collegerint, vt omnibus essent in promptu ad eos credendos, alias diminutè processissent.

Vnde, vt optimè Medina lib. 4. de recta in Deum Fide c. 6. Sacramenta non sunt ex præcepto explicitè credenda; neque præcepta Decalogi, neque oratio Dominica, neque opera misericordiæ; quia vt nuper dicebamus præcepto credendi Fide diuina satisfit credēdo explicitè, seu seorsim quo ad substantiam credibilia, quæ in symbolo Apostolorum cōtinentur. Nihilominus præcepta Decalogi, & Ecclesiæ sunt ex necessitate præcepti addiscenda, & scienda, & etiam alia præcepta particularia vnicuique ob proprium statum incūbentia, vt possint suo tempore executioni mandari (non orationem Dominicam, neque opera misericordiæ, quamuis indecens sit orationem Dominicam ignorare, & hoc solum, & non obligatio aliqua in aliquibus Concilijs Prouincialibus indicatur) ac proinde sunt addiscenda, & scienda ex præcepto orto ex virtutibus, ad quas pertinent opera ipsa præcepta, quia scilicet tantum debent sciri ob opera ipsa præcepta, vt suo tempore executioni mandentur; ad id tamen non est necessaria Fides diuina eorum, sed sufficit Fides humana, vel alia humana notitia: imò non est ex præcepto necessarium dicta præcepta memoriter scire eo ordine, & verbis, quibus in puerorum Catechismo cōtinentur, vt aduer-

tunt

tunt Sanc. vbi supra. & Ægid. disp. 14. dub. 10. sed sufficit illa scire quoad sensum quocumque ordine, & quibusvis verbis sciantur neque est necessarium illa habere in promptu, sed sufficit illa ita scire (quamuis tantum leuiter, & formidolosè) vt oblata occasione, possit quis vel veritatem inquirere, vel saltem partem tutiorem (eam scilicet, in qua nequeat esse peccatum) eligere, quia notitia dictorum præceptorum tantum est necessaria ex obligatione ipsorum, vt opera ipsa præcepta suo tempore executioni mandentur; ad hoc autem non est necessarium illa in promptu habere, sed sufficit dicta scientia, & notitia, quamuis leuis, imò & dubia.

DIFFICVLTAS XI.

Quale sit præceptum affirmatiuum Fidei, & pro quo tempore obliget.

CIRCA Prius conueniunt communiter DD. præceptum affirmatiuũ Fidei diuinę, quod est proprium ipsius Fidei, sub quo ob ipsum assensum Fidei tenemur credere articulos in symbolo Apostolorum contentos, esse positiuum & non naturale (saltem quoad articulos non necessarios necessitate medij) & esse diuinum quoad illos, & quoad nullũ articulum esse Ecclesiasticum.

Et in primis non est Ecclesiasticum quoad aliquem articulum, vt contra Aragon. q. 2. art. 6. dub. 2. qui existimat esse Ecclesiasticum quoad aliquos articulos ex posterioribus aduertunt Sanc. cap. 3. & communiter DD. & quia Ecclesia id quoad nullum articulum præcipere potest, quia credere est actus purè internus, quem Ecclesia nequit præcipere, & quia quamuis posset, non constat id præcepisse.

Deinde dictum præceptum est diuinum; quia Christus id præcepit Marc. vlt. & est positiuum non naturale, saltem quoad reliquos articulos exceptis necessarijs necessitate medij; quia nullo fundamento constat reliquos esse ex natu-

ra

rarei ſub præcepto: imò neque eſt naturale quoad articulos neceſſarios neceſsitate medij, vt contra Lorcam Turrian. & Becan. aduertunt Sanc. & Soar. diſp. 13. ſect. 4. quia etiam nullo ſufficienti fundamento, conſtat ex natura rei eſſe ex præcepto proprio ſeu per ſe credendos: quod verò eos credere ſit medium neceſſarium ad iuſtificationem, tantum probat id etiam eſſe neceſſarium ex præcepto, quando iuſtificatio eſt ex præcepto neceſſaria, & tantum eſſe neceſſarium ex præcepto ipſius iuſtificationis quod non eſt Fidei diuinæ, ſed Charitatis erga Deum, vt dicimus tract. de Pœniten. diſp. 3. difficult. 2. & tantum obligans pro articulo mortis, vt dicimus diffic. 4.

Circa poſterius nempe pro quo tempore obliget dictũ præceptum Fidei exiſtimamus obligare non pro diebus feſtis, vt nonnulli falſò abſque fundamento indicant; neque obligare ad credendum quodlibet myſterium pro eo die quo celebratur ab Eccleſia, vt Nider in ſuo præceptorio immerito docuit; neque obligare ſemel in vita pro tempore ad arbitrium ipſius credentis; vt alij etiam abſque fundamento dixerunt; neque tantum obligare pro tempore pubertatis (quod in pueris eſt 14. annorum, & in puellis duodecim) vt inmerito docuerunt Rodriguez, & Ludouicus Lopez: ſed obligare pro initio vſus rationis perfecti, vt docent Sanch. Azor, Soar. Lorca, Turrian. Ægid. & Gran. ac proinde eo ipſo quod quis ſit adultus, & capax perfecti vſus rationis, & ei ſufficienter proponuntur dicti articuli, vel aliquis eorum, tenetur elicere actum Fidei diuinæ (non ſtatim phyſicè, ſed moraliter cum aliqua temporis latitudine) & id ſonant verba Chriſti Marc. vltimo: *Prædicate Euangelium omni creaturæ qui crediderit*; videlicet pro tunc: *Saluus erit qui verò non crediderit*, videlicet pro tunc *condemnabitur*: & ſanè exiſtimandum eſt pro eo initio traditum fuiſſe a Chriſto præceptum credendi Fide diuina, quia hæc eſt maximè neceſſeria ad rectè inſtituendam vitam, quaſi initium, & fundamentum rectæ vitę.

Poſt initium verò morale perfecti vſus rationis, qui iã obſeruauit præceptũ Fidei credẽdo dictos articulos nõ tenetur amplius ex præcepto affirmatiuo, adhuc pro articulo mortis

quia

quia pro alio tempore nullum est sufficiens fundamentum; id tamen non tollit aliquoties pro alijs temporibus esse præceptum explicitè, seu seorsim credendi aliquem, vel aliquos articulos; vel aliquid aliud credibile, vt contingit quando occurrit præceptum contritionis, aut alius actus dilectionis, aut spei, aut iustificationis, quod impleri nequit, absque præuio actu Fidei; quia tunc ad hunc actum Fidei obligamur nō per se, seu præcepto proprio ipsius Fidei, sed per accidēs, seu præcepto illo ob cuius impletionem obligamur ad credendum; & etiam quando ad vincendam tentationem inducentem nos ad discredendum est necessarium credere, ad id obligamur non præcepto affirmatiuo credendi, sed negatiuo non discredendi, quia tunc vt huic satisfaciamus, tenemur ad affirmatiuè credendum.

Addimus in quo DD. conueniunt, symbolum Apostolorū quoad substantiam eo modo quo articuli in eo contenti credendi sunt, addiscendum esse ex præcepto, & memoriæ retinendum; ita vt sciri dicatur, non tamen ita, vt possit referri, sed sufficit ita habitualiter scire, vt quis de eo interrogatus possit, sufficienter respondere; & hoc præceptum non esse Ecclesiasticum à tempore Apostolorum inceptum, vt nonnulli falso dicunt, quia scire est actus intellectus quem vt pote internum nequit Ecclesia præcipere, sed esse diuinum à Christo Domino latum; quia credi potest Christum, qui Apostolis præcepit docere omnes gentes, & omnibus prædicare Euangelium, & qui omnes obligauit ad eliciendum actum Fidei circa Articulos in symbolo Apostolorum contentos, etiam voluisse, vt eos saltem habitualiter dicto modo scirēt, vt sic vita rectè, & Christianè instituatur. Et hoc præceptum esse virtutis studiositatis, & eo omnes æqualiter obligari maiores, & minores, sicut & præcepto credendi, maiores tamen vt Episcopos, & Parochos ad id teneri etiam ex vi sui officij, vt possint suos subditos instruere; & consequenter etiā teneri præcepto naturali Fidelitatis dictos Articulos, & alias veritates Fidei, v.g. Sacramenta scire, & melius quam plebem, seu minores; quia ex vi sui officij tenentur plebem pascere, & eam dictos articulos, & alias veritates instruere, quod efficere nequeunt absque eorum notitia, & maiori quā

habi-

habituali, & quam confusa; quibus plebs satisfacit; imò Episcopos teneri maiorem notitiam habere, quam Parochos, tam quoad obiecta, quam quoad perfectionem notitiæ, quia sunt Pastores etiam Parochorum.

DIFFICVLTAS XII.

Vtrum inter Fideles possit esse ignorantia inuincibilis articulorum, quos tenentur credere?

IGNORANTIA Inuincibilis dicitur, quæ vinci, & superari nequit industria ipsius ignorantis; aut si potest non debet: & ideo ignorantia inuincibilis excusat sic ignorantem a culpa.

Supponimus ergo Baptizatos degentes inter Fideles posse pro paruo tempore post perfectum vsum rationis habere ignorantiam inuincibilem omnium articulorum Fidei, quos tenentur credere; quia contingere potest quod pro paruo tempore nihil articulorum audierint, aut quod nihil perceperint, quamuis audierint; & pro longo tempore non posse habere ignorantiam inuincibilem omnium.

Est tamen difficultas, an prædicti pro longo tempore possint habere ignorantiam inuincibilem alicuius, vel aliquorum articulorum quos credere tenentur.

Bonauent. in 3. distin. 25. art. 1. q. 3. Durand. q. 1. Gabr. art. 2. Angelus, verbo, *Fides*, num. 7. Sylvest. q. 3. & Rodrig. tom. 1. cap. 88. partem negatiuam tuentur, quia in potestate cuiuslibet Fidelis inter alios Fideles degentis est acquirere notitiam dictorum articulorum, quia passim in Ecclesia circunferuntur: ergo qui eos ignorat, non inuincibiliter, sed vincibiliter ignorat; quia eorum ignorantiam vincere potest.

Medina verò lib. 4. de recta in Deum Fide a cap. 8. Bañez quæst. 2. artic. 8. dub. 2. Lorca disput. 30. Ægid. disput. 14. dub. 11. Sanch. in summ. lib. 2. cap. 3. Vazquez 1. 2. disp.

121. & Petr. Hurtad. disput. 65. sect. 2. partem affirmatiuam tradunt, & meritò quia non desunt, qui aliquos articulos ex dictis quamuis passim circunferantur in Ecclesia ignorent, nonnulli, quia eis ob suam rusticitatem, & ob parentum, & Parochorum incuriam non occurrit scrupulus; neque dubium, an præter aliquos articulos, quos sciunt superstint alij credendi, qui eo ipso illos ignorant inuincibiliter physicè; quia sua intentione, & industria, eorum notitiam procurare non potuerunt, quia absque scrupulo, & dubio id nequeunt procurare: & alij quia quamuis eis occurrat scrupulus, aut dubium, quod præter aliquos quos sciunt superstint alij articuli, non tamen quod superstint addiscendi ex obligatione, vel quia nihil de ea obligatione audierunt, vel quia si audierùt id ob suam rusticitatē non perceperunt, qui eo ipso illos ignorant inuincibiliter moraliter; quia non existente scrupulo, neque dubio obligationis, non debuerunt eam ignorantiam vincere. Ex quo satisfieri potest rationi aduersariorum.

Ex dictis constat, confessarium, qui aliqua prudente ratione, aut prudente iuditio timet pœnitentem ignorare ea, quæ diximus esse ex præcepto scienda, quando præceptum est graue, teneri interrogare illos, an illa sciant, saltem modo supra dicto; quia tenetur interrogare peccata mortalia, quæ prudenter timet pœnitentem fecisse, & omittit confiteri; id tamen potest rarissime timere, quia rarissimè contingit esse aliquem, qui saltem crasso modo, & absque ordine non sciat præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, & articulos in symbolo Apostolorum contentos. Quando autem inueniatur, qui aliquid ex præcepto sciendum ignoret, quamuis culpabiliter mortaliter, non est ei absolutio deneganda, dum ipsum pœniteat præteritæ culpæ, si culpam habuit & proponat postea addiscere, quamuis aliquoties propositum fregerit: sicut fit circa alia peccata, vt generaliter dicimus tract. de Pœnitent. disput. 10. difficult. 23.

(.?.)

DISPVT. IX.

De actu externo Fidei.

DIFFICVLTAS I.

Vtrum confessio Fidei sit actus virtutis Fidei?

QVAMVIS Confessio Fidei, seu rerum Fidei pertineat ad Religionem, quando est Laus Dei; & pertineat ad veracitatem, quando est conformis iudicio, seu assensui interiori: etiã & semper est actus virtutis Fidei diuinæ, quæ est in intellectu (in quo Theologi conueniunt) non primarius, sed secundarius; quia exterior locutio est substituta, seu signum substitutiuum (non significatiuum) locutionis interioris intellectus, instituta, & facta ad supplendam vicẽ illius respectu hominum; quia hominibus loqui non possumus loquutione interiori, sed tantum exteriori; ac proinde ad virtutem Fidei diuinæ intellectus pertinet tanquam actus secundarius, & substitutus actus interioris qui est primarius, & habet eadem honestatem ac primarius, quia eodem modo est honestum, & cedens in reuerentiam Dei omnino veri dictis ab ipso ob ipsius authoritatem credere, & ea exterius confiteri.

Est tamen difficultas, an confessio Fidei sit actus elicitus Fidei, an ab ipsa imperatus?

Non desunt, qui existiment esse actum imperatum Fidei non elicitum quia non elicitur physicè ab habitu Fidei. Bañ. verò q. 3. art. 1. & Vazq. 1. 2. disp. 83. n. 16. existimant non esse actũ imperatũ, sed elicitũ Fidei, & merito nõ, quia ab habitu Fidei physicè eliciatur, quia verè nõ elicitur adhuc remotè, &

mediatè, sed quia est substituta actus interioris eliciti ab ipso habitu, cõplens ipsum actũ interiorem elicitũ in ordine ad homines, & versatur circa idem obiectum materiale, circa quod interior elicitus, & habet eandem honestatem, quam interior, qui eam habet in se, & primario; confessio verò Fidei secundariò deriuatam ab ipso assensu interiori, cuius ipsa est signum substitutiuum, sicut vrina est sana secundario à sanitate animalis, cuius est signum significatiuum.

DIFFICVLTAS II.

Vtrum Negatio Fidei prohibita sit?

ERROR Fuit Helcesaitarum (vt testantur Eusebius lib. 6. Histor. cap. 31. & Epiphanius hæresi 19.) asserentium licitum esse in tormentis negare Fidem, dum corde retineatur.

Catholici tamen conueniunt pro nullo malo vitando, neque pro aliquo alio fine posse absque peccato graui exterius negari Fidem seriò (addimus seriò, vt excludantur comœdiæ, & ludi, in quibus id potest absque peccato saltem mortali fieri) quamuis corde retineatur: ac proinde id esse prohibitum præcepto negatiuo obligante semper, & pro semper; quod significatur Matth. 10. dum postquam dixit Christus non esse timendos eos, qui persequuntur Fideles, quamuis possint occidere corpus, subdit: *Qui negauerit me coram hominibus* (subintellige adhuc pro vitanda morte) *negabo & ego eum coram Patre meo*: Quod etiam cõstat ex perpetuo sensu Ecclesiæ, quæ semper iudicauit nefas maximum, adhuc pro vitanda morte Fidem negare. Et ratione probatur, quia præter quam quod exterius negare Fidem, siue in totum, siue in partem, quando animo retinetur est mentiri, etiam est irreuerentia, seu iniuria grauis contra Deum reuelantem, affirmare, quamuis solum exterius, non esse, quod Deus dixit esse, etiam si id affirmetur cum restrictione mentali; imò & verbis æquiuocis, quæ possint alium verum sensum habere, dummodo verbis ipsis in alijs personis generetur sensus hæreticus, quia absque dubio talibus verbis iniu-

riatur

riatur Fides diuina, seu Deus reuelans; sicut nequit quis absque iniuria in alterum verbis suis, adhuc addita restrictione mentali, aut æquiuocis persuadere alijs illum alterũ commisisse crimen aliquod, quod verè non commisit, ac proinde negatio exterior Fidei diuinæ, qua persuadetur Deũ mentitum fuisse, nequit restrictione vlla, neque æquiuocatione excusâri, adhuc à mendatio: ergo exterius negare Fidem, adhuc pro vitanda morte nequit fieri, absq; graui peccato iniuriæ, seu infidelitatis exterioris contra Deum reuelantem, & quando corde retinetur, nequit etiam fieri absque peccato veniali mendacij.

Peccat etiam grauissimè contra Fidem, seu contra Deũ reuelantem, qui verbis negat Fidem esse certam; quia eadem est irreuerentia contra Deum reuelantem affirmare posse esse falsum, quod Deus dixit esse verum; & etiam qui seriò negat se esse Christianum; quia eo ipso implicitè negat se credere in Christum, quia negando se esse Christianum, significat Fidem in Christum non esse veram, neque dignam, vt teneatur, & ideo Petrus ex eo solum quod negauit se esse discipulum Christi, iudicatus fuit negasse Christum, & grauissimè peccasse. Et eodem modo grauissimè peccat contra Fidem, qui negat se esse Papistam coram hæreticis, qui per Papistas intelligunt eos, qui Romanum Pontificem agnoscunt, vt caput Ecclesiæ; quia eo ipso implicitè negat Romanum Pontificem esse caput Ecclesiæ, & ea negatione significat id non esse verum, neque dignum, vt teneatur. Et etiam grauissimè peccat contra Fidem, qui affirmat se esse, aut Iudæum, aut Mahumetanum, aut Caluinistam, quia eo ipso implicitè negat se esse Catholicum, & Fidem Christi tenere, quia neque Iudæus, neque Mahumetanus, neque Caluinista est Catholicus, neque Fidem Christi tenet.

Excipimus tamen casum in quo quis negans se esse Christianum, aut Papistam, & affirmans se esse Mahumetanũ, aut Caluinistam attentis intentione interrogantis, aut alijs circunstantijs, non negat adhuc implicitè Fidem diuinam, sed aliud, vt si quando esset bellum inter infideles ex vna parte, & inter Christianos ex altera interrogaretur quis ab infidelibus, an esset Christianus non curantibus de qualitate

Religionis, sed an esset aduersarius, quia tunc neque implicitè negaret Fidem, sed tantum se esse hostem illorum, in quo ad summum esset peccatum veniale mendacij officiosi, si non vteretur amphibologia, & nullum esset peccatum, si ea vteretur, vt tunc vti posset.

Negare tamen se esse Sacerdotem, aut Religiosum, quâuis interrogatus in odium status non est contra Fidem, quia non eo ipso negat Fidem, quia Fides etiam est in illis, qui neque sunt Sacerdotes, neque Religiosi, neque significat eos status esse indignos, vt suscipiantur, sicut negans se esse Christianum, quando curatur de qualitate Christianismi, significat Christianismum non esse dignum, vt suscipiatur; quia status Sacerdotalis, & status Religionis non sunt necessario suscipiendi, sicut est Fides Christiana, ac proinde non significat illos non esse dignos, vt suscipiantur, sicut neque significat, qui negat, & verè non esse Sacerdotem, neque Religiosum, sed tantum significat non suscepisse illos; quia noluit, cum ad id non fuerit aliquo præcepto obligatus.

Addimus præceptum istud negatiuum non negandi Fidem esse naturale proprium ipsius Fidei diuinæ internæ; quia negatio exterior Fidei ex natura rei, seu sua natura est contra virtutem Fidei opposita actui secundario illius: & quia id sua natura erat contra virtutem Fidei, ideo Christus Matth. 10. protulit supradicta verba, vnde non est necessarium dicere Christum in eo loco dictum præceptum tradidisse, seu esse diuinum.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm confessio exterior Fidei sit sub præcepto & pro quo tempore?

CIRCA Prius conueniunt Theologi esse præceptum confitendi exterius Fidem, quod nonnulli deducunt ex illo Paul. ad Roman. 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem*

tem

tem confessio fit ad salutem: His tamen verbis potius significatur efficatia Fidei,& confessionis ipsius,quam necessitas; seu obligatio. Deducitur tamen ex illo Luc 9.*qui me erubuerit,hunc filium hominis erubescet*: quod etiam postea ratione constabit,& quale sit huiusmodi præceptum.

Circa posterius supponimus pro varijs temporibus esse obligationem confitendi Fidem exterius, ortam ex præceptis aliarum virtutum à Fide, vt quando ex iustitia, vel ex Fidelitate,quia ex officio,aut quando ex misericordia, quia in extrema necessitate tenemur ad instruendos alios de rebus Fidei;aut ad exhortandum,ne deficiant à Fide,vel vt conuertantur ad Fidem;quia non possumus alios instruere de Fide, neque ad eam exhortari, nisi exterius confitendo Fidem: & quando ex virtute Religionis tenemur audire Sacrum, aut Sacramentum aliquod suscipere,quia his implicitè confitemur exterius Fidem.

Hoc supposito conueniunt primò Theologi Fidem diuinam ratione sui, & suo proprio præcepto obligare ad externam confessionem ipsius,quando ex non confessione,seu ex silentio circa res Fidei fit iniuria, seu irreuerentia Fidei, vt contingit,quando quis suo silentio insinuat Fidem nõ esse veram,aut non esse certam, aut eam parui facere, quod potest contingere,& aliquando contingit, quando quis interrogatus,an sit Christianus in odium Fidei (vt scilicet puniatur, aut illudatur ob Fidem) non respondet; & huic potest accedere,& aliquando accedit, quod quis suo silentio scandalizet, seu inducat Fideles,vt deficiant à Fide,& infideles, vt in infidelitate perseuerent.

In priori autem casu, in quo scilicet ex non confessione Fidei irrogatur iniuria Fidei, seu Deo reuelanti; obligatio quæ tunc est exterius confitendi Fidem, non oritur ex præcepto affirmatiuo Fidei,sed ex negatiuo non diffidendi, vt aduertunt Ægidius disput.15.dub.4.& Vazq.in manuscriptis quæst.3.artic.2.dub.2.ac proinde tunc non confiteri exterius Fidem non est peccatum omissionis, sed commissionis, quia tunc omissio confessionis est quasi actus insinuationis, falsitatis, vel incertitudinis, vel contemptus Fidei, qui actus positiue,seu commissiuè opponitur actui

secundario virtutis Fidei; nempe confessioni Fidei, & ratione huius præcepti negatiui Christus protulit verba illa supra dicta Luc. 9. & non ratione alicuius præcepti affirmatiui; quia absque dubio ibi loquutus est de silentio Fidei, quando ob ipsum honor Christi & Fidei ipsius periclitatur. Imò in altero posteriori casu, in quo quis suo silentio alios scandalizat, seu inducit ad deserendam positiuè Fidem, vel ad perseuerandú positiuè in infidelitate, obligatio exterius confitendi Fidem, etiam oritur ex præcepto negatiuo Fidei non primariè, sed secundariè, & derinatiuè; quia cõtra illud præceptum est alios deserere Fidem, & perseuerare in infidelitate, ex quo in inductionem scandalizantis se cundariè deriuatur.

Conueniunt secundò Theologi Fidem diuinam ratione sui, seu suo proprio præcepto obligare ad externam confessionem sui, quando confessio hæc est necessaria, vel ad conuersionem alicuius ad Fidem, vel ad confirmationem alicuius, in Fide vacillantis, ne deficiat a Fide; quia Fides non solum obligat primariè, vt quis eam sibi acquirat & eã retineat, sed etiã secundariè obligat ad illam confessionẽ, quando necessaria est, vt impediatur in alijs peccatum contra ipsam Fidem siue eam non admittendo, siue eam deserendo, sicut quæcumque alia virtus etiam obligat, quamuis tantum secundariè, vt in alijs impediamus peccatum contra illam (& ideo existimamus correctionem fraternam ex suo obiecto esse actum illius virtutis contra quam futurum est peccatum, quod correctione ipsa impedire conamur; ita tamen vt in eo non sit primariè bonitas illius virtutis, sed tantum secundariè, & derinatiuè) in hoc autem casu obligatio confessionis externæ oritur ex proprio præcepto affirmatiuo Fidei, quando confessio necessaria est, vt impediatur peccatum omissionis in alio, quando scilicet necessaria est, vt ille alius admittat Fidem, & oritur ex proprio præcepto negatiuo Fidei, quando confessio necessaria est vt in alio impediatur peccatũ commissionis cõtra Fidẽ, quando scilicet est necessaria, vt alius nõ deficiat a Fide; neutrũ tamẽ dictũ præceptũ affirmatiuũ videlicet, & negatiuũ Fidei in duobus casibus dictis obligat ad cõfessionẽ externã Fidei cũ dis-

pen-

pendio vitæ: imò neque cum alio graui damno minore, quia nullum apparet sufficiens fundamentum ad affirmandũ obligare cum tanto dispendio.

Addimus esse præceptum affirmatiuum Ecclesiasticum confessionis Fidei traditum à Trident. sess. 24. cap. 12. de reformatione, & sess. 25. cap. 2. de reformatione, quo præcipitur confessio Fidei promotis in Parochos, & in Canonicos, & in Dignitates Ecclesiarum Cathedraliũ, & in Episcopos, & in Archiepiscopos, & in Primates, & in Patriarchas, quod præceptum Pius IV. in motu proprio, qui incipit: *Iniunctũ nobis*: extendit ad Prælatos Religionum, quod non viget in omnibus Religionibus, & Pius V. in motu proprio, qui incipit: *In Sacrosancta*: etiam extẽdit illud ad omnes, qui promouentur ad Doctoratum & ad Magisterium, & ad Cathedram, & ad Lecturam, adhuc Grammaticæ, quod non in omnibus locis viget, sed in aliquibus, & in his non quoad omnem lecturam.

Addunt Soar. disp. 14. sect. 2. & Ægid. disput. 15. dub. 4. quemlibet adultum teneri ad exterius profitendam Fidem, quando baptizatur. Imò addit Soar. eum, qui ante adultam ætatem fuit baptizatus, teneri quando ad eam peruenit, quã primum possit profiteri Fidem; huius tamen obligationis nullum apparet sufficiens fundamentum.

DIFFICVLTAS IIII.

Vtrùm quando quis in odium Fidei interrogatur, an sit Christianus, vel quid simile teneatur affirmatiue respondere?

ANGELVS Verbo, *Fides*, n. 8. Sylvest. q. 5. Arag. 2. 2. art. 2. & Vazq. in manu scriptis dub. 2. docent, sic interrogatum in odium Fidei ad id teneri, quia tunc ex silentio irrogatur iniuria Fidei, quod Sancius lib. 2. sum. c. 4. limitat, vt tãtum sit verum, quando quis interrogatur à persona publica, aut à persona priuata graui, quia tunc solum suo silentio irrogat iniuriam Fidei.

Lorca verò disp. 24. num. 22. Ægid. disput. 5. num. 109 Adam. q. 7. dub. 5. & Granado tract. 11. sect. 2. docent sic interrogatum in odium Fidei, quamuis à persona publica, & publicè pro tribunali sedente, non eo ipso teneri affirmatiuè respõdere; quod etiam insinuat Soar. disp. 14. sect. 3. & meritò, quia sic interrogatus in odium Fidei, quamuis non respõdeat affirmatiuè, sed taceat, aut si respondeat, non respondẽdo ad propositum, dicendo, quid ad te? aut nolo tibi respondere, non eo ipso irrogat iniuriam Christo, neq; Fidei ipsius, quia non eo ipso censetur negare Christũ, neq; Fidem Christi; imò potius censetur eam tenere, quia eo silentio, aut responsione extra propositum insinuat se Fidem Christi tenere; quia si eam non teneret, absq; dubio id exprimeret, cum videat negatione, & dicta expressione se fugere malum, quod sibi ab interrogante imminet, & ei odiente Christianissimũ placere, ac proinde in ea occasione tacendo consentire videtur, quod sit Christianus, ob quod Tyrannus iuridicè tyrannicè procedens, sic interrogatum non negantem puniet tanquam confitentem Christum; neque eo ipso quod sic interrogatus non respondeat affirmatiuè censetur in Fide vacillare, imò neque Fidem contemnere, quia non respondere affirmatiuè prouenire potest ne ea responsione displiceat tyranno minanti mortẽ, aut aliud graue malum: Fidelis ergo sic interrogatus, quamuis à publica persona, & pro tribunali, nõ eo ipso tenetur affirmatiuè respondere; quia si teneretur, maximè, quia nõ respondẽdo affirmatiuè, indicaret se negare Fidẽ Christi, aut in ea vacillare, aut eã cõtẽnere.

Nihilominus si sic interrogatus, aliquando attentis circũstantijs suo silẽtio, aut elusione interrogationis cẽseatur negare Fidẽ, quod rarissimè continget, aut in ea vacillare, vt cõtingere potest, quãuis rarò, aut eã cõtẽnere, vt nõ rarò cõtinget, quãdo interrogatur à iudice Tyranno, & pro tribunali, & persequẽte fideles, tenetur affirmatiuè respõdere, aliãs irrogabit iniuriã Fidei: quod autẽ quãdo quis interrogatur à iudice tyranno Fideles persequẽte, & pro tribunali nõ rarò, imò regulariter cẽseatur cõtẽnere Fidẽ Christi, si affirmatiuè nõ respõdeat; cõstat, ex eò quod tunc tyrannus quasi publico certamine agit causã Fidei, & nõ sicut aliæ causæ agi solẽt, vt

scili-

scilicet veritas constet, & æquitas seruetur, sed contra Fidē intendens eam esse falsam, & ea intentione vocat martyres, quasi testes, nō vt testificētur, quod sentiant, sed vt determinatè testificentur contra eam; ac proinde in occasione tanti momenti tacere & Fidē non expressè defendere, est eam cōtemnere, quando ad tacendum non est aliqua extraordinaria causa; secus est, quando quis in particulari non interrogatur, sed generaliter præcipitur à tyranno, vt qui Christianus fuerit compareat, & se prodat, vt aduertit Soar. quia tunc non se prodendo, non contemnit Fidem.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm tempore persecutionis liceat Christiano fugere, ne cogatur Fidem negare, vel ne puniatur.

TERTVLIAN. Lib. de fuga in persecutione (quem sui Montanistæ secuti sunt) absolutè docet non esse licitum in ea occasione fugere, quia qui in ea fugit, aut se occultat insinuat se esse inconstantem, & vacillare in Fide, vt constat de Martyre illo ex 40. qui eo ipso quod aufugit iudicatus est inconstans in Fide. Et confirmatur exemplo fugæ Apostolorum, quando Christus comprehensus fuit à suis hostibus, quæ culpæ imputatur.

Catholici tamē cōueniunt ex obiecto, & per se licitū esse fugere & se occultare tempore persecutionis, quod plures Patres docent, & exprimitur Matt. 10. illis verbis: *Cum autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam.* quod dictum est à Christo, nō tantum ob Apostolos, vt vult Tertul. sed etiam ob omnes Fideles, vt ex antecedentibus, & consequentibus verbis patet. Idē quoq; constat exēplo Pauli, qui 2. ad Corint. 11. refert ipsum per fenestram in sporta dimissū manus Areti Regis fugisse: & exēplo Petri, qui Act. 12. captus ab Herode, diuinitus liberatus fugit, & exemplo Christi Domini, qui sæpē, ne lapidaretur, aut ne occideretur in odiū suæ doctrinæ, fugit Matth. 2. & 4. & Ioann. 8. & 10.

& 11. & exemplo Athanasij, qui tempore persecutionis fugit, & se occultauit, quod etiam multi sanctifecerunt.

Et ratione probatur, quia fuga in tali occasione non est prohibita iure aliquo positiuo, vt patet, nec iure naturali, quia fuga in tali occasione non est contraria Fidei, quia id non est negare Fidem, neque in ea vacillare, quia potius est quædam implicita confessio Fidei; quia qui fugit, ne cogatur negare Fidem, vel ne puniatur ob Fidem, insinuat se tenere Fidem, & existimare eam esse certam; neque id est contemnere Fidem, sed vel se seruare ob aliquam vtilitatem spiritualem propriam, vel proximorum, vel saltem ne absque necessitate puniatur ob Fidem, ergo tempore persecutionis est per se, seu ex obiecto licitum: imò aliquando potest esse sub præcepto, saltem quando vita fugientis est populo necessaria.

Addidimus id esse licitum per se, seu ex obiecto, quia aliquando per accidens potest esse illicitum, aut contra iustitiam, vel fidelitatem, vt quando est Pastor animarum, & in ea occasione est ipsis necessarius, aut contra Charitatem, vel misericordiam: imò aliquando potest esse contra Fidé, quando scilicet fuga est occasio contemptus Fidei, quod potest contingere, præsertim, quando quia Pastor fugit, & Fidem nō defendit, infideles illam contemnunt; quod arbitrio prudētis discernendum est.

Ad rationem ergo pro Tertullian. adductam negamus, eum qui tempore persecutionis fugit, eo ipso insinuare inconstantiam, seu vacillationem circa Fidem; imò potius implicitè confitetur Fidem, vt diximus. Martyr autem ille, qui ex 40. aufugit non est iudicatus inconstans, ex eo quod fugit, sed quia acquieuit signo præscripto à Tyranno ad negandam Fidem. Apostoli verò quando deseruerunt Christum non peccarunt, quia eum deseruerunt, cum ipsorum præsentia non esset vtilis, imò potuisset esse nociua ipsis, & Christo, sed si peccarunt (quod non est certum) fuit, quia dubij in Fide fugerunt.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrum licitum ſit factis, aut rebus falſam ſectam ſimulare?

ADrianus in 4.q.1.de Bapt.art.1. docet licitum eſſe ex rationabili cauſa Religionem falſam factis,& rebus ſimulare;ſeu fingere, dummodo id tantum fiat animo ſimulandi abſque animo illam profitendi. Quod etiam docere videtur Hieronym. in cap.2.ad Galat. Probari autem poteſt exemplo Apoſtolorum, qui aliquando cæremonijs Moyſis ſimularunt ſe profiteri legem illius,& oſtenderunt ſe eſſe profeſſione Iudæos,vt Iudæis apparerent Iudæi, & exẽplo Iehu Regis Iſrael qui 4.Reg.10.ſimulauit, ſeu finxit, ſe velle ſacrificium offerre idolo Baal, vt haberet occaſionem occidendi Sacerdotes illius, cuius ſimulationem videtur Deus approbaſſe;dum illi dixit. *Studiosè egiſti quod rectum erat, & placebat in oculis meis*,& exemplo Naaman qui 4.Reg.5.licentiam petijt ab Eliſeo Propheta, vt quando commitaretur. Regem Dominum ſuum in Templo Idolorum, poſſet genuflectere animo ficto, cui Eliſeus annuens, reſpondit. *Vade in pace.*

Deinde id ratione probatur primo,quia ſimulatio falſę Religionis non eſt contra præceptum affirmatiuum Fidei,vt patet,neque contra negatiuum, quia qui ſic ſimulat non intendit negare Fidem, ſed tantum intendit vtilitatem aliquã ex ſimulatione oriundam. Secundo,quia in alijs materijs ex rationabili cauſa eſt licita ſimulatio, ergo etiam in materia Fidei,& Religionis.

Soar.verò diſp.14.ſect.4 Turrian.diſp.35.dub.5. Sanc. lib.2.ſum.cap.4.Adamus quęſt.7.dub.5.Granado tract.11. diſp.3.ſect.2.Vazq.1.2.diſp.182.c.5. & communiter DD. docent & meritò non eſſe licitum factis neque rebus profeſſionem falſæ Religionis ſimulare adhuc abſque animo illam profitendi,quod expreſsit Auguſt.epiſt.19.ad Hiero.

Et ratione probatur primo ab inconuenienti,quia aliàs

poſſet

posset fidelis, vt patri suo infideli acquiescat, ne ab eo hæreditate priuetur; Thus adolere idolo, vt suo Patri appareat idolatra, & infidelis, quod est absurdū, quāuis id efficeret absque animo colēdi idolū. Deinde id à priori probatur, quia in primis id est contra veracitatem, quia eo facto, aut ea re quis significat, aut significare intendit se esse infidelem, & talem apparere, cum verè non sit, quia hoc est simulare, & fingere infidelitatem, quod est contra veracitatem non minus quam aliquem verbis intendere significare se esse infidelem, cum verè non sit. Deinde id etiam est cōtra Fidem diuinam, quia id est facto, aut re exteriori falsam Fidem incompossibilem cum vera exterius profiteri; ac proinde veram Fidem implicite negare, quia qui se circumcidendo simulat, & ostendit esse Iudæum, & cæremonijs Moysis obligari, eo facto exterius profitetur id quod est contra Fidem ab Apostolis definitam in Concilio Hierosolymitano.

Quod autem Hieronym. oppositæ sententiæ faueat non obest, quia pro nostra est August. & communis Theologorum applausus.

Et ad primum exemplum Apostolorum concedimus ipsos aliquando etiam postquam cessauit lex Moysis vsos fuisse cæremonijs illius, sed non tanquam necessarijs, seu obligantibus, qua ratione vtebantur Iudæi non conuersi ad Fidem Christi, quo isti profitebantur contra Fidem ab Apostolis definitam, sed vsos fuisse illis, vt cæremonijs tunc ad colendum Deum vtilibus, & nondum prohibitis, vt sic lucri facerent Iudæos.

Ad secundum exemplum Iehu respondemus, Deum non approbasse simulationem illius, sed factum, nempè occisionem sacerdotum Baal, & deletionem domus Achab Regis, vt ex contextu constat.

Ad tertium exemplum Naaman respondemus adorationem exteriorem, & fictam, quam Eliseo significabat se facturum idolo, fore illicitam, & ob id ab illo petiuit, vt pro se deprecaretur Deum, vt sibi dimitteret peccatum illud adorationis exterioris, quam non audebat omittere, ne Domino suo Regi displiceret. Eliseus autem illis verbis. *Vade in pace* non approbauit adorationem illam, sed significauit se rogaturum

turum pro eo Deum, annuens petitioni illius.

Et ad primam rationem respondemus eam simulationē esse contra præceptum negatiuum Fidei, quia ea implicitè negatur Fides. Et ad secundam respondemus, negando simulationem in aliqua materia esse licitam, sed in omni esse illicitam, vt supponit Vazq. cap. 4. & 5. quia in quacumque ad minus est mendacium, & in præsenti materia etiam est infidelitas implicita.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrum ad occultandam Fidem, ne quis ob eam graue damnum patiatur, liceat vti indumento, vel alio signo proprio infidelium?

SVPPONIMVS Indumenta, & alia signa exteriora propria infidelium esse in duplici differētia, quia alia sunt, quæ communiter, & regulariter non habent alium vsum, nisi vsum falsæ Religionis, ad quem tantum sunt instituta, vel ex lege, vel ex consuetudine, qualia sunt, quæ sunt instituta, & ordinata ad falsum cultum, vt indumenta quibus vtuntur sacrificuli in suis impijs sacrificijs: alia sunt quæ habent alium communem vsum, & non sunt ordinata ad falsum cultum. Hæc autem posteriora signa externa, sunt in triplici differentia; quia primo alia sunt, quæ quamuis sint propria infidelium, tamen non sunt instituta ad aliquid falsæ sectæ significandum, & habent communem vsum, qualia sunt indumenta, quibus natio aliqua infideliū vtitur ad tegendū corpus, & eis vtitur tanquā proprijs, non ad distinctionē sectæ, sed tantū ad distinctionē nationis, quibus etiam vterentur, quāuis conuerterentur ad Fidē. Secūdo sunt alia signa, quæ non solū assumuntur ab infidelibus ad cōmunem vsum, sed etiam sunt instituta siue ex lege, siue ex consuetudine ad simplicem distinctionem suæ sectæ ab alia, quibus ea gestans significat se esse huius, aut illius sectæ, qualis est pileus

flauus

flauus Iudæis Romæ, & Turcis tobalia alba, & Perſis tobalia flaua. Tertio ſunt alia, quæ non tantum aſſumuntur ad communem vſum, & inſtituta ſunt ad diſtinctionem vnius ſectæ ab alia, ſed etiam ad profitendam, ſeu proteſtandam eam ſectam in honorem ipſius ſectæ, & auctoris illius, quale eſt ſignum Lunæ, quo in veſtibus vtuntur nonnulli Mahumetani in honorē Mahumeti, & quales ſunt capilli longi (alijs tonſis) quibus etiam vtuntur alij in honorem Mahumeti, illis ſignificantes ſe eſſe ex genere illius.

Hoc ergo ſuppoſito conueniunt primo DD. vti indumentis, aut alijs ſignis proprijs infidelium non habentibus alium communem vſum, niſi vſum falſæ Religionis, quales ſunt veſtes, quibus ſacerdotes idolorum in ſacrificijs vtuntur eſſe peccatum contra Fidem, quia illa moraliter non habent alium vſum, quam ſignificationem falſæ Religionis, vt adolere thus idolo, ac proinde dictis ſignis, quis non tantū occultat veram Fidem, quod non ſemper eſt illicitum niſi raro quando confeſsio eſt neceſſaria, ſed etiam poſitiuè ſignificat ſe eſſe cultorem falſæ ſectæ, quo peccat peccato contra Fidem; quia eo ipſo implicitè negat exterius Fidem veram; quod eſt verum quamuis eis ſignis vtatur, abſque animo fingendi falſam Fidem, ſed tantum occultandi veram, ſicut qui vtitur verbis vniuocis profitentibus Fidem falſam, quamuis eis vtatur abſque animo ſimulandi falſam Fidem.

Secundò conueniunt DD. vti indumentis, aut alijs ſignis proprijs nationis infidelium, quando non ſunt inſtituta ad diſtinctionem ſectæ, ſed tantum nationis non eſſe peccatum contra Fidem, quia illis vtens non ſignificat ſe eſſe ſectatorem illius ſectæ (etiāſi per diſcurſum id poſsit inferri) ſed tantum eſſe vnum illius nationis; ac proinde ſi non fiat animo fingendi ſectam illam non erit peccatum contra Fidem. Curandum tamen eſt ne adſit ſcandalum, quod facile continget quando quis antea cognitus Chriſtianus, & in habitu diſtincto ab habitu infidelium, poſtea habeat habitum proprium infidelium, & non credatur id efficere, vt occultet ſe eſſe Chriſtianum: quia tunc infidelis, qui eam mutationem habitus videat, facilè confirmabitur in ſua ſecta, & Chriſtianus circa Fidem vacillabit.

DIF-

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrum licitum sit ex rationabili causa vti indumentis infidelium institutis ad ipsorum distinctionem?

CAietan. 2. 2. quæst. 3. art. 2. Lorca disp. 24. Anton. 2. p. tit. 12. Nauarr. cap. 11. num. 27. & Tolet. lib. 4. cap. 2. docent id ob nullam causam licere, adhuc ob vitandam mortem, quia vtens illis indumentis, vt potè institutis ad significandam, seu dignoscendam falsam sectam, & sectatorem illius significat se esse sectatorem illius sectæ, quo implicitè negat veram Fidem, cum qua incompossibilis est secta illa; sicut qui verbis affirmat se esse sectatorem sectæ Mahumeti.

Azor. vero lib. 4. cap. 27. q. 4. Petrus Hurtado disp. 48. sect. 3. Soar. disput. 14. sect. 5. Turrian. disp. 35. dub. 4. Adamus quæst. 7. dub. 5. Granado tract. 11. disp. 3. sect. 2. Sanc. lib. 2. c. 4 & Vazq. in manuscriptis q. 3. art. 2. dub. 3. docent, & meritò, id posse licitè fieri vt quis occultet se esse Christianum, quando ad id adest rationabilis causa, & scandalum abest.

Id autem probari solet, quia dicta indumenta, & signa sunt ambigua, seu indifferẽtia, vt possint assumi, vel ad vsum corporalem, vel ad dictam distinctionem, seu significationẽ, ac proinde quando adest rationabilis causa posse licitè assumi ad vsum tegendi corpus, & non ad dictam significationẽ, etiamsi à videntibus accipienda sint etiam ad significationẽ; sicut etiam verba ambigua, seu æquiuoca possunt ex rationabili causa assumi in sensu quem proferens velit, quamuis ab audiente sint in alio sensu accipienda. Hæc tamen ratio efficax non est, quia si efficax esset, etiam esset licitum tegere, seu dissimulare Fidem veram verbis ambiguis significantibus, & ipsum proferentem esse infidelem, v. g. Iudæum, aut Mahumetanum, aut Caluinistam, & etiam aliquid aliud, quamuis ab audiente accipienda sint in priori sensu, quod dif. 2. diximus esse falsum, quando agitur de qualitate Fidei.

Ratio

Ratio ergo noſtræ ſententiæ eſt, quia dictæ indumenta ſignificant ſectam, & ſectatorem illius ſimplici tantummodo non curando de qualitatè ſectæ, ſeu de eius veritate, & dignitate, quia tantũ ſunt inſtituta ad ſimplicem diſtinctionem illius ſectæ ab alijs non attendendo ad eius qualitatem; qui autem ſuo verbo aut facto, aut re aliqua, ſimplici tantummodo ſignificat ſe eſſe ſectatorem illius ſectæ, v.g. ſe eſſe Mahumetanum, & ſic implicitè negat ſe eſſe Chriſtianum, non curando de veritate, & dignitate illius, non peccat contra Fidem, quia in hoc nullam ei irrogat iniuriam, ſicut difficultate 2. diximus, de eo qui rogatus ab hoſtibus, an ſit Chriſtianus, non curando de qualitate Chriſtianiſmi, negat ſe eſſe Chriſtianum: Iudæus enim, qui ſimplici modo interrogatur, an ſit Iudæus, licitè reſpondet id concedendo, & licitè ad id inducitur interrogatione, & etiam licitè geſtat pileum flauum Romæ, quo ſignificat ſe eſſe Iudæum; & id ipſi licitè præcipitur à Romano Pontifice, ergo Chriſtianus, qui geſtat veſtem infidelium eos ſimpliciter diſtinguentem, non peccat contra Fidem, quamuis veſtè ipſa ſignificet ſe eſſe profeſſorem infidelitatis, quia id ſimplici modo ſignificat, non curans de veritate illius; erit tamen peccatum veniale mendacij, ſeu ſimulationis officioſæ, ſi id ſignificare intendat; & non erit, ſi vtatur veſtè tantum ad vſum tegendi corpus exiſtente ad id rationabili cauſa, v. g. occultandi Fidem, ſeu ſe eſſe profeſſorem illius, ne ob ipſam patiatur graue aliquod detrimentum, quamuis alij decipiendi ſint, intelligentes ipſum eſſe infidelem v. g. Turcam; ſicut etiam exiſtente rationabili cauſa licitum eſt abſque peccato mendacij vti verbis ambiguis habentibus varias ſignificationes in ſignificatione non percepta ab audiente.

Vnde Chriſtianus in dicto vſu indumentorum ſimplici modo ſignificantium infidelitatem non peccat contra Fidē, quamuis ad id nulla ſit rationabilis cauſa (ſicut neque infidelis illis vtens peccat contra Fidem) ſed tantum peccat peccato mendacij contra veracitatem, ſeu ſimplicitatem contra quam peccatur, vtendo abſq; rationabili cauſa voce, facto, aut realiter, quam audiens percepit.

Ex

Ex dictis constat, in quo DD. conueniunt Christianum dimittentem habitum, aut aliud signum institutum ad simplicem distinctionem Christianismi ab alijs non peccare cõtra Fidem, sicut nec contra eam peccatur, gestando signum infidelitatis distinctiuum à Christianismo.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrum licitum sit ex rationabili causa vti indumentis infidelium, quibus teguntur, etiam institutis non tantum ad dignoscendam, sed etiam ad protestandam, seu honorandam falsam sectam?

AZor.lib.4.cap.17.q 4.Sanc.lib.2.cap.4.Ægid.disp.15. dub.3.& Adamus quæst.7. dub.5. partem affirmatiuam tuentur, quia dicta indumenta præter dictam significationem etiam habent vsum tegendi corpus, ergo ex rationabili causa occultandi videlicet Fidem, ne ob eam quis patiatur graue aliquod damnum, potest absque iniuria contra Fidem vti illis ad dictum vsum, non intendendo eam significationem, vt intendunt infideles, ob quod ipsi, peccant contra Fidem illis (vtendo) sicut etiam potest quis vti verbis æquiuocis in alia significatione distincta ab ea, in qua accipiunt audientes.

Aragon. verò q.3.ar.2.Becanus cap.9.q.5.Petrus Hurtado disp.48.sect.4.& communiter DD. partem negatiuam tradunt, & meritò; quia qui dicto indumento vtitur, ex vi ipsius immediatè, seu absque discursu apparet alijs infidelis, infidelitatem ipsam protestans, & honorans, & id dicto indumento immediatè significat, quamuis ipse id nõ intẽdat, sed tantum tegere corpus, & Fidem occultare, ergo vere peccat contra Fidem sicut qui verbis ambiguis apparet alijs infidelitatem protestans, & honorans, quamuis non intendat vti illis in ea significatione, sed in alia, quam non percipiunt audientes, quia vtens dicto indumento non

minus

minus irrogat iniuriam Fidei, quam iste alter suis verbis ambiguis cũ vterq; falsam Fidẽ, cũ vera incomposibilem protestando, & honorando quoad alios sic percipientes, quoad eos significet saltem implicitè Fidem nostram incomposibilem cum illa, non esse veram, neque dignam, vt tenea tur ex quo constat ad rationem aduersariorum.

Sed quamuis sit contra Fidem vti indumentis, aut alijs insignis institutis in protestationem, & honorem falsæ sectę, non tamen est contra Fidem dimittere habitum Christianorum adhuc, ex lege institutum, imò & præceptum gestari in protestationem Christianismi, quando dimittitur ad euitandum graue aliquod periculum, vt contra Caietan. q. 3. art. 2 dub. 1. docent communiter DD. quia dimissio illius non est negatio Fidei, sed tantum est omissio confessionis, ad quam non obligatur quis non solum, quando non est lex gestandi dictum habitum; vt patet, sed neque quando adest lex, etiam iusta lata à superiore Catholico, si adsit periculum graue in gestante habitum illum, quamuis præceptum gestari, quia lex illa quamuis iusta, non obligat cum tãto periculo. Quod si lex illa sit iniusta alicuius Tyranni lata in odium Fidei, vt puniantur qui inueniantur eam profiteri, multo minus ea obligatur Catholicus, quia non solum non est iusta, sed neq; habet vim interrogationis, qua quasi interrogetur an sit Catholicus, vt falso existimat Caietanus, & quamuis haberet vim interrogationis, non tamen interrogationis in particulari, quæ sola constituit articulum necessitatis confitendi Christum; imò non semper vt diximus difficult. 4. Quod autem quis dimissione habitus Christianorum appareat infidelis, non sufficit vt obligetur ad illum *non dimittendum* quando alias non est scandalum inducens ad aliquid contra Fidem, vt sæpè potest non esse vt diximus dif. 7.

(··)

DIF-

DIFFICVLTAS X.

Vtrum licitum sit Catholico vesci carne diebus prohibitis, quando non vescendo deprehenditur Catholicus cum periculo graui?

AZor. lib.7.cap. 29. quæst.7. Sanc. lib. 2. cap.4. AEgid. disp.15.dub.3.Becanus cap 9.quæst.5. & Adamus q. 7. dub.5.docēt id esse licitum cessante scandalo,& merito;quia ex vna parte prohibitio vescendi carne non obligat cū graui periculo, & ex altera parte, id nō est signum professiuum alicuius falsæ Religionis.

Quod si forte in Prouincia aliqua ex lege,aut ex consuetudine id sit signum professiuum,seu protestatiuum falsæ Religionis (quale nullibi creditur esse,sed ad summum simplici modo distinguens) tunc non erit licitum absque duplici peccato,altero mortali contra Fidem, & altero contra temperantiam,vel mortali,vel veniali pro quantitate materiæ, & eodem modo absque eodem duplici peccato id non erit licitum,quando quis eo esu publica auctoritate tentatur edentis Religio : & etiam quando ex eo esu oriatur scandalum, vt contingeret, quando aliqui existimantes edentem, à Fide defeciisse,inducantur ad deficiendum : imò tunc vltrà peccatum contra temperantiam tot peccatis mortalibus contrà Fidem peccabit,quot sint, qui exemplo illius inducantur ad deficiendum à Fide.

Addimus licitum esse Catholico, si non adsit scandalum neque propriæ peruersionis periculum,adire templa infidelium, & eorum conciones audire; quia id ex se non est protestatio infidelitatis:addimus *ex se*, quia si in aliquibus locis ex consuetudine, aut lege præcipiatur, vt omnes adeant templa infidelium, & eorum conciones audiant, vt sic protestentur infidelitatem,vt his temporibus contingit in An-

glia; id erit ex ea consuetudine, aut lege signum protestatiuum infidelitatis, ac proinde fieri non poterit absque peccato mortali contra Fidem, etiamsi non intendatur protestatio infidelitatis, quia tunc ex vi illius aditus, & auditionis concionum apparet quis protestans infidelitatem: quod credimus verum etiamsi quis publica attestatione, omnibus videntibus aditum, nota (qualis difficile admodum fiet) affirmet se non adire, nisi vt pœnam fugiat.

DISPVT. X.

De Infidelitate.

DIFFICVLTAS I.

Vtrum infidelitas sit peccatum?

SVPPONIMVS Duplicem esse infidelitatem, vnam negatiuam, seu priuatiuam, quæ est carentia Fidei debitæ haberi, alteram positiuam, quæ est error positiuè contrarius Fidei, siue toti, siue parti; & vtrãque infidelitatem posse esse vincibilem, & inuincibilem.

Hoc ergo supposito certum est, vtramque infidelitatem ex se, seu ex suo obiecto esse peccatum, vt indicatur Marc. vlt. *Qui non crediderit, condemnabitur*, subintellige, ob infidelitatem tam positiuam, quàm negatiuam, & Ioann. 3. *Qui non credit, iã iudicatus est.* Subintellige ex ipsa infidelitate tã negatiua, quàm positiua, & Ioann. 15. *Si non veniſſem, & loquutus fuiſſem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato ſuo*: Subintellige infidelitatis tam negatiuæ, quàm positiuæ.

Et id ratione constat, & in primis de infidelitate negatiua, quia est carentia actus credendi debiti ex præcepto diuino, vt diximus disput. 8. difficult. 10. Deinde de infideli-

tate

rate positiua, quia qui affirmat aliquid esse, aut non esse contra id quod Deus affirmauit, non leuem iniuriam irrogat ipsi Deo, quia sic despicitur, & habetur quasi potens decipere, aut decipi, vel decipere, & decipi simul. Ex quo constat, infidelitatem negatiuam esse peccatum omissionis, vtpote oppositam præcepto affirmatiuo. & infidelitatem positiuam esse peccatum commissionis vtpotè oppositam præcepto negatiuo non discredendi Deo.

Obseruandum est infidelitatem positiuam (& suo modo negatiuam) posse esse absque malitia seu culpa, quando scilicet discredenti, vel non venit in mentem Deum reuelasse id quod discredit (quod non est propriè infidelitas) quia tunc nequit aduertere se discredere Deo; vel si venit in mentem Deum reuelasse, non tamen aduertit se versari in actu discredendi, aut si hoc aduertit, non tamen aduertit eum actum esse malum, quod rarissimè euenit, nisi pro minima aliqua morula, quia malitia infidelitatis maximè se ostendit.

DIFFICVLTAS II.

Vtrum infidelitas sit peccatum maximum?

SVPPONIMVS Infidelitatem tam positiuam, quàm negatiuam esse in intellectu tanquã in subiecto, quia vna est carentia Fidei debitæ, & altera est error positiuè contrarius Fidei; error autẽ & carentia Fidei sunt in intellectu tanquam in subiecto; & vtramque vt sit peccatum, debere esse voluntariam, vel ab actu positiuo voluntatis, vel ab omissione illius à quâ infidelitas saltem negatiua erit sufficienter voluntaria.

Hoc ergo supposito, conueniunt primò DD. infidelitatem tam positiuam, quàm negatiuam, vtramuis suo modo ex obiecto, seu quoad grauitatem essentialẽ, quæ ex obiecto desumitur, esse peccatũ maximum omnium, quæ sunt contra virtutes morales, quia Fides est essentialiter perfectior

& melior quibuscumque virtutibus moralibus, ergo infidelitas, quæ Fidei opponitur est peccatum essentialiter peius quocumque peccato virtutibus moralibus opposito.

Addimus *quoad grauitatem essentialem*, quia quoad accidentalem (ratione cuius peccatum est mortale, vel veniale) quæ desumitur ex libertate quasi intensiua, vel ex quantitate obiecti, seu materiæ potest esse peccatum minus peccatis oppositis virtutibus moralibus; imò potest esse tantum veniale, saltim ex defectu plenæ libertatis, vt generaliter contingit omnibus peccatis.

Conueniunt secundo DD. peccatum infidelitatis esse minus quoad grauitatem essentialem peccato contra charitatem, quia charitas in esse morali, seu virtutis perfectior est Fide, iuxta illud Pauli 1. ad Corinth. 13. *Nunc autem tria hæc Fides, Spes, & Charitas; maior autem horum est Charitas.* Sed an sit peccatum minus quoad grauitatem essentialem peccato desperationis opposito Spei, non est certum, credimus tamen esse maius, vt aduertit S. Thom. quæst. 20. art. 3. quia etiam credimus Fidem esse moraliter perfectiorem Spe, sicut & physice de quo iterũ tract. de Spe disp. 2. dif. 4.

DIFFICVLTAS III.

Quot modis contingat infidelitas?

INFIDELITAS Negatiua, seu priuatiua contingit non credendo ea quæ ex præcepto affirmatiuo Fidei credenda sunt, postquam ei qui non credit, fuerunt sufficienter proposita, circa quod nihil peculiare dicendum occurrit.

Vt verò videamus quot modis contingat infidelitas positiua, supponimus posse aliquem tripliciter se habere circa obiectum Fidei primo illud positiuè discredendo. Secundo ei assentiendo assensu tantum opinatiuo, sub quo etiam comprehendimus assensum Fidei humanæ. Tertio dubitando circa illud.

Hoc ergo supposito certũ est positiue discredere obiectũ à Deo reuelatũ esse infidelitatẽ positiuã; si aliàs adsit pertinacia de qua dicemus diff. 5, quia qui Deo reuelanti discredit

positiuè, & pertinaciter, est Deo incredulus, & infidelis, & Deo dicenti rebellis, in quo consistit positiua infidelitas; discredit autem positiuè Deo, non tantum ille, qui iudicat esse falsum id, quod Deus dixit, seu reuelauit esse, aut non esse, sed etiam ille qui iudicat illud esse incertum, seu fortè esse falsum, quia eo iudicio dicitur formaliter formidare.

Est tamen difficultas primo, an assentiri obiecto Fidei sensu opinatiuo sit infidelitas positiua, si alias adsit pertinatia.

Azor. lib. 8. cap. 9. quæst. 6. Lorca disput. 42. & Ægid. disp. 18. dub. 7. partem affirmatiuam tuentur; quia qui assensu seu iudicio opinatiuo assentitur obiecto Fidei, eo ipso formidat circa veritatem illius obiecti, & iudicat illud esse incertum, cum assensus opinatiuus sit incertus, & formidolosus.

Soar. verò, disp. 16. sect. 1. Turrian. disput. 55. dub. 1. & Granado tract. 15. disp. 3. partem negatiuam tradunt, & merito; quia quamuis actui opinionis ex se non conueniat esse certum, & infallibilem; sed potius fallibilem, & incertum, ipso tamen actu opinionis, quo quis opinatiuè assentitur obiecto Fidei, non iudicat obiectum illud esse incertum, seu forte esse falsum, sed tantum iudicat esse verum, ergo eo actu non discredit Deo dicenti id esse verum: & quamuis ille qui opinatur circa obiectum Fidei, possit etiam habere formidinem seu iudicium, quo iudicet obiectum illud fortè non esse verum, cum actus opinatiuus non excludat formidinem (ob quod dicitur formidolosus) & sic iudicans possit eo iudicio esse infidelis Deo, non tamen actu ipso opinionis, quia eo potius determinate absque formidine aliqua in ipso formaliter inclusa, iudicat esse verum.

Addimus actum opinionis circa obiectum Fidei (sicut circa quodcumque aliud obiectum) non solum non includere formaliter in se ipso formidinem, sed neque habere illam sibi necessario adiunctam; imò sibi raro adiungitur, ac proinde opinans non solum non est infidelis, quia formaliter opinatur, sed neque est infidelis concomitanter ad opinionem.

Secundo est difficultas, an dubitare circa obiectum

Fidei sit infidelitas positiua, si alias adsit pertinatia.

Conueniunt DD. dubitare positiuè circa obiectum Fidei, si aliàs adsit pertinatia, esse infidelitatem positiuam; quia dubitare positiuè circa illud est iudicare fortè illud non esse verum, quod est positiuè contradicere Deo determinatè affirmanti illud esse verum, in quo infidelitas positiua consistit

Est tamen difficultas, an dubitare negatiuè circa obiectum Fidei sit infidelitas positiua, si aliàs adsit pertinatia; ille autem dicitur dubitare negatiuè circa obiectum Fidei, qui obiecto Fidei sufficienter proposito, vt reuelato, & conans (quamuis non omnino efficaciter, vel potius efficaciter sub conditione, sub hac videlicet, si appareat esse sufficiens fundamentum) ferre iudicium circa illud, non ferit, sed illud suspendit hærens, & manens pendulus.

Canus 1.2.de locis cap. 9. Sanc. lib. 2. cap. 7. Franciscus de Christo quæstion. 3. de hæresi, argumento 2. & Becan. cap. 14. quæst. 2. partem negatiuam tuentur; quia dubitare negatiuè circa obiectum Fidei, non est intellectum iudicare, *fortè illud non esse verum*, sed tantum est, intellectum suspendere iudicium circa illud, in quo intellectus non discredit Deo neque errat circa dictum obiectum.

Caietan. quæst. 11. articul. 2. Valen. quæst. 10. p. 1. Tolet. lib. 4. cap. 4. & Granado vbi suprà partem affirmatiuam tradunt, quia dubitare negatiuè est aliquem proposito sufficienter obiecto Fidei, & conantem ferre iudicium circa illud, non ferre, sed illud suspendere hærentem, & manentem pendulum; id autem est implicitè iudicare obiectum Fidei esse incertum seu fortè esse falsum, quod est positiuè contra Fidem.

Nos verò existimamus dubitare negatiuè circa obiectum Fidei non esse physice infidelitatem positiuam, esse tamen moraliter. Et in primis non esse physice infidelitatem positiuam, constat ratione primæ sententiæ quia scilicet dubitare negatiue non est positiue iudicare obiectum Fidei esse incertum, quia non est id explicitè iudicare, vt patet, neque implicite, quia nullum circa aliquid explicite fertur iudicium, neque circa obiectum Fidei, neque circa aliud: omne

autem

autem iudicium implicitum continetur, seu implicatur in aliquo iudicio explicito. Deinde negatiue dubitare esse moraliter infidelitatem positiuam, si alias adsit pertinatia probatur; quia negatiue dubitare pertinaciter est aliquem sciẽtem, aut non potentem rationabiliter dubitare Deum aliquid reuelasse, & constantem credere, si defectu motiui, aut propositionis illius non retardetur, seu detineatur, vere detineri, & hærere, & pendulum manere; quia non satisfidit motiuo, aut propositione motiui, sed sic hærendo, & pendulum manendo, postquam quis scit, aut non potest rationabiliter iudicare Deum id reuelasse, irrogatur iniuria auctoritati diuinæ, sicut discredendo; qui enim postquam aliquis sibi aliquid dixit conanti credere, hæret & pendulus manet, iniuriam irrogat authoritati illius, quia sic hæret, quia non fidit testimonio illius, ergo pertinaciter dubitans negatiue circa obiectum Fidei, quamuis physice non sit infidelis positiue, est tamen moraliter talis, quia moraliter censetur incredulus Deo, & non fidens testimonio illius, sicut qui positiue discredit.

Addimus eum, qui negatiue dubitat circa obiectum Fidei, regulariter elicere actum positiuum infidelitatis, quo positiue iudicat illud esse incertũ; qui enim hæret, & dubitat circa aliquod, obiectum id efficit, quia id circa quod dubitat non sibi apparet verum; ille autem cui obiectum non apparet verum, & conatur aliquo modo elicere assensum circa illud, facile iudicat forte non esse verum.

Dubius ergo de Fide est infidelis positiue, vt voluit Pontifex in cap. 1. de hæreticis, non solum dubius positiue, vt patet, sed etiam dubius negatiue, tum quia iste absque alio iudicio erroneo est infidelis positiue moraliter; tum etiam quia regulariter habet iudicium, quo iudicat obiectum, circa quod negatiue dubitat, forte non esse verum.

DIFFICVLTAS IIII.

Vtrum infidelitas positiua sufficienter diuidatur in Paganismum, Iudaismum, & Hæresim: & quomodo?

CIRCA Prius conueniunt DD. infidelitatem positiuam sufficienter diuidi in hæresim, Iudaismũ, & Paganismũ, quia omnis infidelis (qui est talis, quia cõtradicit Fidei Christianę, quia hæc sola est diuina) aut contradicit Fidei Christianæ sub nomine Christiano, & sub nouo testamẽto credẽs Christum venisse, sicut ex nouo testamento creditur, ac proinde contradicit Fidei Christianæ non in totũ, sed in partem quoad aliquid videlicet, vel quoad aliqua, & hic est hæreticus, siue antea fuerit Catholicus, & baptizatus, siue non: aut contradicit Fidei Christianæ non sub nomine Christiano, & tanquam Christianus, & credens Christum venisse, sed sub nomine Iudaico, & credens Christum nondum venisse, sed venturum, sicut ex veteri testamento credebatur, & hic est Iudæus, seu Iudaismo affectus: aut contradicit Fidei Christianæ omnino nihil credens, neque sub nomine Christiano, neque sub nomine Iudaico, sed aliunde si aliquid credit, neutrum testamentum recognoscens, & hic est Paganus, seu Paganismo affectus. Præter hos autem tres modos infidelitatis nullus alius est nunc, qui saltem ad aliquem ex his non reducatur; quia Turcismus v.g. quamuis aliquid credat ex Iudaismo, & aliquid ex Christianismo, non tamen nisi, vt Paganismus, & non vt Iudaismus tanquam ex veteri testamento, neque vt Christianismus tanquam ex nouo testamento, quia nihil credit, quia sit veteris, neque noui testamenti: & apostasia iuxta varios modos ipsius etiam reducitur ad aliquam ex tribus dictis infidelitatibus, quia apostasia (quæ idem est, quod recessus ab aliquo suscepto, & propriſsimè sumitur pro recessu à Fide suscepta siue ante, siue

post

post Baptismum) aut est recessus âparte Fidei susceptæ, & sic est hæresis, aut est recessus à tota (qui quando est â tota solemniter in Baptismo professa dicitur per antonomasiã apostasia) & sic vel est Iudaismus, vel Paganismus iuxta prædicta.

Circa posterius quomodo scilicet infidelitas diuidatur in tres prædictas. Caiet. Bañez, Aragon, Malderus q. 10. art. 5. & Granado tract. 15. disp. 7. docent, infidelitatem diuidi in tres illas diuisione generis in species; quia tres illæ infidelitates distinguntur specie, & essentialiter; quod etiam docuisse videtur S. Thom. in eo art. 5. dum eas absolutè appellat species infidelitatis. Et ratione probatur, quia dictæ tres infidelitates diuerso modo opponuntur Fidei, non minus quam duo vitia eidem virtuti morali opposita, alterum per excessum, & alterum per defectum, ergo hæc vitia infidelitatis non minus sunt species specificè, essentialiter distinctæ.

Soar. verò disp. 16. sect. 4. Lorca disp. 35. Turrian. disp. 50. dub. 4. Ægid. disp. 18. dub. 6. Becan. cap. 13. q. 2. & Petr. Hurt. disp. 71. docent dictas tres infidelitates non distingui essentialiter specificè, sed tantum accidentaliter (ac proinde infidelitatem nõ diuidi in illas diuisione generis in species, sed diuisione quasi subiecti in accidentia) & meritò, quia essentia, seu ratio essentialis infidelitatis in eo consistit, quod quis resistat diuino testimonio ita sufficienter proposito, vt nequeat prudenter, seu cordatè dubitare de illo; quæ ratio eadem est infime in dictis tribus infidelitatibus, quamuis vna magis extensè resistat diuino testimonio, quam alia, quæ tantum est differentia accidentalis, vtpote secundum magis & minus intra eamdem rationem essentialem infimam, in quo maximè differunt à vitijs eidem virtuti oppositis, altero per excessum, & altero per defectum, quæ differunt essentialiter specificè, quia dicunt diuersam rationem specificam dissonantiæ ad eandem virtutem.

Inter has autem tres infidelitates, hæresis regulariter est minus mala extensiuè, quam aliæ duæ, & Iudaismus quã Paganismus; intensiuè tamen hæresis regulariter est magis mala quam aliæ, quia hæreticus magis cognoscens veram

Fidem, & sub nomine Christiano illi contradicit, & Iudaismus est magis malus quam Paganismus; quia habens maiorem cognitionem Fidei, & sub nomine Fidelis contradicit Fidei. Addimus *regulariter*, quia aliquando contingere potest, quod Paganismus sit intensiuè magis malus, quam Iudaismus & hæresis; & Iudaismus magis quam hæresis, vt cõtingit in eo, qui ex Catholico fit Iudęus, & ex Iudęo fit Paganus; & etiam quod hæresis sit extensiue magis mala, quia aliquando hæreticus plus errat, quã Iudæus & Paganus, & Iudæus aliquando plus errat quam Paganus.

Addit Soar. necessario in confessione explicandum esse ad quam infidelitatem ex his tribus reducatur peccatum infidelitatis, quod pœnitens confitetur: imò intra eandem infidelitatem hæresis ad quem errorem; quod difficilè iudicamus (nisi quando pœnitens pro diuersitate infidelitatis, & erroris intra eandem speciem egeat diuerso medicamine adhibendo à confessario) quia non distinguuntur specie in ratione vitij, & peccati, etiam si inter errores possit esse distinctio specifica physicè.

DIFFICVLTAS V.

Quid sit Hæresis.

NOMEN *Hæresis*, in sua prima institutione idem fuit quod *electio*, deriuatum à verbo Græco *Hæreome*, quod Latine idem est, quod eligo; & ideo in initio significabat quamlibet opinionem (siue veram, siue falsam) quam quisque in quacumque disciplina eligebat, quæ etiam dicebatur secta, quia eam aliqui sequebantur, qua ratione dicitur *Alia fuisse secta, & hæresim Stoicorum, & aliam Peripateticorum.* Nihilominus apud scriptores Ecclesiasticos, adhuc antiquos ante tempora Apostolorum hæresis accipitur in malam partem pro electione doctrinæ falsæ contra Fidem diuinam: & sic accipitur non absque ratione, quia propriè dicitur eligi proprio arbitrio, quia eligitur spreta reuelatione

diui-

diuina,& ea ratione ſumitur à Paulo 1.ad Corinth.11. dum ait: *Neceſſe eſt hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt manifeſti fiant,*& Actor.24.dum ait: *Secundum ſectam, quam dicunt hæreſim, ſic deſeruio Patri, & Deo meo*: Vbi illa particula, *quam dicunt*, denotat Fidem noſtram non eſſe appellandam hæreſim, quamuis à Iudæis hæreſis appellaretur, quaſi doctrina proprio arbtrio contra Fidem diuinam electa. Et quamuis olim tempore Apoſtolorum doctrina Fidei Chriſtianæ quando ſequi, & ſectari incipiebat, dicebatur ſecta, qua ratione eam appellat Paul. Actor. 24. Iam tamen nomen *ſecta*, in malam partem ſumitur pro doctrina falſa contra Fidem ab aliquibus ſuſcepta,& in ea acceptione hæretici dicuntur ſectarij.

Hoc ergo ſuppoſito ad rem accedendo hæreſis definitur, quod *ſit error pertinax contra Fidem in eo, qui Fidem Chriſti profitetur.* Aliqui addunt *voluntarius*, immerito tamen, quia quamuis, vt ſit peccatum debeat eſſe voluntarius, ſeu liber, non tamen vt ſit infidelitas, quia ſicut etiam ſolus actus intellectus, quo aſſentimur reuelatis eſt credere; ſeu actus Fidei (quamuis vt eliciatur, dependeat à voluntate, abſque eo, quod ratio voluntarij intret rationem ipſius actus credendi, neque connotetur à ratione hac) ita etiam ſolus actus intellectus, quo diſſentimur reuelatis eſt diſcredere, ſeu actus infidelitatis, non inclusa, imò neque connotata ratione voluntarij.

Et in primis hæreſis dicitur: *Quod ſit error contra Fidem* (ſubintellige obiectiuam) quia qui errat iudicando contra id quod Deus dixit, ſi pertinaciter erret, eſt Deo incredulus, & infidelis. Eſt autem hæreſis error contra Fidem diuinam, non tantum contra Catholicam, in quo DD. conueniunt, ſed etiam contra Fidem diuinam priuatam, id eſt, creditam ob reuelationem diuinam alicui priuatim factam, vt contra Cordub. Rodrig. & Lorcam aduertunt Soar. diſput. 19. ſectio. 5. Ægid. diſput. 18. dub. 7. Granado tractat. 15. diſput. 6. ſect. 2. Sanc. lib. 2. capit. 3. & Azor, lib. 8. capit. 9. quæſt. 4. quia etiam error iſte eſt poſitiuè contrarius Fidei diuinę & poſitiua infidelitas, ergo eſt hæreſis, ſi aliàs ſit pertinax, & in profitente Fidem Chriſti, quia tunc non eſt

Iudaiſ-

Iudaismus, neque Paganismus; ob hanc tamen hæresim non incurruntur pœnæ hæreticorum, vt contra Sanc. & Ægid. aduertunt Soar. & Azor, & indicat Granado, quia credi potest Ecclesiam tantum velle punire dictis pœnis hæreticum discedentem à doctrina, quam ipsa proponit, vt à Deo reuelatam, & ab omnibus credendam, & non discedentem à doctrina ipsi soli discredenti priuatim reuelata.

Ita tamen ad hæresim requiritur error in intellectu, vt absque eo errore non sit hæresis, quamuis adsint verba inordinatè prolata, imò & hæretica, quia absque interno errore nulla est incredulitas, seu infidelitas Deo: illud autem vulgare dictũ *ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis* (quod à Magist. in 4. distin. 13. attribuitur Hieronymo & in eo non inuenitur) tantum est verum in hoc sensu, nempe inordinatè loquentem circa materiam Fidei, versari in periculo incidendi in hæresim, iuxta illud Greg. lib. 1. epist. cap. 24. *Incauta loquutio in errorem pertrahit.*

Deinde hæresis dicitur quod sit error, non quicumque, sed pertinax, in quo etiam DD. conueniunt, & deducitur ex Clement. vnica de summ. Trinit. & ex Extrauag. Ioann. 22. *Cum inter*, de verbor. significat. quod etiam tradit August. epist. 162. (cuius verba referuntur in Can. Apostolus 24. q. 3.) & lib. 18. de ciuitate Dei cap. 51. & lib. contra Donatistas cap. 16.

Et id etiam ratione constat, quia ad hæresim requiritur error contra id quod Deus reuelauit, supposita in eo, qui errat notitia reuelationis, aut saltem tali propositione reuelationis, vt nequeat prudenter, seu cordatè, & rationabiliter dubitare Deum id reuelasse, quia ex vna parte hæresis, non est ignorantia, sed positiua incredulitas, reuellio, & infidelitas Deo reuelanti, qua authoritati ipsius irrogatur iniuria; & ex altera parte, qui errat contra Fidem non sciens Deum id reuelasse, aut saltem de reuelatione prudenter, seu rationabiliter dubitans, aut potens sic dubitare, nõ est Deo incredulus, & infidelis, neque authoritati ipsius testificantis iniuriam irrogat, quia tunc errat ignorans reuelationem diuinam, aut de ea rationabiliter dubitans, aut potens rationabiliter dubitare: ergo ad hæresim requiritur error perti-

nax.

nax. Cõsequẽtia probatur, quia errare supposita sciẽtia, aut saltẽ dicta impotentia est pertinaciter errare, quia qui sciens Deum aliquid reuelasse, aut non potens de eo rationabiliter dubitare, sed debens credere id reuelasse. errat, seu discredit, est positiuè pertinax, & Deo testificanti positiuè rebellis, quia discredendo Deo reuelanti aliquid quem scit id reuelasse, positiuè physicè, & expressè resistit Deo reuelanti, & discredendo Deo, quem id reuelasse non potest rationabiliter dubitare, positiuè moraliter, & interpretatiuè resistit, & contradicit ipsi reuelanti; quod autem vt errans contra Fidem sit Deo incredulus, & positiuè rebellis, non solum sufficiat quod in eo sit notitia reuelationis diuinæ, quod est certum, quia habens dictam notitiam est Deo physicè, & expressè incredulus, & rebellis, sed etiam sufficiat, quod ipsi sit ita proposita reuelatio, vt de ipsa nequeat rationabiliter dubitare, quod supponitur in primo antecedenti huius rationis, constat primo ratione iam dicta, quia scilicet qui ita coarctatus dicta propositione reuelationis, vt nequeat rationabiliter dubitare Deum reuelasse, errat (quamuis irrationabiliter iudicet nõ reuelasse) est positiuè rebellis, & contradicens Deo testificanti non physicè, sed moraliter, & interpretatiuè. Secundò idem constat ab absurdo, quia alias nullus nisi adeo stollidus esset Deo infidelis, & rebellis, quia nullus nisi adeo stollidus potest Deo, quem iudicat aliquid reuelasse, discredere.

Pertinatia ergo requisita, vt error contra Fidem sit infidelitas positiua, & in Christiano sit hæresis, est non quod error contra Fidem perseueret pro aliquo tempore, sed quod in ipso errante præsupponatur dicta notitia reuelationis diuinæ, aut dicta impotentia ad rationabiliter dubitandum de reuelatione diuina; quia in vno solo instanti in quo sit error, si sit dicta notitia, aut impotentia, erit positiua infidelitas, & rebellio Deo reuelanti, & si non præsupponatur dicta notitia neque dicta impotentia, quamuis error longo tempore duret, non erit infidelitas positiua; ac proinde neque hæresis in Christiano. Addidimus *reuelationis diuinæ*, quia qui errat contra Fidem, quamuis sciat id circa quod errat teneri ab Ecclesia Romana, vt reuelatum à Deo, dum

non

non perueniat ad notitiam reuelationis diuinæ, aut ad impotentiam rationabiliter dubitandi de ea (vt potest contingere multis educatis, & degentibus inter infideles, & aliquibus, quamuis paucis, educatis, & degentibus inter Fideles) non erit Deo infidelis, nec expresse, nec interpretatiue, ac proinde nullo modo hæreticus.

Ex dictis constat, eum qui supposita dicta notitia, aut impotentia errat contra Fidem, esse infidelem, & si sit Christianus esse hæreticum; & qui errat ignorans inuincibiliter, siue physicè, siue moraliter reuelationem diuinam, non esse infidelem, neque hæreticum, quia hic non est contumax, seu rebellis adhuc moraliter Deo testificanti.

Est tamen difficultas, an qui errat contra Fidem ignorans vincibiliter reuelationem diuinam sit infidelis, & consequenter hæreticus, si sit professione Christianus?

Sotus in 4. distin. 22. q. 2. art. 3. & Lorca disput. 41. partem affirmatiuam tuentur, quam docuisse videtur August. epist. 162. verbis relatis in Canone Apostolus, 24. quæst. 3. dum ait, errantem contra Fidem non esse hæreticum, si solicitè veritatem quærat, sentit ergo etiam esse hæreticum eum, qui errat, quia non adhibet diligentiam ad sciendum, ac proinde eum qui errat ignoranter vincibiliter. Et id ratione probatur, quia infidelitas & hæresis consummatur in errore intellectus sicut homicidium in actione exteriori occidendi, ergo sicut homicidium est verum homicidium, quando est occisio exterior, etiamsi fiat ignoranter vincibiliter, ita etiam erit infidelitas, & hæresis, quando est error cõtra Fidẽ quamuis ignoranter vincibiliter contingat.

Adamus verò q. 3. dub. 5. Vazq. 1. 2. disp. 126. Sanc. lib. 2. cap. 7. Petrus Hurtado disp. 82. sect. 3. & communiter DD. partem negatiuam tradunt, quæ nobis placet cum hac limitatione, nempe si quando est ignorantia vincibilis reuelationis diuinæ, etiam sit potentia rationabiliter dubitandi de ea reuelatione, quia si non possit quis rationabiliter dubitare de reuelatione diuina, quamuis eam vincibiliter ignoret, erit absque dubio positiuè infidelis, seu rebellis saltem moraliter Deo testificanti.

Quod verò ignorans reuelationem diuinam quamuis

vin-

vincibiliter, si aliàs non sit dicta impotentia, non sit Deo infidelis errando probatur, quia qui ignorat quamuis vincibiliter Deum aliquid reuelasse, & ita vt possit cordate, seu rationabiliter dubitare, an Deus id reuelauerit, neq; physicè, neq; moraliter irrogat iniuriam diuino testimonio, quãuis erret, quia verè ignorat Deũ id reuelasse, & potest de eo rationabiliter dubitare. Quod est verum (quidquid dicat Hurtado) etiamsi erret ex ignorantia vincibili antecedente affectata, aut cũ ignorantia vincibili comitante adhuc affectata; quia errans non ex eo, quod sic erret est positiuè rebellis Deo testificanti, quia verè ignorat reuelationem diuinam; & quãuis ex ignorantia affectata orta ex falsa opinione, qua sentit contra auctoritatem Dei, aut Ecclesiæ, error iste non est infidelitas, quia hoc errore non contradicit, seu non est rebellis adhuc moraliter Deo testificanti; verum est, cum qui ex dicta opinione affectat ignorantiam reuelationis diuinæ esse infidelem si supposita dicta notitia reuelationis diuinæ circa auctoritatem, quam Deus habet, aut circa eam, quam habet Ecclesia, aut supposita dicta impotentia rationabiliter dubitandi de reuelatione circa illam, opinetur, seu iudicet contra dictam auctoritatem, non quia errat ex dicta, aut cum dicta ignorantia, sed quia opinatur, seu iudicat modo prædicto, quia ea opinio seu iudicium est error cõtra Fidem.

Addimus eum, qui ignoranter quamuis vincibiliter, & ignorantia affectata erret, etiamsi habeat affectum discredendi, quamuis sciat Deum id reuelasse, non esse infidelem, & hæreticum in effectu, sed tantum in affectu; quia error ille non est infidelitas, sicut etiam peccaret, qui non erraret, si haberet talem affectum; ac proinde existimamus illum non incurrere excommunicationem, neque alias pœnas hæreticorum, quia tantum incurritur in eas ob hæresim, & non ob affectum hæreticum.

Constat ergo ex dictis discrimen inter homicidium, & hæresim, quòd scilicet homicidium ex eo solum est homicidium, quia est illatio mortis, seu occisio absque aliquo alio requisito; hæresis verò præter erroré intellectus requirit dictã notitiã reuelationis, aut dictam impotentiam dubitandi

de

de reuelatione tanquam circunstantiam, quia absque ea notitia, aut impotentia errans non est Deo incredulus, neque rebellis. Vnde infidelitas, & hæresis non consummatur in eo errore absque ea circunstantia; homicidium verò consummatur in occisione, absque alia circunstantia. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

Augustt. verò epistola illa 162. quamuis dicat errantem non esse hæreticum, si solicitè quærat veritatem, non eo ipso significat esse hæreticum si eam non quærat solicitè, quia verè non est hæreticus, quando ignorans adhuc vincibiliter, aut prudenter dubitans Deum reuelasse illam veritatem, errat circa illam; si tamen rationabiliter dubitans, & nõ quærens solicitè veritatem, erret, peccat peccato commissionis contra studiositatem, quæ est pars subiectiua virtutis, temperantiæ, & moderatur affectum sciendi, vt sobriè sciamus iuxta illud Pauli ad Roman. 12. *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.*

Tandem hæresis dicitur quod sit error pertinax, in eo qui Fidem Christi profitetur, quia aliter non distinguitur à Iudaismo, neque à Paganismo, & non solum error pertinax est hæresis, quando est in eo, qui Fidem Christi profitetur actu Fidei diuinæ, sed etiam quando est in eo, qui illam profitetur actu Fidei humanæ, quia qui saltem hac Fide profitetur Christum venisse, vt creditur sub nouo testamento non est Iudæus, neque Paganus, ac proinde est hæreticus, quia est verè infidelis.

Non tamen est necessarium ad hæresim, quod dicta professio Fidei Christi, facta sit media susceptione Baptismi, vt contra Bañez, Aragon, Azor, Toletum, & Sanctum aduertunt Castro lib. 1. de iusta hæreticor. punit. cap. 8. Soar. disp. 19. sect. 5. Becan. cap. 14. q. 2. Ægid. disp. 18. dub. 6. Adamus quæst. 8. dub. 5. Granado tract. 15. disp 6. sect. 2. & Hurtado disp. 82. sect. 2. quia qui profitetur Christum quamuis non Baptizatus, si aliàs sit positiuè Deo infidelis non est Iudæus, neque Paganus, quia credit Christum venisse, vt sub nouo testamento creditur quod non efficit Iudæus, neque Paganus, est ergo hæreticus; quamuis vt cõtra Castro aduertunt communiter DD. nequeat ab Ecclesia puniri, quia non est

Eccle-

Ecclesiæ ſubiectus, neque membrum illius; quia non fit talis niſi ratione Baptiſmi, etiamſi per veram Fidem diuinã Chriſti fiat membrum ipsius Chriſti ante Baptiſmum, & ſaluari poſsit extra Ecclesiã re ipſa exiſtens, ſi voto sit intra eam.

Addimus cum qui Fidem diuinam habuit, siue baptizatum, siue non baptizatum, si verè eam non retineat, ſaltem quoad aliquid, vt habetur ex nouo teſtamẽto, ſed eam in toto neget, vt ex nouo teſtamento non eſſe hæreticum, ſed Iudæum, aut Paganum, vt contra Bañez, & alios aduertunt Ægid. vbi ſupra, & Lorca diſp. 38. quia iſte in nullo profiteretur Fidem diuinam, vt ex nouo teſtamento adhuc actu Fidei humanæ; poterit tamen qui baptizatus eſt, ab Ecclesia puniri, quia ratione Baptiſmi factus fuit, & mansit ſubditus Ecclesiæ, imò & pœnis hæreticorum, vt conſtat ex cap contra Chriſtianos, de hæreticis in 6. & ex praxi Ecclesiæ.

Hæresis ergo à qua quis dicitur, & eſt hæreticus: *Eſt error pertinax contra Fidem in eo, qui eam profitetur, vt ſub nouo teſtamento*: quod non tollit dubitationem negatiuam pertinacem circa Fidem in eo, qui profitetur Fidem Chriſti, vt ſub nouo teſtamento etiam eſſe hæresim moraliter, quamuis nõ ſit hæresis physicè, cui ſoli conuenit adducta definitio hæresis. De delatione peccati hæresis ad Tribunal ſanctæ Inquisitionis dicimus tract. de Charit. diſput. 6. diffic. 12.

DIFFICVLTAS VI.

Quæ ſint cenſuræ, & qui gradus propoſitionum, quæ aliquo modo opponuntur Fidei?

QVIA Propositiones, quæ opponuntur Fidei diuinæ obiectiuæ (id eſt, rei creditæ Fide diuina) non eodem modo, ſed varijs modis opponuntur; ideo ſunt varij gradus, quibus variæ propositiones magis, aut minus opponuntur Fidei, & ſunt varia nomina, quibus earum modi, & gradus oppositionis ſignificantur, & qualificãtur, & cenſurantur; quia alia eſt, & dicitur hæretica, alia erronea, ſeu proxima hæresi, alia ſapiens hæresim, ſeu ſuspecta, alia male ſo-

nans, alia pias aures offendens, alia temeraria, quorum graduum & nominum mentio fit in Concilio Constantiensi sess. 8. in qua dānatur Wicleph. & sess. 15. in qua damnatur Ioan. Hus. & in Bulla Pij V. & Gregorij XIII. contra Michaelem Baium edita; in eorum tamen graduum & nominum explicatione non multum curabimus aliena placita recensere, quia non est magni momenti.

In primis ergo illa propositio dicitur, & est hæretica, quæ immediatè, & directè opponitur Fidei obiectiuæ, seu propositioni à Deo reuelatæ, siue expressè, vt hæc propositio: *Christus non est Deus*: siue confuse, vt hæc propositio: *Hic puer descēdens ex Adam non contraxit peccatum originale*: quia eo ipso illa propositio, quantum est ex se, est obiectum sufficiens hæresis, seu assensus hæretici: & quamuis error immediatè, & directè oppositus Fidei obiectiuæ non sit hæresis, nisi sit pertinax, & in professente Christum, vt ex nouo testamento, nihilominus propositio circa quam est dictus error est, & dicitur hæritica absque respectu ad actualem pertinaciam, & ad personam professentem Christum modo prædicto, vt contra Caiet. q. 11. art. 1. & contra Bañez, & Arag. art. 2. & contra Valent. puncto 1. aduertunt Adrian. in 4. q. 1. de confessione, Castro lib. 1. cap. 1. Soar. disp. 19. sect. 2. & Granad tract. 15. disp. 4. quia vt propositio sit, & dicatur hæretica, absque fundamento alied requiritur quam quod quantum est ex ipsa sit obiectum sufficiens assensus hæretici: imò contra rationem amplius requiritur, quia propositio tantum deseruit assensui hæretico tanquam obiectū: ergo vt sit, & dicatur hæretica sufficit quod sit obiectum sufficiens assensus hæretici: Propositio autem quæ immediatè, & directè opponitur propositioni à Deo reuelatæ quantum est ex se, & quod ad ipsam attinet est sufficiens obiectum assensus hæretici, quamuis ad hunc etiam requiratur pertinacia, & ideo ad examinandum in foro exteriori, an quis sit hæreticus, prius examinatur, an propositio ipsius sit hæretica, & posteà an eam pertinaciter iudicauerit, & protulerit, & quia propositio vt sit, & dicatur hæretica vt condistinguitur à Iudaica, & à Pagana, necessarium est quod sit obiectum sufficiens erroris contra Fidem in professente Christum, vt ex nouo testamento; ideo propo-

sitio

ſitio illa, quæ ſecum non patitur profeſsionem Chriſti dicto modo crediti non eſt hæretica, ſed Iudaica ſi non admittit ſecum Fidem Chriſti venturi, vt ex nouo teſtamento crediti, vel Pagana ſi ſecum non admittit Fidem Chriſti ex aliquo teſtamento ex duobus.

Secundò, illa propoſitio eſt, & dicitur erronea peculiariter (& eſt minus oppoſita Fidei, quàm hæretica, quia non opponitur immediatè, & directè propoſitioni in ſe ipſa reuelatæ) quæ opponitur propoſitioni Theologicæ, id eſt, propoſitioni, quæ infertur euidenter, vel ex duabus propoſitionibus de Fide (vt hæc propoſitio: *Chriſtus non eſt immenſus*: quia opponitur huic propoſitioni Chriſtus eſt immẽſus, quæ infertur ex hac Deus eſt immẽſus, & ex hac Chriſtus eſt Deus) vel ex vna de Fide, & ex altera euidèter nota, vt hęc propoſitio, Chriſtus nõ eſt riſibilis, quia propoſitio Theologica ſicut nõ eſt de Fide, quia non eſt immediatè, & in ſe ipſa reuelata, ſed eſt proxima illi; ita etiam propoſitio oppoſita propoſitioni Theologicæ, non eſt hæretica, ſed eſt proxima hæreticæ, ob quod dicitur erronea ab errore, qui eſt quaſi genus ad hæresim, & retinet nomen ipſum generis, quod ſolet ſpeciebus imperfectioribus contingere. Vnde propoſitio peculiariter erronea tantum opponitur Fidei modo dicto: & quia propoſitio erronea eſt proxima propoſitioni hæreticæ, etiam dici poteſt proxima hęresi, ſumpta hæresi pro ſuo obiecto, nempẽ propoſitione obiectiua hæretica, ſicut etiã Fides ſolet pro ſuo obiecto ſumi; quę etiam dici poteſt ſuſpecta de hæreſi, quia qui negat propoſitionem euidenter illatam ex duabus de Fide, potius præſumitur negare ipſas propoſitiones de Fide, vtpote obſcuras, quam illationem, ſeu conſequentiam, vtpote euidentem; & qui negat propoſitionem euidenter illatam ex vna de Fide, & ex altera euidéter nota, potius præſumitur negare propoſitionem de Fide obſcuram, quam alteram propoſitionem euidentem, aut illationem euidentem, & ob eandem rationem etiam dici poteſt ſapiens hæreſim; & etiam dici poteſt periculoſa in Fide, quia quando propoſitio Theologica negatur eſt periculum diſſentiendi præmiſsis, quarum vtraque, vel ſaltem vna eſt de Fide.

Tertiò propositio illa est peculiariter sapiens hæresim (& etiam est minus opposita Fidei, quam erronea, quia non opponitur directè, & immediatè propositioni Fidei, neque propositioni Theologicæ) quæ videtur supponere errorem in Fide, seu ex eo nasci, & attentis aliquibus circunstantijs prudenter iudicatur oriri ex errore in Fide ipsius proferētis, & ideo dicitur sapere hæresim, quia scilicet videtur supponere errorē in Fide, & prudēter iudicatur ex eo oriri. Et hæc eadē propositio etiam peculiariter dicitur suspecta de Fide, quia scilicet proferētē efficit suspectū de Fide, & eadē proportione qua reperitur propositio sapiēs hæresim, et ā reperitur propositio sapiēs errorē, & propositio sapiēs temeritatē & etiā reperiūtur propositiones sapiētes alias cēsuras, seu gradus.

Quartò illa propositio est, & dicitur male sonans (& est minus opposita Fidei, quam sapiens hæresim) quæ potest habere sensum, & hæreticum & verum; hæreticus tamen est magis vsitatus, vel saltem non est minus. Propositio verò piarum aurium offensiua supra propositionem male sonantem videtur addere, quod sit circa materiam pertinentem ad pietatē, seu reuerentiam Dei, vel sanctorū, id est, quando dicitur aliquid indignum Deo, vel sanctis.

Quintò illa propositio est, & peculiariter dicitur temeraria (& est minus opposita Fidei, quam male sonans) quæ in materia aliquomodo ad Fidem pertinente, absque graui aliquo fundamento, vel rationis, vel testimonij, est contra torrentem, seu communem DD. applausum.

Sextò, illa propositio est, & dicitur scandalosa, quę in materia Fidei, vel aliquomodo ad Fidē pertinēte, est occasio ruinæ spiritualis in alijs: & illa est, & dicitur seditiosa, quæ in ea materia est occasio sēditionis schismatis. Et illa est, & dicitur blasphema, quæ blasphemiā cōtra Deū cōtinet. Istæ tamē vltimæ tres censuræ & gradus possunt conuenire: imò nō raro conueniunt propositioni habenti aliquē alium gradum ex supradictis; imò plures ex supradictis possunt simul eidē propositioni conuenire; quia propositio peculiariter hæretica, etiam est generaliter erronea, & potest esse temeraria, & propositio quæ est peculiariter erronea, etiam potest esse generaliter temeraria, & sic de alijs.

Obser-

Obseruandum est eum, qui culpabiliter deficit aliquo gradu ex dictis circa propositiones non hæreticas, peccare non peccato infidelitatis, quia non contradicit Deo proximè reuelanti, sicut etiam difficultate præcedenti diximus de errante culpabiliter circa propositiones hæreticas, quando in errante est ignorantia reuelationis, aut potest de ea rationabiliter dubitare: sed peccato curiositatis contra studiositatem.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm communicatio cum infidelibus in humano conuictu sit licita?

SVPPONIMVS Primò non esse licitum cum infidelibus communicare in operibus & rebus ad cultum infidelitatis directè pertinentibus, vt patet; esse tamen licitum, si absit scandalum, & periculum propriæ peruersionis, sacris infidelium interesse, nisi in locis, in quibus aut ex consuetudine, aut ex lege id sit signum protestatiuum infidelitatis iuxta ea quæ diximus disp. 9. diffi. 10.

Supponimus secundò, non esse licitum infideles nõ baptizatos ad Sacramenta admittere, excepto Baptismo, quia sunt incapaces illorum; imò contractum matrimonij cum illis est nullum, & cum infidelibus baptizatis est illicitum; neque esse licitum eos admittere, vt intersint sacrificio Missæ, vt constat ex Can. Episcopus de consecr. dist. 1. vbi eis permittitur, vt intersint parti Missæ, nempè, vsque offertorium exclusiuè; quæ ob id dicitur Missa Cathecumenorum, vnde multo magis eis permittitur, vt intersint concioni, quia est minus sacra, & id nullibi prohibetur.

Est ergo difficultas, an communicatio cum infidelibus in rebus ciuilibus, & politicis, seu in conuictu humano sit licita?

Circa quam conueniunt DD. talem communicationem per se esse licitam, imò & lectionem librorum ipsorum, qui non sunt baptizati, quia id nullo iure, neque naturali, neque diuino, neq; humano prohibitũ est: vnde secluso scandalo, &

propriæ peruersionis periculo fidelis baptizatus potest cum illis in dictis rebus communicare, & ipsorum libros legere; sed an liceat legere libros hæreticorum, dicemus diffic. 12.

Nihilominus iure Ecclesiastico specialiter prohibitum est baptizatis fieri seruos Iudæorum; & etiam eis diuturne famulari, in cap. 8. & vlt. de Iudæis: sed non est vniuersaliter prohibita familiaritas, vt aduertit Ægid. disp. 18. dub. 11. & in cap. 5. prohibita est cohabitatio cum eis, & etiam cohabitatio cum Sarracenis, & à Greg. XIII. in constit. 28. ipsius, quæ incipit, *Aliàs piæ memoriæ*, prohibitū est vti medico Iudæo, aut Pagano, aut Sarraceno, excusat tamē grauis necessitas, & in cap. 16. de Iudæis prohibitū est conferre Iudęis, & Paganis officia publica circa Christianos; & Christianis ipsis prohibitum est cōmunicare cum illis sic præfectis, donec dimittant officium & acquisita per officiū distribuant in pauperes Christianos, & in cap. 5 & 6. de hæreticis prohibitum est Clericis aliquid legare, aut conferre non Catholicis, quāuis consanguineis, & in l. 1. Cod. de Iudæis decernitur inualidum esse legatum vniuersitati Iudæorum factum: & quamuis non desint qui dicant illicitum esse baptizatis Iudæos ad conuiuia inuitare, & ad eorum conuiuia ire. Nihilominus, quia id tantum est prohibitum à Concilio Agathensi Can. 4. quod fuit particulare; ideo existimamus id non esse illicitū, nisi vbi ea prohibitio recepta sit: & quamuis in Can. nullus 28. q. 1. prohibitum sit vesci Azimis Iudæorum, & etiam cū eis in balneo lauari. Nihilominus hæc duo non sunt illicita, quia eorum prohibitio tātum fuit facta à Concilio Trullano Can. 11. quod nullam habuit auctoritatem, quia non fuit legitime congregatū, sed factū priuata auctoritate ex nonnullis Episcopis post finitam 6. Synodum generalem: & quamuis in Can. sæpé 28. q. 1. prohibeatur Hebræis ad Fidem cōuersis communicatio cum alijs Iudæis non conuersis, quia tamen solum est prohibita à Concilio Toletano 4. cap. 61. quod tantum fuit Prouinciale, ideo non est illicita, nisi vbi ea prohibitio fuerit recepta. Et idem ob eandem rationem dicendum est de alijs prohibitionibus, quibus prohibetur communicare cum infidelibus quoad aliqua particularia in dicto Concilio Tolet. 4. & in 5. & in 10. & in dicto Concilio

Aga-

Agatensi, & in Concilio Matisconensi 1. & in Aurelianensi 3. & in Veneto, quia scilicet Prouincialia sunt.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm licitum sit compellere infideles ad suscipiendam Fidem?

CONVENIVNT Theologi infideles baptizatos, vtpotè ratione Baptismi specialiter subditos Ecclesiæ posse ab ipsa terroribus, & malis inflictis ad suscipiendam Fidem compelli.

Est tamen difficultas, an licitum sit compellere infideles non baptizatos ad Fidem suscipiendam?

Maior in 2. dist. 44. docet licitum esse ad id compellere infideles non baptizatos, quamuis non subditos temporaliter Principibus Christianis: quia isti infideles iure diuino Christi tenentur Fidem suscipere, ergo ad id cogi possunt ab Ecclesia, cui incumbit prospicere obseruationi præceptorũ Christi. Imò eam potestatem videtur Christus specialiter cõcessisse, Luc. 14. dũ ait: *Cõpelle eos intrare*, subintelligit ad Ecclesiã, vt exponunt Chrysost. hom. 14. & Greg. hom. 39. in Euang.

Id tamen Scot. in 4. dist. 4. q. vlt. & Gabr. q. 2. dub. 5. limitant, vt tantũ sit verum de infidelibus temporaliter subditis Principibus Christianis, quod confirmari potest exẽplo Ferdinãdi Regis Hispaniæ, qui ad id cõpulit Iudæos & Mauros sibi subditos expellendo ex Hispania eos, qui nolebãt ad Fidem conuerti.

S. Th. verò q. 10. art. 8. & communiter Theologi docent illicitũ esse cogere infideles nõ baptizatos ad suscipiendã Fidem, quamuis tẽporaliter subditos Principibus Christianis. Quod in c. Maiores de baptismo absolutè dicitur esse contrarium Religioni Christianæ.

Et id ratione cõstat; quia coactio, seu cõpulsio hæc nequit licitè fieri, absq; potestate, seu iurisdictione, vt ex se patet. In Ecclesia autẽ nõ est potestas, seu iurisdictio in prædictos, & multo minus in Principibus Christianis, adhuc in sibi tẽporaliter subditos, ergo cõsequẽtia patet, minor autẽ probatur

& in primis, quod in Ecclesia non sit ea iurisdictio expressa Paulus 1. ad Corinth. 5 dum ait: *Quid mihi de his qui foris sunt? nam eos Deus iudicabit*: quod ex hoc testimonio supponit Innocen. III. in cap. *gaudemus*, de diuortijs, & Trident. sess. 14. cap. 2. Deinde quod non sit in Principibus Christianis, adhuc erga sibi temporaliter subditos probatur, quia potestas, seu iurisdictio ciuilis, & politica, qualis sola est in Principibus Christianis, vt potè immediatè concessa à Republica, quæ tantum est naturalis, nequit esse ad Fidem, quæ est supernaturalis, & non constat iuri ne ipsò naturali, sed tantum reuelatione diuina; & ideo Ecclesia nunquam id persuasit Principibus Christianis; imò id specialiter prohibuit respectu Iudæorum in cap. sicut Iudæi, de Iudæis, & in Can. de Iudæis distin. 45. in Concilio Toletano 4. cap. 56.

Nihilominus licitum est Principibus Christianis dictos infideles malis inflictis ad id cogere non directè, seu solo titulo eos inducendi ad suscipiendam Fidem, sed indirectè, vel infligendo, videlicet illis mala, quæ possunt infligere alijs titulis iustis, vel eos priuando bonis, quibus possunt eos alijs titulis priuare, intentione eos inducendi ad suscipiendam Fidem, quia quæ quis aliàs potest absolutè facere, optime potest ordinare in finem honestum, qualis est susceptio Fidei.

Ad rationem ergo pro Maiore adductam, negamus in Ecclesia essè potestatem cogendi non baptizatos ad obseruationem præcepti diuini Christi suscipiendi Fidem, quo verè tenentur, & multo minus in Principibus Christianis, adhuc erga sibi temporaliter subditos. Per illos verò quos Christus Luc. 14 præcepit compelli intrare ad cœnam, vel intelliguntur hæretici baptizati, vt vult Aug. epist. 50. qui pœnis compellendi sunt ad Ecclesiam intrare; vel intelligũtur infideles non baptizati prædestinati, vt vult Chrysost. qui in fine mundi compellendi sunt intrare ad Ecclesiam non coactione pœnæ, sed magnitudine miraculorum, & efficacia prædicationis.

Et ad exemplum Ferdinandi pro Scoto, & Gabriele adductum respondemus, eum nõ coegisse Iudæos, & Mauros

dire-

directè pœnis neque alius mali inflictione solo titulo eos inducendi ad Fidem, sed indirectè expellendo ex Hispania eos qui nolent conuerti, quod aliàs facere poterat iusto titulo, nempe ad vitandam occasionem perturbationis Reipublicæ, quæ prudenter timebatur, si illi in infidelitate perseuerantes cohabitarent cum baptizatis.

Quia ergo non baptizati non possunt directè cogi ad susciendam Fidem neque ab Ecclesia, neque à Principibus Christianis ex defectu iurisdictionis in eos ad id; ideo neque cogi possunt directè ad audiendam prædicationem Fidei; quia prædicatio Fidei tantum ordinatur, vt audientes eam suscipiant; quando autem coactio ad finem non est licita, neque est licita coactio ad medium, quod non habet aliam vtilitatem, nisi ad illum finem: & quia cogi possunt indirectè ad susciendam Fidem; ideo etiam cogi possunt indirectè ad audiendam Fidem, & hoc modo Romæ coguntur Iudæi ad audiendam illam, negãdo illis habitare inter Christianos si non audiant, vel si non soluant certam pensionem pecuniæ pro fractione pacti audiendi, ad quod se obligant ex pacto pro licentia habitandi Romæ.

Quod si contra nostram sententiam obijcias, in Ecclesia est ius iustitiæ ad propagandam Fidem, & eam prædicandã etiam non baptizatis, ergo in eis est obligatio iustitiæ audiendi illam ex aduerso correspondens iuri iustitiæ, quod est in Ecclesia, ergo cogi possunt ab Ecclesia, vt satisfaciãt obligationi, qua ex iustitia obligati sunt Ecclesiæ, ac proinde, vt audiant prædicationem Fidei. Respondemus concedendo in Ecclesia esse ius iustitiæ ad propagandam Fidem, & eam prædicandam etiam non baptizatis, sed non contra illos, vt audiant, sed contra reliquos ne impediant prædicationem, si sint infideles, qui velint audire. Et etiam in ipsis infidelibus est ius iustitiæ contra reliquos, vt non impediantur audire Fidem, & vt prædicatores prædicare volentes non impediãtur. Est autem prædictum ius iustitiæ in Ecclesia ad propagandam, & prædicandam Fidẽ concessum à Christo, Matth. 24. *Prædicate hoc Euangelium in vniuerso Orbe*, & cap. vlt. *Euntes docete omnes gentes.* Et Marc. vlt. *Prædicate Euangelium omni creaturæ*: quod ius proportionabiliter conueni-

t Patto-

Pastoribus Ecclesiæ, Papæ videlicet pro toto Orbe, & cuilibet alij Episcopo pro suo territorio Episcopali, & cuilibet Parocho pro suo Parochiali, cum subordinatione tamen Parochorum ad Episcopum, & ad Papam, & Episcoporum ad Papam. Imò supposito quod est Fides diuina; non solis Pastoribus Ecclesiæ, sed etiam cuilibet particulari ex natura rei conuenit ius iustitiæ, vt non impediatur instruere adhuc infideles, si instruivelint; & in quolibet adhuc infideli est ius iustitiæ ex natura rei, vt nō impediatur instrui, quia quilibet ex natura rei habet ius iustitiæ, quamuis superioribus subordinatum, vt non impediatur ab opere honesto, quale est alios instruere, & ab alijs instrui.

Pontifex ergo potest infideles compellere, vt prædicationem Euangelij non impediant, si sint qui velint audire, & si necessarium fuerit, bello ad id compellere, quia ex vna parte habet ius iustit æ ad id, & ex altera est supremus Ecclesiæ Princeps; & quia moraliter est certum in Prouincijs infidelium non defuturos, qui audire velint; ideo quando oppositum non constat, potest in eorum Prouincias prædicatores introducere adhuc bello, imò exercitum cum prædicatoribus mittere ad eorum securitatem, quando prudenter timeatur infidelis male tractaturos prædicatores, quando alia suaui via nequeat securitas haberi; potest etiam iniurias prædicatoribus factas vlcisci; imò & cōmittere potestatem cui voluerit, faciendi omnia prædicta.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrum licitum sit cogere infideles, vt suos ritus deserant?

CONVENIVNT DD. infideles non baptizatos non posse inflictione mali cogi ad deserendos ritus oppositos tantum rebus, aut veritatibus, sola reuelatione diuina constantibus, non solum à Principibus sibi temporaliter superioribus, quia quoad has res, & veritates, quibus ritus illi opponuntur, non sunt illis subditi, sed tantum quoad res lumine naturali constantes, sed neque ab Ecclesia, quia hæc

non

non habet iurisdictionem aliquam in illos, vtpotè non baptizatos, neq; habet aliquod ius iustitiæ, vt ritus illi non fiant (sicut habet vt non impediatur prædicatio Euangelij) quia talis iuris nullum est fundamentum.

Est tamen difficultas an licitum sit illos cogere, vt deserant ritus oppositos rebus lumine naturali constantibus, id est, peccata oppositavirtutibus moralibus, vt idololatriam, & blasphemiam virtuti Religionis oppositas?

Circa quam DD. conueniunt Principes Christianos posse non baptizatos sibi temporaliter subditos cogere, vt deserant ritus virtutibus moralibus oppositos, non solum virtuti Religionis, sed cuicumque alij virtuti morali, vt furtū, vsuram, simplicem fornicationem, peccatum nefandum, & alia, quia continere subditos intra terminos legis, seu rationis naturalis non excedit iurisdictionem ciuilem, seu temporalem, vtpotè ordinatam ad continendam Rempublicam in iustitia, & in pace; quod nequit conuenienter obtineri, nisi Respublica viuat secundum virtutem moralem.

Prædicti ergo Principes possunt ad id cogere suos subditos non baptizatos non minus quàm baptizatos; & non minus quàm Principes non baptizati id possunt circa suos subditos baptizatos, & non baptizatos. Quod si omnes prædicti possunt suos subditos cogere, vt ritus & peccata virtutibus moralibus opposita deserant, ad id tenentur, vt officiū superioris fideliter exerceant, nisi ad id permittendum seu tolerandum adsit aliqua rationabilis causa; vt verè erit quādo ex coactione timeatur Reipublicæ turbatio, aut quando ex permissione proueniat, vel speretur vtilitas aliqua, siue tēporalis fidelibus, siue spiritualis fidelibus, aut infidelibus, vt speratur ex tolerantia rituum Iudæorum, in quibus figura Christianæ Religionis cōtinetur, & ex tolerantia librorū Iudæorū, qui simplicē expositionē veteris testamēti cōtinēt.

Punctum ergo difficultatis in eo est, an Ecclesia & Principes Christiani possint cogere non baptizatos non sibi tēporaliter subditos, vt dictos ritus, & peccata deserant?

Maior in 2. dist. 44. q. 3. Panormit. & Hostiensis in cap. quod super his de voto, Aluarus Pelagius de planctu Ecclesiæ lib. 1. art. 37. & Sepulueda docent posse ad id cogere præ-

dictos,

dictos, etiam quando non sunt corrigendi, & posse eos suis Regnis bello priuare(quod à Papa,& ab alijs auctoritate ipsius fieri posse docent Antonin.3.p.tit.22.& Syluest.verbo, *Papa* q.7.)quod probari videtur, quia vnus homo potest licitè defendere honorem, & vitam alterius, ergo multo melius honorem Dei,qui idololatria,& blasphemia,& alijs peccatis Religioni oppositis, & suo modo alijs peccatis reliquis virtutibus moralibus oppositis læditur.

Caietan.verò 2.2.q.*66*.art.8.Valen.q.10.punt.7.Soar. disp.18.sect.4 Ægid.disp.18.dub.12.Adamus q.9. dub. 2. Granado tract.15.disp.7.sect.3.& communiter DD.docent non posse ad id cogere,& meritò;quia coactio per inflictionem mali nequit fieri nisi à superiore habente iurisdictionẽ: & si aliquando etiam à non superiore, tunc solum, quando videlicet sibi,aut alteri ab ipsò remedium cupienti, quia ille alter non potest se ipsum defendere, fit aliqua iniustitia, vt hæc impediatur,vel vt huic iam factæ satisfiat, & quãdo deficit superior,qui id possit,& velit impedire: Ecclesia autẽ, & alij Principes Christiani non sunt superiores dictorum non baptizatorum, & in violatione legis naturalis non semper fit ipsis, neque alijs iniustitia aliqua, & Deo nunquam adhuc peccato blasphemiæ, quia nullo peccato adhuc Religioni opposito, quo diuinus honor læditur, Deus verè damnificatur, & quamuis verè damnificaretur, non possunt sic lædentes, & offendentes à Principibus prædictis compelli,vt desistant; quia Deus ipse potest omnes iniurias sibi factas punire,& iniuriantes reprimere, & seipsum ab illis defendere.& si aliquando violatione legis naturalis fit aliquibus iniustitia,ipsi iniuriantes habentsuperiores,qui possunt & volunt eos impedire ab inferendo iniustitiam,& à continuando illam; & si superiores non possunt, aut nolunt, illi qui iniuriati sunt non cupiunt ab Ecclesia,neque à Principibus Christianis defendi. Nihilominus si aliquando cupiunt (quod rarissimè eueniet) tunc Ecclesia, & Principes Christiani poterunt iniuriantes comprimere, & cogere, vt non violent iustitiam contra sic cupientes auxilium ab ipsis: sicut quando Ecclesiæ,& Principibus Christianis fit aliqua iniustitia,aut fieri intenditur à non sibi subditis, possunt eos

com-

compellere, & cogere, vt eam non inferant, & vt iam factæ satisfaciant, quando superiores iniuriantium, non possunt, aut nolunt: Ecclesia ergo & Principes Christiani nequeunt cogere nō baptizatos sibi non subditos, vt deserant ritus, & peccata virtutibus moralibus opposita, nisi peccatum iniustitiæ, & hoc rarissime, solum in ea sua dicto.

Obseruandum tamen est non baptizatos non subditos Ecclesiæ, neque Principibus Christianis, posse ab Ecclesia cogi ad deserendos ritus in opprobrium Christianismi cedentes, ratione iuris quod habet ad propagandum Christianismum, ratione cuius potest prædictos compellere, ne propagationem illius suis ritibus impediant neque retardent. Vnde libri Iudæorum quamuis non subditorum scripti à Rabinis contra Christum, & eius Religionem comburi possunt; imò comburendi sunt, nisi aliàs sit rationabilis causa eos permittendi iuxta prædicta.

Ex dictis constat non esse licitum Ecclesiæ, neque Principibus Christianis vi occupare Prouintias infidelium non baptizatorum, ex eo solum quod peccent peccato omissionis, & commissionis contra Fidem diuinam, neq; ex eo quòd peccent contra legem naturalem, dum opprobrijs, aut aliter non sint Christianismo iniurioſi, neque iniusti contra aliquos, qui eorum auxilio egeant, & cupiant ab ipsis defendi.

DIFFICVLTAS X.

Vtrum non Baptizati, præcisè quia infideles sunt, possint ab Ecclesia priuari dominio, quod in Baptizatos habent?

BAñez, Aragon, & Lorca quæst. 10. artic. 10. & Valentia, puncto 8. partem affirmatiuam tuentur, quam indicare videntur Paul. 1. ad Corinth. 6. dum reprehēdit fideles, quod ad tribunal iudicum infidelium vocent alios fideles. Et ratione probari potest, quia indecens est, & indecorum Fidei,

fide-

fidelem esse subditum iurisdictioni infidelis, & multo magis esse mancipium illius, ergo Ecclesia cui incumbit prospicere Fidei, & Christianismo, potest infidelem, quamuis non sibi subditum adhuc temporaliter, vtroque dicto domino, politico videlicet, & despotico; in baptizatos priuare: sicut etiam Princeps temporalis, quia ei incumbit prospicere bono communi Reipublicæ, potest non sibi subditum bonis priuare, quando id expedit bono communi.

Durandus verò in 2. dist. 44. q. 3. art. 2. Bellarm. lib. 5. de Pontific. cap. 7. Soar. disp. 18. sect. 5. Aegid. disput. 18. dub. 10. & Granad. tract 15. disput. 9. partem negatiuam tradũt, & meritò; quia Ecclesia nullam habet iurisdictionem, seu superioritatem in dictos infideles, quia non Ecclesiasticam, seu spiritualem, quia non sunt baptizati; neque ciuilem, vt supponimus; ergo si aliás dicti infideles non sint iniurioſi baptizatis quoad Christianismum, neque quoad alia, nequeunt solo titulo infidelitatis ab Ecclesia, & multo minus à Principibus ciuilibus priuari dominio aliquo in baptizatos.

Nihilominus si nõ baptizati iniurioſi sint baptizatis quoad Christianismum, aut id prudenter timeatur, potest Ecclesia eos priuare vtroque dicto dominio in baptizatos; & quia Ecclesia id prudẽter præsumit, de facto priuauit Iudæos, & Sarracenos, & Paganos temporaliter subditos ipsi Ecclesiæ, aut Principibus Christianis vtroq; dominio in baptizatos; non verò priuauit non baptizatos non subditos temporaliter Ecclesiæ, neque Principibus Christianis ob vitandum scandalũ, quod esse posset ob difficultatem executionis dictæ priuationis in illis. Nihilominus quia regulariter sunt iniurioſi Christianismo in seruis Christianis quos habent; ideo quando oppositum non constat, serui ipsorum possunt fugere ex cõ sensu saltẽ interpretatiuo Ecclesiæ, cui incumbit prospicere Christianismo; imo etiam quando in suis personis iniuriam patiuntur ab ipsis dominis quamuis nõ quoad Christianismũ, sed quoad alia, aut eam prudenter timent, vt timeri potest, & non sperant commode defensionem ab aliquo, a quo possint licitè, etiam possunt fugere.

Paulus ergo non reprehendit tanquã illicitũ, sed tanquã indecens seu indecorum Christianismo adducere baptiza-

tum

tum ad tribunal infidelis; imò tunc solùm, quando adduci potest ad tribunal fidelis.

Et ad rationẽ concedimus indecens, seu indecorũ esse fidei, baptizatum esse mancipium, imò & vassallum, seu subditum ciuiliter infidelis; hæc tamen indecentia non sufficit absq; iniuria aliqua contra fidẽ, aut absque prudente timore illius, vt Ecclesia possit dictos infideles dominio in baptizatos priuare, sicut neque Princeps ciuilis potest, vt prospiciat bono cõmuni Reipublicæ priuare eos, qui sibi nõ sunt subditi, nisi quando bono communi suæ Reipublicæ sunt iniurioſi.

DIFFICVLTAS XI.

Vtrum licitum sit de rebus fidei cum infidelibus disputare?

CONueniunt DD. disputare de rebus fidei cũ infidelibus adhuc hæreticis esse ex suo obiecto licitũ, & laudabile, quod supponit Paul. ad Tit. 1. *vt possit eos, qui contradicunt arguere*, & id fecit Christus cũ Phariſæis Ioã. 8. & Stephanus cũ Iudæis Act. 6. & 7. & Paul. cũ Iudæis & Græcis Act. 9. Id quoque fecerunt cũ hæreticis Auguſt. Hieron. & plures alij Patres, & Conciliũ Nicenũ 1. & 2. & Conſtantinopolitanũ 3 & Florent. Ratio huius doctrinæ est, quia disputatio cũ infidelibus adhuc cũ hæreticis de rebus fidei, neq; est prohibita iure naturali, quia facta ex bono fine, & cũ alijs debitis circũſtantijs est vtilis ad confirmationem fidei, & nullatenus est nociua, neque est prohibita iure aliquo positiuo, quia de eo nõ constat, ergo ex suo obiecto est licita, imò & laudabilis.

Nihilominus quamuis disputare cũ infidelibus adhuc hæreticis ex suo obiecto licitũ sit, tamen ex circunſtantijs, & non paucis potest esse illicitum: quia primò est illicitum iure naturali aliquem disputare, quia dubitat de rebus fidei, ſi ipſi aliãs sint sufficienter propoſitæ, quia ſi non sint, vt quando disputans est infidelis, & intẽdit de rebus fidei inquirere, vt prudẽter credat, licita est illi disputatio. Secũdò, disputare adhuc priuatim de rebus fidei est iure Eccleſiaſtico prohibitũ

perſo-

personæ laicæ in cap. *Quicumque* 2. de hæreticis in 6. imò sub pœna excommunicationis non latæ, sed ferendæ; prohibetur autem in eo cap. disputare formaliter, id est, quando inter disputantes est contrarietas sententiarum circa rem Fidei, vt alter alteri suam sententiam persuadeat, qualis est disputatio inter Catholicum, & infidelem, & non materialiter gratia exercitij, vt quando disputatio est inter Catholicos; ac proinde solum est prohibitum disputare de re Fidei cum eo, qui in ea re est, infidelis, & id prohibetur personæ laicæ, id est, non gaudenti priuilegio clericali, im personæ Religiosæ non destinatæ ad studia, sed ad opera domestica. est autem id illicitum laico quamuis docto, vt contra Caietan. & Bañez quæst. 10. art. 7. & contra Ledesmam, & Granado aduertût Soar. disp. 20. sect. 1. Sanc. lib. 2. cap. 6. Ægid. disp. 18 dub. 9. Becanus cap. 15. q. 7. & communiter DD. quia quamuis laicus disputans sit doctus, non cessat ratio, in qua lex id prohibens fundatur nempè præsumptio, qua præsumitur laicos regulariter, non esse doctos, & sufficientes, quod est verum, & subsistit quamuis sint aliqui laici docti. Dicta tamē prohibito respectu docti cessat, quando vrget necessitas aliqua, aut magna aliqua vtilitas, vt contingit quando est aliquis hæreticus Catholicos peruertens, & non est nisi laicus alias sufficiens, qui possit tali hæretico resistere; quia tunc obseruatio illius legis, seu prohibitionis est nociua, quia est contra bonum Fidei, & proximorum. Imò addunt Valent. disp. 1. quæst. 10. puncto 4. Adamus quæst. 9. dub. 5. Sancius, & Becanus dictam prohibitionem cessasse contraria consuetudine in prouintijs vbi Catholici, & hæretici simul, & mixtim habitant.

Tertiò disputare de rebus Fidei cum quibuscumque infidelibus est iure, seu lege naturali illicitum, quando disputans non est sufficiens, quamuis Ecclesiasticus sit, quia tunc honor Fidei periculo exponitur.

Quartò disputarè de rebus Fidei cum quibuscumque infidelibus est iure naturali illicitum, quando audientibus ob eorum simplicitatem imminet periculum probabile defectionis à Fide, aut vacillationis in ea, quia facilius percipiãt argumenta infidelis, quam solutiones Catholici.

Quod

Quod si personæ Ecclesiasticæ licitum est verbo disputare cum infidelibus, etiam erit licitum contra eos scribere: quod doctissimi viri fecerunt; non tamen expedit id efficere vulgari lingua, sed Latina, vt libri scripti non omnibus pateant, quos legere non erit licitum illis, qui prudenter timeant se plus probaturos hæreses quã earũ impugnationes.

DIFFICVLTAS XII.

Vtrùm licitum sit libros infidelium legere?

SVPPONIMVS Iure naturali illicitum, seu prohibitum esse libros infidelium legere quando ex eorum lectione imminet periculum probabile defectionis à Fide, vel vacillationis in ea; non verò quando non imminet?

Est tamen difficultas, an id sit prohibitum iure Ecclesiastico etiam quando dictum periculum non imminet.

Circa difficultatem hanc certum est iure Ecclesiastico in Bulla Cœnæ Domini contento generaliter prohiberi, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & Pontifici reseruatæ, scienter legere, aut apud se seruare, aut imprimere, aut defendere libros hæreticorum hæresim continentes, aut ex Religione ex professo tractantes, exceptis libris Tertull. Origenis, Eusebij, & Pelagij qui in Ecclesia permittuntur, & quia eorum hæreses iam sunt extinctæ (ob quod in eorum lectione nullum est periculũ) & quia multa continent vtilia.

Vt ergo quis hac prohibitione comprehendatur, & pœnam excommunicationis incurrat, requiritur. Primò, quod liber sit hæretici; quia si sit authoris Catholici, quãuis errores contra Fidem ignoranter admixtos contineat, non sufficit. Secundò, requiritur, quod liber hæretici contineat hæresim, aut quod ex professo de Religione tractet. Tertiò, requiritur quod scienter legat, aut apud se seruet, aut imprimat, aut defendat, ac proinde ignoranter, quamuis culpabiliter, imò ignorantia affectata aliquid ex his efficiat, non peccat, neque dictam excommunicationem incurrit.

Prohibitio autem hæc contenta in Bulla Cœnę Domini extensa est in Indice Romano librorum prohibitorum ad libros Hæresiarcharum, v.g. Lutheri, & Caluini, quamuis nõ contineant hæresim neque de Religione tractent, vt constat ex 2. Regula illius: & in quodam proprio motu Sixti V. extensa est ad libros Astrologiæ iudiciariæ, vt constat ex Regula 9. eiusdem indicis: & à Clemente VIII. extensa est ad quosdam libros Hebræorum, & nominatim ad Talmud Iudæorum, vt notatur in fine regularum: & à Pio IIII. in Bulla quæ incipit: *Locum pro munere*: in eodẽ indice contẽta, extẽditur ad omnes libros suspectos cuiuscumque auctoris sint: & à Paulo V. in Breui contento in indice Hispanię edito de mandato Domini Bernardi de Roxas, Inquisitoris Generalis, extensa est ad quoscumque libros prohibitos; quod etiã fecit ipse dominus Bernardus de Roxas.

Vt tamen quis mortaliter peccet scienter legendo, aut apud se seruando, aut imprimendo, aut defendendo aliquem librum prohibitum ex dictis, & consequenter vt dictam excommunicationem incurrat (quæ sine mortali non incurritur) non sufficit, quòd lineas paucas legat, vt aduertit Sancius capit. 10. Imò neque vnam paginam quamuis voluminis magni, nisi quando in ea acriter agitur contra nostram Fidem.

Et vt quis mortaliter peccet retentione libri prohibiti, & excommunicationẽ illam incurrat, non sufficit quòd illũ retineat per vnum, aut alterum diem; & quamuis peccet mortaliter, si habeat animũ semper illum retinendi, non tamẽ incurrit excommunicationẽ illã, quia hęc nõ incurritur animo retinendi, sed retentione ipsa. Qui verò per plures dies retinet expectans occasionem commodam tradendi librum, nõ peccat; quia tunc non tam retinet, quàm differt.

Nomine autem libri in dictis prohibitionibus etiam comprehenditur manuscriptus, quia iste est verè liber, tamen non comprehenditur breuis scriptura, vt Concio, & Epistola, & difficultas, seu quæstio aliqua, quia verè non est liber, etiamsi possit esse pars libri, quod non sufficit, quia etiam duæ lineæ possunt esse pars libri, & tamen absque dubio nomine libri non comprehenduntur.

DIF-

DIFFICVLTAS XIII.

Vtrùm in Ecclesia sit potestas ad puniendos hæreticos baptizatos?

ERROR Fuit Donatistarum tempore Augustini (quem Vvicleph,& Ioannes Hus innouarunt) asserentium hæreticos baptizatos (quorum nomine quoscumque infideles baptizatos comprehendimus) non posse puniri ob infidelitatem præsertim pœna mortis, neque posse cogi, vt Fidem suscipiant si eam nõdum susceperunt, neque vt ad eam redeant, si susceptam deseruerunt. Et in primis nulla pœna puniri posse ob infidelitatem probatur; quia hæretici non sunt Ecclesiæ subditi, quia sunt extra eam cum careant Fide media qua vniendi erant Ecclesiæ, & efficiendi membra illius, ergo ad Ecclesiam non pertinet eos iudicare, & punire ob infidelitatem, sed tantum ad Deum: quod indicare videtur Paul. 1. ad Corinth. 5. illis verbis: *Quid mihi de his, qui foris sunt? nam eos Deus iudicabit.*

Et specialiter non posse pœna mortis puniri, significari videtur Matth. 13. vbi Christus dixit non esse eradicanda zizania, ne fortè eradicetur & triticum: per zizania autem hæretici intelliguntur, & Matth. 26. & Ioann. 18. dum Christus præcepit Petro, vt conuerteret gladium in locum suum, & vaginam, & Luc. 9. dum Christus discipulos reprehendit, quia volebant, vt ignis descenderet de cœlo, & consumeret Samaritanos, quia non recipiebant Christum & dixit: *Nescitis cuius spiritus estis, Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare*: quod non leuiter confirmari videtur consuetudine Ecclesiæ primitiuæ, quæ non puniebat hæreticos pœna temporali, & multo minus corporali.

Quod verò nequeant cogi ad suscipiendam, neque ad conseruandam Fidem probatur; quia susceptio Fidei debet esse libera, ergo nullus quamuis baptizatus, qui nunquã

Fidem suscepit cogi potest ad eam suscipiendam. Quod si Fidei susceptio etiam baptizatis debet esse libera, & non coacta, etiam conseruatio Fidei non debet esse coacta, sed libera, quia res non requirit plures causas vt conseruetur, quam vt nascatur, & introducatur.

Catholici tamen conueniunt, Ecclesiã posse baptizatos hæreticos cogere, vt suscipiant Fidẽ, si nondum eam susceperunt, & vt ad eam redeant, si susceptam deseruerunt; & eos ob infidelitatem punire etiam pœna mortis.

Et in primis posse ab Ecclesia cogi, & puniri probatur, quia baptizati hæretici, eo ipso quòd sunt baptizati facti sunt subditi Ecclesiæ (etiamsi quoad internam vnionem, quæ fit media Fide, sint ab Ecclesia separati) ergo Ecclesia vtpote superior potest illos ad prædicta cogere, & in eis punire peccata Reipublicæ Ecclesiasticæ nociua, qualis est infidelitas: & non solum pœna spirituali vt patet, sed etiam temporali, & corporali; quia ex vna parte hæc pœna non est improportionata crimini infidelitatis, & ex altera baptizatus, quamuis infidelis, est absolutè, & absque limitatione subditus Ecclesiæ quoad bonum & regimen suæ animæ; imò Ecclesiam vsam fuisse simili pœna contra baptizatos infideles, constat ex Extrauagan. *Vnam sanctam*, de maioritate, & obedientia, & ex capit. *Ad Apostolicæ*, de sentent. & re iudicata.

Et quod possit eos punire pœna mortis constat ex eo, quod ex vna parte in Ecclesia est iurisdictio circa infideles baptizatos, & ex altera parte, pœna mortis non est improportionata crimini infidelitatis, quia est grauissimum, & maximè nociuum Reipublicæ non solum Ecclesiasticæ, sed etiam politicæ, quia infidelitas omnem pacem turbat non solum Ecclesiasticam, quæ in vnitate Fidei consistit, sed etiam politicam, vt experientia ipsa testatur.

Ad rationem ergo qua generaliter intenditur hæreticos non posse ob infidelitatem puniri, constat eos quando baptizati sunt, esse intra Ecclesiam tanquam illi subditos quoad regimen animæ, etiamsi quoad internam vnionem, quæ fit media Fide; sint extra eam. Paulus verò vbi

ſupra tantum loquitur de non baptizatis, qui foris ſunt etiã quoad regimen.

Ad fundamentum verò ex ſcriptura deſumptum, quo intenditur probari baptizatos hæreticos non eſſe puniendos pœna mortis, reſpondetur, exemplo illo zizaniorum, etiamſi per ea hæreticos intelligi admitamus (quamuis generaliter peccatores intelligantur) tantum prohibere eradicare zizania, & pœna mortis punire hæreticos, quando id fieri nequit abſque magno proximorum damno, non verò quando abſque eo fieri poteſt: illis autem verbis Ioann. 18. literaliter denotatur non eſſe vtendum gladio materiali priuata auctoritate; myſticè verò denotatur non expedire Eccleſiam illo vti per ſe ipſam, ſed per iudices ſæculares, & Luc. 9. Chriſtus prædictis verbis tantum voluit ſignificare Euangelium non eſſe introducendum externa violentia, ſed manſuetudine, doctrina, & miraculis, quod non tollit ſpiritu ſeueritatis cogere iam baptizatũ, vt Euangelium conſeruet, ſi ſemel illud ſuſcepit, & ſi non ſuſcepit, vt illud ſuſcipiat.

Et ad confirmationem concedimus in primitiua Eccleſia hæreticos non puniri pœna temporali, & multo minus pœnâ corporali, vel quia tunc non habebat ſufficientẽ potẽtiam executiuam, vel quia tunc non expediebat propter turbationem, quæ tunc ob infidelium multitudinem, & paucitatem baptizatorum poſſet oriri: nihilominus poſteà puniti ſunt in primis pœna exilij, l. *Arriani*, Cod. de hæreticis. Deinde pœna pecuniaria, l. *cunctli hæretici*, eodem Cod. & poſtea amiſsione omnium bonorum, l. *Manichæi*, eodem Cod. & tandem pœna corporali capitis, l. *Quicumque*, eodẽ titulo.

Ad rationem verò, qua intenditur baptizatos non eſſe cogendos ad ſuſceptionem, neque ad conſeruationem Fidei ſemel ſuſceptæ, reſpondemus, ſuſceptionem, & conſeruationem Fidei eſſe liberã à naturali neceſsitate, quia ſaltem cõſenſu libero, ſuſcipitur, & conſeruatur; non tamen eſſe liberam ab obligatione ipſam ſuſcipiendi, & conſeruandi, ac proinde in baptizatis non debere eſſe liberam ab inductione, & á coactione medijs pœnis facienda per Eccleſiam

illis superiorem quoad bonum, & regimen animarum ipsorum.

DIFFICVLTAS XIIII.

Quæ pœnæ statutæ sint contra hæreticos?

IN Primis contra hæreticos baptizatos (quorum nomine etiam comprehenduntur Iudæi, & Pagani baptizati) statuta est excommunicatio maior, in cap. *ad abolendam*, & in cap. *excommunicamus*, de hæreticis & in Bulla Cœna Domini, in principio.

Est autem excommunicatio hæc statuta contra hæreticos non iure diuino, vt contra Almain in 4. dist. 18. quæst. 1. & contra Echium in Enchiridio docent communiter DD. quia de eo iure nullatenus constat, sed solo iure Ecclesiastico, vbi supra lato: excommunicationem hanc non incurrit, qui exterius tantum absque assensu, seu iudicio interiori profert propositionem hæreticam, vt contra Caietan. 2. 2. quæst. 94. art. 1. docent communiter DD. quia non est verè hereticus, quia hæresis in assensu, seu iudicio interiori consistit. Neque eam incurrit hæreticus tantum mentalis, qui suam hæresim non indicat exterius, vt contra Adrianum in 4. quæst. 2. de confessione docent communiter DD. quia actus pure internus non subiacet iurisdictioni exteriori humanæ.

Ille ergo eam excommunicationem incurrit, qui suam hæresim mentalem exterius exprimit verbis, aut alijs exterioribus signis tanquam substitutis ipsius hæresis, seu iudicij hæretici ei annuendo exterius, vt quando quis interius iudicans Christum non esse Deum, id affirmat, ei annuendo; non verò ille, qui suam hæresim mentalem exprimit verbis, aut alij signis exterioribus, quæ tantum habent pro obiecto ipsam hæresim, seu iudicium hæreticum, & non sunt substituta ipsius iudicij hæretici, sed alterius iudicij reflexi, quod non est hæreticum habentis pro obiecto ipsum iudicium hæreticum; vt quando quis confessionis, aut consilij

cau-

causa exterius affirmat se habere, aut habuisse iudicium hæreticum, v.g. contra diuinitatem Christi, vt si quis dicat, ego habeo iudicium hæreticum contra diuinitatem Christi, quid faciam? incurro excommunicationem, an non? & non solum incurrit excommunicationem ille, qui est publicè hæreticus, sed etiam ille qui est occultissimus, qui suam hæresim nullo existente teste protulit; in quo Theologi conueniunt; quia ex vna parte actus exterior ex se subiacet iurisdictioni Ecclesiasticæ, & ex altera ad imponendam pœnam annexam iuri, aut præcepto sub conditione subintellecta transgressionis iuris, aut præcepti non prærequiritur cognitio criminis.

Addimus, excommunicationem hanc reseruatam esse Romano Pontifici in Bulla Cœnę Domini; ac proinde à nullo alio absolui posse nisi priuilegio, quod pro foro conscientiæ habent Episcopi circa hæresim occultam per seipsos, collatum a Trident. sess. 24. capit. 6. de reformatione, & illud non esse reuocatum, sed nunc etiam perseuerare docent Enriq lib. 6. de pœnitent. capit. 14. Lorca disp. 45. Granado tract. 15. disp. 14. sect. 2. Petrus Hurtado disp. 84. sectio. 2. & plures alij, & non absque probabilitate. Addit Granado, Episcopum posse absolutionem ab hæresi occulta pro singulis casibus committere Sacerdotibus inferioribus non cõmissione generali aliquem generaliter ad id deputando: nomine autem Episcopi etiam comprehenditur Capitulum sede vacante, quod Episcopo succedit, vt contra nonnullos docet Sancius capit. 11. & etiam comprehenduntur Abbates, & alij Prælati habentes iurisdictionem quasi Episcopalem in sua Diœcesi. Idem quoque priuilegium pro foro conscientiæ habere quemlibet Inquisitorem intra suum territorium, etiam extra Tribunal: & non tantum Tribunal ipsum, sed etiam quemlibet Inquisitorem id posse priuatis confessarijs committere, non pauci affirmant. Imò id etiam posse committere Tribunal ipsum circa hæreticum publicum causa iudicialiter cognita certum est, de quibus legendi sunt Sancius lib. 2. summ. capit. 11. & 12. & Granado sectione 2. & 3.

Eandem excommunicationē incurrunt credentes, receptatores, fautores, & defensores hæreticorum (subintellige formaliter vt hæretici sunt) ipso facto latam contra eos in principio Bullæ Cœnæ Domini, & Papæ reseruatam, quamuis non ita strictè, ac est excommunicatio contra hæreticos ipsos; ac proinde poterunt ab illa absoluere, qui possunt ab alijs casibus in dicta Bulla contentis. Credentes hæreticorum dicuntur, qui eis vt hæreticis credunt eorum erroribus annuendo, qui si absque pertinacia, sed culpabiliter credunt, quamuis non sint hęretici, sunt tamen purè credentes, & dictam excommunicationem incurrent, si tamen illis pertinaciter credunt, sunt veri hæretici sicut & illi. Receptores hæreticorum dicuntur, qui hospitio recipiunt (quamuis tantum semel) hæreticum titulo hæresis, seu quia est hæreticus. Fautores dicuntur, qui consilio, aut armis, aut alia positiua ratione fauent hæretico vt hæretico, id est, vel quoad hæresim, vel quia hæreticus est: & etiam dicuntur fautores hæreticorum ministri iustitiæ, qui omittunt facere, quod vt tales tenentur contra hæreticos facere. Defensores hæreticorum dicuntur, qui defendunt hæreticum, vel laudando, vel propugnando errores illius, vel curando, ne capiatur à ministro iustitię.

Secundò, contra hęreticos statutum est in pœnam, quod nequeant ad ordines promoueri, adhuc post conuersionem, vt constat ex Can. *Saluberrimum*, 1. quæst. 7. & quod sint inhabiles ad beneficia, & ad officia publica, vt constat ex capit. 2. & 15. de hęreticis in 6. ad ea tamen requiritur quod hęresis sit publica, vt significatur in dicto Can. & in dictis capit. imò Sayrus lib. 7. capit. 11. ad ea requirit quòd sit notoria. Quid autem sit publicum, & quid notorium, dicimus tractatu de irregularitat. disput. 2. difficult. 20.

Tertiò, hęretici priuantur vsu ordinum, ita vt illos illicitè exerceant, & etiam vsu iurisdictionis Ecclesiasticæ, ita vt eam illicitè & inualidè exerceant. His tamen duobus non priuantur præcisè ob hæresim, quia nullo iure id specialiter statuitur contra hęreticos, sed tantum priuantur illis ob excommunicationem, quam ob hæ-

resim

resim incurrunt: ac proinde, quãdo tolerati sunt, valide exercent iurisdictionem, quamuis illicitè, quando ipsi se ad id ingerunt. Addunt non pauci, Clericos ab hæresi conuersos nõ posse vti ordinibus absque dispensatione; id tamen addunt absque sufficienti fundamento, de quo dicimus tract. de irregularitate distin. 2. diff. 3.

Quartò contra hæreticos statuta est priuatio beneficiorũ, quæ possident, vt significatur in motu quodam proprio *Pij V.* relato in directorio Inquisitorum circa finem, & in cap. *vt commissi* de hæreticis in 6. & in cap. *ad abolendam* de hæreticis; non tamen amittunt dominium beneficiorum ante sententiam, quia in nullo iure significatur, priuationem illorum iure ipso executioni mandari.

Quintò contra hæreticos statuta est priuatio omnium bonorum temporalium in cap. *secundum leges* de hæreticis in 6. ita vt quamuis ante sententiam iudicis hæreticus non sit illis priuandus quoad executionem, & possit illis vti, & frui, etiam ad donandum, & ad hæredem instituendum; nihilominus à die commissi criminis hæresis, bona hæretici manent fisco obligata: ob quod omnes alienationes à die criminis factæ, rescindendæ sunt, de qua re legendi sunt Soar disp. 22. & Vazquez 1. 2. disp. 169.

Sextò tandem contra hæreticos incorrigibiles statuta est pœna mortis iure ciuili, l. *quicumque*, C. de hæreticis, & approbato ab Vrbano IV. & ab Innocent. IV. relatis in directorio Inquisitorum in fine.

DISPVT. XI.

De Regulis Fidei.

REgulæ Fidei dicuntur, quibus certo, & infalibiliter nobis applicatur reuelatio diuina, ob quam fide diuina credimus propositionem, seu rem reuelatam: sunt autem quin-

que

que: Ecclesia, Summus Pontifex, Concilia, Traditio, & Scriptura, de quibus hoc ordine seorsim dicemus.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm omnes fideles baptizati pertineãt ad Ecclesiam militantem, tanquam membra illius?

NOMEN *Ecclesia* Græcè idem quod Latine *conuocatio*, translatum est ad significandam congregationem ipsam conuocatam, seu conuocatorum: & quia creaturæ tantum intellectuales sentiunt vim vocis, & cõuocationis; ideo nomẽ *Ecclesia* tantum tribuitur cõgregationi creaturarũ intellectualium, in quo differt à nomine *Synagoga*, quod etiã tribuitur gregi animalium; & quia cõgregatio Christianorũ principalior est, quàm erat cõgregatio Iudæorũ ob perfectiorẽ legem gratiæ, qua gaudẽt Christiani: Ideo cõgregatio Iudæorũ etiam dicebatur Synagoga, cõgregatio verò Christianorũ nũquam, sed semper dicta fuit, & dicitur Ecclesia. Imo nomẽ *Ecclesia* translatum est, vt etiam significet locum cõgregationis fidelium, nempe templum, vt significat Iudith. 6. & 1. ad Corinth. 11.

Ecclesia autem Dei (quam certum est esse in mundo, vt constat ex Scriptura, & ex Symbolis, & ex Cõciliis) est quædã cõgregatio, seu quoddam corpus morale, & politicum: & Ecclesia militans Dei (de qua instituitur disputatio) est congregatio hominum viatorum, seu est quoddam corpus morale ex hominibus viatoribus coalescens.

Est tamen difficultas, ex quibus hominibus viatoribus coalescat & componatur, & constet Ecclesia militans Dei?

Circa quam supponimus, in quo DD. cõueniunt, nullum infidelẽ nõ baptizatũ pertinere ad Ecclesiam militantẽ, tãquã mẽbrũ illius, quod satis significat Paulus 1. ad Cor. 5. *Quid enim mihi de his qui foris sunt, iudicare.* Quod etiam ex dicẽdis cõstabit, quia vel sola fides, vel solus character Baptismalis,

vel

vel vtrumq; & non aliud eſt forma conſtituens membrum Eccleſiæ Chriſtianæ, ſeu intra Eccleſiam.

Hoc ergò ſuppoſito circa præſentem difficultatem inter alios fuerunt tres principales errores. Primus fuit, Eccleſiam militantem tantum conſtare ex hominibus prædeſtinatis. Secũdus fuit Eccleſiam militantẽ tantum cõſtare, ex hominibus perfectis, nullum habẽtibus peccatum. Tertiũs fuit, tantum conſtare ex hominibus iuſtis, quamuis imperfectis, ſeu obſtrictis non nullis peccatis.

Catholici tamẽ cõueniunt, omnes fideles baptizatos viatores, quamuis reprobos, & peccatores ad Eccleſiam militãtẽ pertinere. Et in primis fideles baptizatos viatores ad Eccleſiã militantẽ pertinere, ſignificat Paul. ad Epheſ. 4. dũ vnitatẽ Eccleſiæ ſufficiẽter reducit in vnitatẽ fidei, & baptiſmi, his verbis. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma.* Deinde eoſdem, quamuis reprobos, ad Eccleſiam pertinere definitur in Concilio Conſtantienſi ſeſ. 15. & id ſignificatur ad Epheſ. 4. dum vnitas Eccleſiæ ſufficienter reducitur in vnitatem fidei, & baptiſmi, & ad Rom. 12. dum dicitur. *Vnicuiq; Deus diuſit menſurã fidei; ſicut enim in vno corpore, &c.* Quibus ſignificatur media fide ſufficiẽter aliquẽ pertinere ad corpus Eccleſiæ, & Matth. 9. dũ Ecclesia cõparatur areæ in qua ſunt triticum, & palea, & additur paleas eſſe igne inextinguibili cõburẽdas, quod tantum conuenit reprobis. Et cap. 13. dum Eccleſia comparatur ſagenæ miſſæ in mare ex omni genere piſcium congreganti: & additur aliquos mittendos eſſe in caminum ignis, quod etiam tantum cõuenit reprobis. Et cap. 22. dum Eccleſia comparatur conuiuio nuptiali, ad quod intrauerunt boni, & mali, & additur, malos proijciendos in tenebras exteriores, quod etiam tantum conuenit reprobis. Et 2. ad Timoth. 2. dum Eccleſia comparatur domui magnæ, in qua ſunt vaſa aurea, & argentea, lignea, & fictilia, quædam in gloriam, & quædam in contumeliam; his autem quæ ſunt in contumeliam reprobi tantum ſignificantur.

Et tandẽ fideles baptizatos viatores, quamuis peccatores ad Ecclesiam Dei pertinere ſignificatur dictis teſtimonijs adductis pro reprobis, quia aliquando ſunt peccato-

res

res. Et etiam Matth. 18. illis verbis. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum; si te non audierit, dic Ecclesiæ, si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus*: quibus significatur in Ecclesia esse peccatores, etiamsi possint tractari ab Ecclesia quasi extranei. Et 1. ad Corint. 5. dum Paulus supponit intra Ecclesiam esse fornicatorem quemdã cum vxore sui patris. Et Apocalip. 2. & 3. dum Ioannes supponit in pluribus ex illis septem Ecclesijs esse crimina non leuia, quæ ibi reprehendit.

DIFFICVLTAS II.

Vtrum Fideles non baptizati pertineãt ad Ecclesiam militantem tanquam membra illius?

CASTRO De iusta hæret. punit. cap. 8. Soar. disp. 9 sect. 1. docent, fideles non baptizatos (qui dicuntur cathecumeni) esse membra Ecclesiæ; quod significari videtur in cap. *ventens* de Presbytero non baptizato, dum dicitur. *Nam cum quis non solum per Sacramentum fidei, sed per fidem etiam Sacramenti efficiatur membrum Christi.* Et ratione probatur. Primò, quia nullus existens extra Ecclesiam saluatur, vt dicitur in Conc. Lateranensi c. 1. Cathecumeni autem saluari possunt, quia possunt esse iusti, & in iustitia mori, ergo. Secũdò, quia eadem est Ecclesia ante & post Christum, sed fideles non baptizati, quales sunt Cathecumeni, pertinebant ad Ecclesiã, quæ erat ante Christum, ergo etiam pertinent ad Ecclesiam quæ nunc est.

Turrecremata lib. 1. cap. 8. Bellarm. lib. 3. de Ecclesia cap. 3. & Valen. puncto 7 §. 4. docent, fideles nõ baptizatos (quales sunt Cathecumeni) non esse membra Ecclesiæ, quod significat Eugen. 4. in instructione Armenorum, dum ait. *Per ipsum enim* (nempe per Baptisma) *membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ.* Quibus verbis significat, ante Baptismum non præsupponi mẽbra Christi, nec de corpore Ecclesiæ. Et

idem

idem significat Nanzianzen. orat. in Sanctum Lauacrum, dū ait, Cathecumenum esse in vestibulo pietatis, nec adhuc posse vocari fidelem, nisi intus ingrediatur per baptismum: & ratione probatur, quia Cathecumeni, quamuis sint fideles, & iusti esse possint, & sint aliquando, non tamen habent ius ad Sacramenta, nec ad alia communia vniuersali Ecclesiæ, ergo non sunt de communitate, & Societate Ecclesiæ.

Pro huius tamen maiori declaratione supponimus, Ecclesiam posse tripliciter considerari, & sumi. Primo modo pro congregatione creaturarum intellectualium, etiam spiritualium creatarum in vitam æternam, & etiam Dei, in qua vt sic solus Deus est caput, & Christus vt homo est membrum, & non caput. Secundo modo pro congregatione hominum, etiam Christi, in qua vt sic non solum Deus, sed etiam homo Christus est caput, & Romanus Pontifex est membrum, & non caput; & in qua vt sic primi parentes in statu innocentiæ non fuerunt membra hominis Christi, nec homo Christus fuit caput eorum, vt diximus tract. de Incarnation. disp. 7. diffi. 22. Tandem tertio sumi potest Ecclesia pro congregatione hominum, vt instituta à Christo, in qua vt sic etiam Romanus Pontifex est caput, & quæ vt sic dicitur Christiana: quia à Christo instituta, & dicitur Romana, quia in ea etiam Romanus Pontifex est caput. Ecclesia sic tripliciter considerata & sumpta, quamuis essentialiter sit vna vnitate fidei, & gratiæ, seu charitatis; ita tamen se habet, vt id quod est membrum Ecclesiæ tertio modo sumptæ, eo ipso est membrum Ecclesiæ, vt secundo & primo modo sumptæ, & non è cōtra: & quod est membrum Ecclesiæ secundo modo sumptæ, eo ipso etiam est membrum Ecclesiæ primo modo sumptę, & non è contra, vt ex dicendis constabit.

Hoc ergo supposito existimamus, fideles non baptizatos (quī dicuntur Cathecumeni) esse membra Ecclesiæ, seu pertinere ad Ecclesiam, vt primo, & secundo modo sumptam, quæ vt sic etiam fuit ante aduentum Christi, non tamen pertinere ad Ecclesiam, vt tertio modo sumptam, nēpè ad Christianam, seu Romanam, quæ tantum est à tēpore Christi, qui eam vt sic instituit, & de qua vt sic sumpta præcipue est difficultas.

Prior

Prior pars probatur, quia nō solum Deus est caput omnium fidelium, etiam Angelorum á principio mūdi, sed etiā Christus omnium hominum fidelium á primis parentibus ab statu lapsus eorum in peccatum, quia omnibus hominibus fidelibus est superior, & ab eo statu suis meritis influit vitaliter in eos vitam fidei, vt diximus tract. de Incarnatione in ea difficult. 22. ergo verè sunt membra dicti corporis, cuius nō solum Deus, sed etiam homo Christus est caput, & non Romanus Pontifex: & ideo in dicto cap. *Veniens* dicitur hominem per fidem fieri membrum Christi, quod est verissimum: & extra Ecclesiam primo, & secundo modo sumptam nullus saluatur. Imo nec qui post Christum aliquo modo, saltem voto, seu desiderio non est intra Ecclesiam tertio modo sumptam.

Posterior pars probatur, quia in Ecclesia Romana, seu Christiana Pontifex Romanus est caput, & qui in ea sunt, ei subsunt quoad professionem, & societatem Christianam, nē pe quoad Sacramenta, & quoad alia, quæ sunt propria Ecclesiæ Romanæ, sed Pontifex Romanus non est caput fidelium non baptizatorum, quia nihil in eos influit, sed tantum in baptizatos, nec ei quoad aliquid spirituale subsunt, nec habent ius ad Sacramenta, nec ad alia, quæ sunt communia vniuersali Ecclesiæ Christianæ, ergo fideles non baptizati nō pertinent ad Ecclesiam Christianam, seu Romanam, quæ subest Romano Pontifici, vt capiti, nec efficiuntur de corpore illius, nec membra Christi, vt est caput illius, vt sic sumptæ, seu ab ipso institutæ, quousque baptizentur, vt significatur ab Eugenio IV. & á Nazianzeno supra relatis.

DIFFICVLTAS III.

Vtrum infideles baptizati pertineant ad Ecclesiam tanquam membra illius?

Castro lib. 2. de iust. hæreticor. punit cap. 24. docet, infide-

les

les baptizatos(qui dicuntur hæretici)quamuis exterius profitentes suas hæreses ad Ecclesiam etiam Christianã pertinere tanquam mẽbra illius,quia sunt subditi Ecclesiæ Christianæ,seu Romanæ,vt possint dirigi,& compelli ad deserendos errores,& puniri:& possunt actus ordinis validè exercere,v. g.consecrandi,& in extrema necessitate absoluendi,& extremè vngendi,& ordinandi.

Bellarminus ver) lib.3.cap.4 Valen §.14.Soarez disp. 9.section.1 Granado tractat. 6. disput. 2. & communiter Theologi docent, & meritò,infideles baptizatos, seu hæreticos non pertinere ad Ecclesiam tanquam membra illius, quod tradit Augustinus libro de Fide, & Symbol. capit. 10. & id significant plures Patres (quos referunt Bellarminus Valent & Soarez) dum ex eis alij docent, & alij supponunt hæreticos esse extra Ecclesiam: & cum conuertuntur, ad eam redire, quod etiam maximè significatur in capit. *Firmiter*,de Summ. Trinit.& Fide Catholica, dum definitur Ecclesia (subintellige Romana)quod sit fidelium(subintellige baptizatorum)cõgregatio; hæretici autem non sunt fideles,quamuis sint baptizati, sed sunt infideles.

Et ratione probatur,quia Ecclesia (quocumque modo ex tribus dictis sumpta) est corpus quoddam aliquo modo spiritualiter viuum, & Ecclesia secundo, & tertio modo sumpta superaddit, quod sit corpus vitaliter vnitum Christo influenti in illud vitam spiritualem, saltem Fidei,& plura alia dona gratiæ ad motus,seu actiones vitę spiritualis,seu viuentis spiritualiter,quia Ecclesia non est corpus omnino mortuum spiritualiter,& aridũ,sed hæretici sunt omnino spiritualiter mortui,& aridi,quia carẽt vita Fidei, & vita gratię,seu charitatis(extra quas non est alia vita spiritualis)ob quod hæretici dicũtur bis mortui in Epistola Iudæ, ergo non pertinent ad Ecclesiam adhuc primo modo sumptam, tanquam membra illius: & hac ratione etiam probatur, hæreticos tantum mentales non esse membra Ecclesiæ, quia etiam hi sunt omnino spiritualiter mortui.

Ex hoc autem, quòd exterius profiteantur Fidem,

tantum

tantum fit pertinere secundùm exteriorem speciem ad Ecclesiam: & ex eo quod hæretici tantum mentales, & etiam hæretici exteriores sint subditi Ecclesiæ Romanæ, vt possint dirigi, & compelli ad deserendos errores, & puniri, tantum fit hæreticos pertinere ad iurisdictionem Ecclesiæ tanquam subditos; non verò pertinere simpliciter ad Ecclesiam ex defectu fidei: & ex eo quod possint actus ordinis validè exercere, & aliquando licitè, tantum fit habere potestatem aliquam in Ecclesia, quod non sufficit, vt sint vera membra Ecclesiæ.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm Schismatici non hæretici pertineãt ad Ecclesiam Romanam, vt membra illius?

VValdensis tom. 1. lib. 2. cap. 9. Bellarmin. cap. 5. & Bañez art. 10. in comment. fusioribus dub. 1. ad 7. partem negatiuam tuentur, quia Schismatici non hæretici, qui in eo tantum peccant, quod nollunt Romano Pontifici obedire, de quibus est difficultas, non sunt cõiuncti cum capite Ecclesiæ; nec cum alijs membris, quia à communione cum ipsis se separant, ergo non pertinent ad corpus Ecclesiæ.

Castro verò lib. 2. de iusta hæret. punit. capit. 24. Aragon tract. de Ecclesia con. 4. Soarez section. 1. Turrian. dub. 1. & Granado disp. 2. partem affirmatiuam tradunt, & meritò, quia Ecclesia, vt dicitur in Can. *Ecclesia* de Consecrat. dist. 1. est Catholicorum congregatio: & vt dicitur in cap. *firmiter* de Summ. Trinitat. & fide Cathol. est fidelium congregatio, sed Schismatici non hæretici sunt baptizati, & fideles, & Catholicam fidẽ habentes, ergo sunt vera membra, & partes Ecclesiæ Christianæ, seu Romanæ.

Quòd autem nolint Romano Pontifici obedire, in quo ab eo, & ab alijs membris Ecclesiæ Romanæ separantur, non sufficit, vt ob id desinant esse membra Ecclesiæ: cum retineãt

fidem

fidem,& characterem baptiſmalem, & ſint verè ſubditi, ſeu ſubiecti Romano Pontifici, quamuis peccent nolendo ei obedire.

Ex Patribus verò, qui ſignificant ſchiſmaticos eſſe extra Eccleſiam, alij loquuntur de ſciſmaticis hæreticis, & alij de exterioritate ab Eccleſia, quoad actualem gubernationem, & obedientiam.

DIFFICVLTAS V.

Vtrum excommunicati pertineant ad Eccleſiam tanquam membra illius?

VValdenſis vbi ſupra, Turrecremata lib. 1. cap. 8. Driedo lib. 4. cap. 2. Caniſius in Catechiſmo, Bellarm. cap. 6. & Catechiſmus Roman in explicatione ſymboli, partem negatiuam tuentur, quod ſignificari videtur Matth. 18. dum Chriſtus loquens de excommunicando, quia Eccleſiam non audit, ait: *Quòd ſi Eccleſiam non audierit ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus*: ethnici autem, & publicani non ſunt membra Eccleſiæ, quod etiam ſignificari videtur in Can. *Canonica*, 11. q. 3. dum excommunicati dicuntur à gremio ſanctæ Matris Eccleſiæ, & totius Chriſtianitatis conſortio eliminari. Et ratione poteſt probari, quia excommunicati priuantur communicatione ſpirituali, qua gaudent membra Eccleſiæ Romanæ. Ergo.

Bañez verò, q. 1. art. 10. dub. 1. ad 8. Aragon. tract. de Eccleſia, con. 4. Soar. ſect. 1. Turrianus dub. 1. & Granado diſp. 2. partem affirmatiuam tradunt, & meritò, quia excommunicati ſunt baptizati, & etiã ſunt fideles, vt ſupponimus, & ſubſunt gubernationi externæ Rom. Pontificis, quamuis aliquando non obediant, ergo abſque fundamento ſufficiẽte dicuntur non eſſe membra Eccleſię Romanæ, quia per excommunicationem nullo ex tribus prædictis priuantur, quę abundẽ ſufficiunt ad rationem membri Eccleſiæ, quamuis priuentur dicta communicatione ſpirituali, & etiam externa communicatione ciuili, quibus gaudent reliqui non ex-

communicati, quia hæ non sunt necessariæ ad rationem mẽbri spiritualiter viui, & quoad eas tantum excommunicatus dicitur Matth. 18. esse sicut ethnicus, & publicanus, & à gremio, & consortio Ecclesiæ, & Christianitatis exclusus.

Ex hactenus dictis constat, Ecclesiam absolutè sumptam, quæ etiam fuit ante aduentum Christi, sufficienter definiri, quòd sit *Fidelium congregatio*: Ecclesiam verò, vt nunc est, post aduentum Christi sufficienter, & necessario definiri, *Quòd sit fidelium baptizatorum congregatio*, addendo particulam *baptizatorum* supra priorem definitionem.

DIFFICVLTAS VI.

Quando cœperit Ecclesia militans: & an sit perpetuò duratura?

CIRCA Priùs conueniunt primò communiter Theologi, Ecclesiam hominum viatorum (de qua procedit difficultas, & tota disputatio) prout abstrahit à Romana, & non Romana (qua ratione est fidelium congregatio) incœpisse ab Adam, eo modo quo numerus incipit à prima vnitate, quæ non est numerus, sed pars, & principium numeri: & in rigore incœpisse ab Eua, quia Eua formata incœpit esse congregatio fidelium, quia tam Adam, quàm Eua, creati fuerunt in Fide, & sanctitate; vnde quamuis ab Abel incœperit quoad maiorem splendorem ob eius celebre Sacrificium, nõ tamen incœpit quoad substantiam, quia quoad hanc incœperat ab Adam, & ab Eua modo dicto; ab eis tamen in statu innocentiæ non incœpit Ecclesia Christi, seu Ecclesia supra dicto secundo modo sumpta, quia Christus suis meritis non influxit in eos in eo statu Fidem, nec sanctitatem, quia eas, & reliqua dona gratiæ acceperunt à Deo absque meritis Christi, vt diximus tract. de Incarn. disp. 1. diffi. 27. & quamuis certum non sit, est tamen probabile Ecclesiam ab Adamo, & ab Eua incœptam, non fuisse interruptam, quia quamuis probabilius sit, Adamum Fidem perdidisse, est tamen probabile

quod

quod eam non perdiderit, vt diximus tract. de Incarnat. dis. 14. difficul. 11. & probabilius est, quod Eua eam non amiserit.

Conueniunt secundò Theologi, Ecclesiam vt nunc est (qua ratione dicitur Christiana, & Romana) incœpisse à tempore Christi, quia vt nunc est fuit à Christo instituta, & fundata, quod passim docent PP. & habetur Matth. 16. *Et super hanc Petram adificabo Ecclesiam meam*: & ob id ad Ephes. 2. dicitur fundata supra fundamentum Apostolorum: fuit autem instituta, & fundata à Christo non quoad substantiam, & essentiam, quæ sufficienter saluatur in congregatione fidelium, quæ verè fuit ante Christum Dominum, sed quoad Sacerdotium, & totum Ecclesiasticum Ordinem, & quoad Sacrificium Missæ, & quoad Sacramenta, in quibus fideles communicant, & habent societatem, quæ fuerunt à Christo instituta.

Circa posterius conueniunt primo Theologi, Ecclesiam Dei à sui initio saltem post pœnitentiam primorum Parentum semper vt tunc erat, durasse vsque ad Ecclesiam Christianam, seu Romanam vt sic, de quo legendus est Soar. sect. 3. *Ex* eo autem quod *Exod.* 31. dicitur, quod totus populus Dei adorauit vitulum, non significatur, quod in omni populo Dei defuerit Fides (& consequenter *Ecclesia*) sed tantum quod maior pars populi adorauerit, & defuerit in Fide, non verò quod omnes, quia nec Moyses, nec alij ex Leuitis adorauerunt, vt deducitur ex contextu. *Et* eo quod fit tribus ferijs Hebdomadæ sanctæ, nempè non extinguendo candelam maximam minoribus extinctis, non significatur in sola Beatissima Virgine Fidem mansisse, in qua sola non potuisset *Ecclesia* conseruari, quæ est plurium fidelium congregatio, quia etiam mansit Fides in Ioanne, & in Iacobo (& credi potest, quod etiam mansit in reliquis Apostolis) & etiam in Magdalena, & in multis alijs Iudæis intra, & extra Hierusalem habitantibus, sed tantũ significatur, vel quod sola Virgo nõ defecit à confessione Fidei, à qua defecerũt Apostoli; vel quod in sola Virgine Fides perfectissimè permansit, & non tam perfectè in Apostolis; vel quod Prophetæ significati minoribus cãdelis fuerunt olim occisi, & extincti, Christus

verò significatus maxima candela, quia breuissimo tantum tempore mortuus durauit, fuerit quasi absconditus, vt resurgeret in magna gloria.

Conueniunt secundò Theologi, Ecclesiam Christianam seu Romanam (quæ fundari cœpit à prædicatione Christi, & fuit consummatè fundata prope tempus Ascensionis, quando Christus Ioan. 21. dixit Petro: *Pasce oues meas*) vsque nũc absque interruptione durasse, & vsque in finem mundi duraturam, quod tradunt communiter PP. & satis significatur Matth. 16. illis verbis: *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam*, & Matth. vlt. illis verbis. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.*

Ex dictis constat, Ecclesiam Dei militantem, quæ incœpit ab initio mundi, semper saltem à tempore, quo primi Parentes iustificati fuerũt à suo lapsu durasse; & duraturam esse vsque in finem mundi, quæ semper fuit vna substantialiter, seu essentialiter, saltẽ vnitate Fidei, & gratiæ, seu charitatis, & gloriæ, quamuis accidentaliter pro tribus diuersis temporibus distincta, quia Ecclesia saltem in statu innocentiæ primorum Parentum fuit solius Dei tanquam capitis, & à tempore post lapsum primorum Parentum fuit Dei, & etiam hominis Christi tanquam capitũ, & à tempore Christi fuit Dei, & hominis Christi, & Romani Pontificis tanquam capitum.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrum Ecclesia militans sit visibilis?

NOmine Ecclesiæ visibilis intelligimus eam, quæ in particulari potest prudenter cognosci, & discerni ab intellectu medijs signis sensibilibus, ea proportione, qua substantia cognosci, & discerni potest in particulari medijs accidẽtibus sensibilibus.

Conueniunt ergo Catholici contra hæreticos, veram Ecclesiam etiam Christianam, prout nunc est, esse visibilem; quod PP. communiter tradunt, & satis significatur in scriptura Matth. 18. illis verbis: *Dic Ecclesiæ, quòd*

si

ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus, quia ſi non poſſet cognoſci, & diſcerni, quæ ſit Eccleſia in particulari, non poſſet conſtare an id dicatur Eccleſiæ, nec an audiat Eccleſiam: & quamuis nomine Eccleſiæ in eo loco intelligatur Paſtor Eccleſiæ, etiam illis verbis ſignificatur Eccleſiam eſſe viſibilem; quia ſi Eccleſia non eſſet nota, & viſibilis non conſtaret, an id dicatur Paſtori Eccleſiæ, quia non conſtaret an ſit Paſtor Eccleſię, & idem ſignificatur Ioan. 20. illis verbis. *Paſce oues meas*, quia ſi Ecclesia non eſſet viſibilis, ignoraret Petrus, quas oues eſſet paſturus.

Et id ratione declaratur, & probatur, quia quamuis *Eccleſia* Dei eſſentialiter, & ſufficienter conſiſtat in congregatione fidelium, qui a ſola Fide interna, & ſecundùm ſe inuiſibili fiunt, & ſunt fideles: nihilominus Fides habet signa ſensibilia, quibus fit ſensibilis, ſeu visibilis (sicut etiam ſubſtantia, quæ ſecundùm ſe eſt inſensibilis, fit ſensibilis ſuis accidentibus ſensibilibus) in quibus signis fideles communicant, & habent ſocietatem, nempe profeſsionem ſensibilem ipsius Fidei internæ, ſacrificium ſensibile, Sacramenta ſensibilia, quę habuit *Ecclesia* ſolius Dei, & etiam *Ecclesia* Chriſti, ſimul cum pluribus alijs cæremonijs, quas etiam habuit ante aduentum ipſius Chriſti, quamuis non omnia fuerint eadem ac poſt aduentum Chriſti, & nunc poſt ipsius aduentum, non ſolum pro capite habet hominem Chriſtum visibilem, quem etiam habuit ante aduentum ipsius, ſed etiam Romanum Pontificem visibilem Vicarium Chriſti in terris.

Sed obijciunt hæretici illud Luc. 17. *Regnum Dei non venit cum obſeruatione, nec dicent, ecce hic, aut ecce illic; ecce enim Regnum Dei intra vos eſt.* Quibus verbis significare videtur Chriſtus *Ecclesiam* ſignificatam nomine Regni, eſſe aliquid internum, & inſenſibile. Reſpondemus, nomine Regni Dei intelligi non *Eccleſiam*, ſed Meſsiam, ſeu aduentum ipſius in mundum, quia eis verbis reſpondit Phariſęis interrogantibus, quando ventutum erat Regnum Dei, ſeu

Messias, & respondit iam venisse, & inter eos esse, & venisse absque signis seu absque obseruatione multis nota, quia paucis Pastoribus, & quibusdam alijs paucis nota fuit latissima Christi natiuitas: & inde occasione sumpta statim ad discipulos suos loquitur de suo secundo aduentu ad iudicandum. Hoc & alijs modis exponuntur dicta verba à Catholicis, & nullo ex eis modò exposita, fauent hæreticis.

Obseruandum est, quòd quamuis Ecclesia Christiana in particulari sit visibilis, potest nihilominus Fide diuina credi, & creditur hanc Ecclesiam Christianam esse veram Ecclesiam Christianam, quia aliud est, quod videtur, & aliud quod Fide diuina creditur, quia quod videtur sunt ipsæ personæ fideles, & earum caput, & professio externa Fidei: & quod Fide diuina creditur est, hanc congregationem earum personarum externe profitentium Fidem sub Romano Pontifice, esse veram Ecclesiam à Christo institutam, quia eodem fundamento, quo alia mysteria Fidei fiunt euidenter credibilia quoad reuelationem diuinam ipsorum, id est, quòd sint à Deo reuelata; de quo diximus disp. 3. diffi. 4. Etiam fit euidenter credibile prædictam congregationem esse ipsam Ecclesiam à Christo institutam, quia quoad hoc eadem est omnium mysteriorum ratio. Vnde de Fide est, seu Fide diuina credendum est, hanc numero Ecclesiam, quæ nunc sub Vrbano Octauo militat, esse veram Ecclesiam à Christo institutam ea proportione qua diffic. 13. dicemus de Fide esse hunc numero Papam, v.g. Vrbanum Octauum, esse verum Papam, seu caput Ecclesiæ.

DIFFICVLTAS VIII.

Quibus notis, seu proprietatibus gaudeat Ecclesia Christiana?

CONVENIVNT Catholici, Ecclesiam Christianam quatuor præcipuis notis affici, & discerni, ad quas possunt omnes aliæ reduci; & quibus fit euidenter credibile eã

esse

esse ipsam Ecclesiam à Christo institutam, nempe esse *Vnam & sanctam, & Catholicam, & Apostolicam*, vt dicitur in symbolo, quod in Missa canitur.

In primis Ecclesia Christiana est *vna* (sicut vnus populus) vnitate morali, quia in Ecclesia Christiana est vnum supremum caput, & vnus Spiritus, & vna Fides, & vnum baptisma, & vnus finis, nempe vna gloria: & non solum Ecclesia Christiana, seu vt à Christo instituta est vna, sed etiam Ecclesia prout fuit in statu innocentiæ, & prout fuit post pœnitentiam primorum Parentum ante aduentum Christi, & prout nunc est instituta, seu aucta à Christo est tantum vna, ratione vnitatis Fidei in omnibus statibus, & ratione vnius gratiæ, & charitatis, & ratione vnius finis, nempe gloriæ, & ratione vnius capitis præcipui, quia in omnibus dictis statibus Deus est, & fuit caput præcipuum Ecclesiæ, quia quamuis à tempore post pœnitentiam primorum Parentum, etiam homo Christus fuerit caput, non fuit caput distinctum à Deo, quia fuit caput subordinatum Deo, & quãuis nunc Romanus Pontifex sit caput, non tamen est caput distinctum ab homine Christo, quia est ei subordinatum, & Vicarius ipsius in terris.

Secundò Ecclesia Christiana est *sancta* ratione finis, & mediorum, & legum, & Sacramentorum, & Sacrificij, & totius ritus Ecclesiastici, & ratione doctrinæ, & quia tantum in ea, & non extra reperitur vera sanctitas in aliquibus membris illius, non in aliquibus determinatè, sed indeterminatè, in his videlicet, aut in illis; nota autem hæc non ita plene quadrat Ecclesiæ, prout erat ante aduentum Christi.

Tertiò Ecclesia Christiana est *Catholica, seu vniuersalis*, ratione vniuersitatis loci, quia fere toto Orbe diffusa est: & ratione temporis, quia saltem quoad Fidem, quæ est quasi forma Ecclesiæ, semper fuit, & erit: & etiam ratione doctrinæ, quam Paulus ad Titum, primò communem appellauit, id est, vniuersalem, & generalem, ratione temporis, & ratione loci, ea ratione, qua fides; nota autem hæc non ita plenè conuenit Ecclesiæ, prout erat ante aduentum Christi.

Quartò Ecclesia Christiana est *Apostolica*, quia præ-

dicatione Apostolorũ fundata est, & super Petrũ Apostolorum Principẽ, tanquã super firmã petram; & quia legitima successione ab Apostolis est traducta vsque ad præsens tempus; nota autem hæc tantum quadrat Ecclesiæ Christianæ, seu provt à Christo institutæ.

Addimus, Ecclesiam Christianam vniuersalem, conflatam ex omnibus fidelibus baptizatis, tam subditis Romano Pontifici, quàm ex ipso Romano Pontifice, etiam vt priuata persona, non posse nec ex malitia, nec ex ignorantia adhuc inuincibili errare in rebus aliquo modo ad Fidẽ, nec in rebus aliquo modo ad mores pertinentibus, quod saltem intrante Romano Pont. vt capite tradit Paulus 1. ad Timot. 3. illis verbis. *Ecclesia Dei est columna, & firmamentum veritatis.*

Et quamuis non sit certum in alijs nullo modo pertinentibus ad Fidem, nec ad mores, vniuersalem Ecclesiam errare non posse; pie tamen credi potest, nunquam errare, quia in ea sunt plures sapientes; & credi non potest eos omnes adhuc humano modo errare; præsertim, quia credi potest eos ab Spiritu Sancto illuminari ne errent in rebus, quæ à tota Ecclesia recipiuntur siue vt vera, siue vt probabilia: imo credi potest, quòd id, quod Ecclesia habet vt probabile; vel vt pium, non tantum sit tale, sed etiam, quod sit verum, quia credi non potest totam Ecclesiam, id quod est falsum, habere vt probabile, nec vt pium.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrum in terris sit aliquod visibile caput totius Ecclesiæ militantis?

SVpponimus, Christum Dominum esse caput non solũ Ecclesiæ triumphantis in cœlis, sed etiam Ecclesiæ militantis in terris, quia tamẽ degens in cœlis non gubernat visibiliter Ecclesiam militantem, seu peregrinantem, difficultas est, an in terris sibi substituerit Vicarium

qui

qui in ſpirituali gubernatione Eccleſiæ militantis vices ipſius gerat?

Circa quam conueniunt Catholici contra hæreticos, ſanctum Petrum fuiſſe Principem, & caput viſibile Apoſtolorum, & totius Eccleſiæ Chriſtianæ, quod illi promiſit Chriſtus illis verbis: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*: quia ex vna parte his verbis ſuprema poteſtas & Principatus in Eccleſia ſignificatur, vt verba ipſi præferunt, & Patres omnes exponunt, & ex altera parte non ſolum priora illa verba, ſed etiam hæc poſteriora: *Et ſuper hanc petram* referuntur ad Petrum, & non ad Chriſtum, quia in idiomate Syriaco, in quo Euangeliũ Matthæi ſcriptum fuit, nomen *Cephas*, quo vſus eſt Chriſtus, eſt maſculini generis, ſignificans lapidem, ſeu petram, ac proinde Chriſtus Petro dixit: *Tu es Petra, & ſuper hanc petram*: Interpres autem Latinus ſequutus Græcum interpretem voluit Petro tanquam mari nomen maſculinum: *Petrus*: accommodare: & ipſi tanquam fundamento ædificij Eccleſiæ, nomen fœmineum: *Petra*: accomodare.

Sed obijciunt hæretici, reliquos Apoſtolos etiam Paulum, & Mathiam excepto Iuda fuiſſe fundamenta Eccleſiæ, vt dicitur Apocalyp. 21. & habuiſſe iuriſdictionem, & poteſtatem in totum orbem, vt ſignificatur Matth. 10. & 18. & vltimo & Marc. 3. & vlt. & Luc. 6. & Ioann. 20. & ad Galat. 1. & 2. & ad Epheſ. 4. & 1. ad Corinth. 12. & eam poteſtatem, & iuriſdictionem immediatè accepiſſe à Chriſto, vt ſignificatur in prædictis locis, ergo Petrus non fuit caput & Princeps totius Eccleſiæ. Reſpondemus, reliquos Apoſtolos fuiſſe fundamenta Eccleſiæ, & habuiſſe poteſtatem, & iuriſdictionem in totum orbem, abſque præiudicio tamen primatus Petri, quia in eo ſenſu fuerunt fundamenta Eccleſiæ, quia ſcilicet primas Eccleſias vbique fundarunt, & gubernarunt, & doctrinam ipſis reuelatam vbique prædicarunt; & quia poteſtatem, & iuriſdictionem quam habuerunt in totũ orbem, habuerunt ſubordinatam Petro tanquam capiti, cui ſingulariter dictum fuit: *Paſce oues meas*: id eſt, omnes oues meas, & ita vt ipſi alij ſuccederent in eo Primatu, & Principatu, non verò reliquis Apoſtolis in poteſtate in totum orbem.

bem, plura alia obijciunt hæretici contra hanc veritatem, quæ poterunt videri apud Bellarm. lib. 1. Soar. disp. 10. sect. 1. & Turrian. disp. 15 dub. 1.

Vnde regimen Ecclesiæ est Monarchicum, id est, vnius supremi capitis, & Petrus fuit Monarcha, id est, ipse solus fuit caput, & supremum, quod etiam habet quicumque successor ipsius: quod fuit maximè congruum institutori illius, quia regimen Monarchicum est omnium præstantissimum, vt docet Arist. 8. Ethic. cap. 10. est enim præstantius quàm Aristocraticum, in quo nec omnes, nec vnus solus est caput, sed pauci; & quàm Democraticum, in quo tota communitas est caput.

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm Romanus Pontifex succedat Petro in Episcopatu, & in Ecclesiæ Primatu?

SVPPONIMVS, Petrum fuisse Episcopum Romanum, vt constat ex consensu historicorum, etiam veterum, & ex Patribus, & ex epistola 1. ipsius Petri, ac proinde Episcopum Romanum succedere Petro in Episcopatu.

Hoc ergo suppositò difficultas est, an Episcopus Romanus etiam succedat Petro in Primatu, seu in suprema potestate Ecclesiastica totius Ecclesiæ, quam habuit Petrus?

Circa quam conueniunt Catholici contra hæreticos, Episcopum Romanum succedere Petro in eo Primatu, seu Principatu totius Ecclesiæ: & eum habuerunt, & exercuerunt Episcopi Romani vsque ad Vrbanum octauum, qui nunc toti Ecclesiæ præest, quod Constantinus Imperator edicto publico expressit habito in 1. tom. Concilior. ante Decretal. Syluestri Papæ, quæ extant ante Concilium Nizenum primum, & id etiam expresserunt innumeri PP. ex quibus plures non fuerunt Episcopi Romani: quod etiam traditur in pluribus Concilijs Generalibus in Constantinopo-

litano

litano 1. Generali 2. in epistola ipsius Concilij ad Damasum Papam, quàm refert Theodoretus lib. 5. cap. 9. & in Concilio Ephesino Generali 3. & in Concilio Chalcedonensi Generali 4. actione 1. & 2. & 3. & in Concilio Constantinopolitano 2. Generali 5. in acclamatione hæreticorum, & in epistola Orientalium, & in actione 4. & in Concilio Constantinopolitano 3. Generali 6. seu 6. Synodo Generali, & in Concilio Nizeno 2 Generali 7. seu 7. Synodo Generali.

Sed obijciunt hæretici Canonem 6. Concilij Nizeni primi, in quo dicitur: *Antiqua consuetudo seruetur per Ægytum, Libiam, & Pentapolim, ita vt Episcopus Alexandrinus horum omnium habeat potestatem, quia & vrbis Romanæ Episcopo paritis mos est*: vbi Episcopus Alexandrinus, & Romanus dicuntur pariles, seu æquales, ac proinde Romanus, non præest toti Ecclesiæ. Respõdemus prædictis verbis tãtũ significari, quod Episcopus Alexandrinus habeat Episcopos suffraganeos, sicut etiam habet *Episcopus* Romanus, id tamen non tollit, quod Romanus etiam præsit *Ecclesiæ* Alexandrinæ, & toti *Ecclesiæ* præfectura suprema. Addimus, quod in principio dicti Canonis, ante dicta verba dicitur: *Trecentorum decem, & octo Sanctorum Patrum Canon sextus, quod Ecclesia Romana semper habuit Primatum*: qui refertur in Concilio Chalcedonensi actio. 16. quibus verbis *Episcopo* Romano Primatus tribuitur: ac proinde alijs verbis supra relatis non negatur illi Primatus, sed tantum significatur, quod sicut *Episcopus* Romanus specialiter, vt talis habet aliquos suffraganeos *Episcopos*, ita etiam Alexandrinus.

Plura alia obijciunt hæretici, de quibus prossunt
legi Bellarm. lib. 2. à capit. 14. & Soar.
disput. 10. Turrian. disp. 15.
& Petrus Hurtado
disput. 36.

(2.)

DIFFICVLTAS XI.

Vtrûm Episcopus Romanus succedat Petro in Primatu Ecclesiæ ex institutione Christi?

SVPPONIMVS, Vt constat ex dictis, supremam potestatem, & Primatum totius Ecclesiæ conuenisse Petro, & conuenire Romano Episcopo ex institutione Christi, quia non ab alio. Est tamen difficultas, an hæc suprema potestas coniuncta sit cum Episcopatu Romano ex Christi institutione, ita vt iure humano nequeat fieri separatio, seu quòd vna persona sit Episcopus Romanus, & altera Princeps totius Ecclesiæ?

Circa quam supponimus, Christum sua prima institutione non coniunxisse supremam potestatē Ecclesiæ cum Episcopatu aliquo, quia Petrus prius fuit Princeps totius Ecclesiæ, quàm Episcopus Romanus: Imò & prius quàm Episcopus Antiochenus.

Est ergo difficultas, an coniunctio potestatis supremæ Ecclesiæ cum Episcopatu Romano fuerit ex institutione Christi quasi secunda, an tantum propria authoritate Petri?

Sotus in 4. distin. 24 & Bañ. docent, eam coniunctionem factam fuisse propria authoritate Petri, & non ex institutione Christi, quia ex nullo fundamento constat factam fuisse ex institutione Christi. Vnde hi DD. inferunt, posse aliquem eligi ab Ecclesia in Pastorem, & Principem totius Ecclesiæ, qui non sit, nec eligatur in Romanum Episcopum.

Canus verò 6. de locis cap. 4. Turrecrem. 2. de Eccl. sia, cap. 40. Driedo 4. de Dogmatibus cap. 4. Valen. §. 37. Soar. sect. 3. & Granado sect. 3. nu. 15. docent, & meritò, supremam potestatem Ecclesiæ coniunctam esse cum Episcopatu Romano ex secunda institutione Christi. Quod non leuiter indicant PP. præsertim Marcellus Papa in epistola ad Antio-

chenos,

chenos, dum ait: *Petrum iubente Domino Romam ſedem ſuã ex Antiochia tranſtuliſſe*: Quod etiam ratione deſumpta ex cõgruentia, & ex perſeuerantia dictæ coniunctionis probatur, & quia maximè conueniens & congruum fuit, vt rem adeò grauem non ſtatueret Petrus propria authoritate, & quia credi poteſt, quòd ſi ea coniunctio non fuiſſet facta ex inſtitutione Chriſti, ſed propria authoritate humana Petri, aliquando in tot ſæculis dicta poteſtas ſuprema Eccleſiæ ſeparata fuiſſet ab Epiſcopatu Romano, quod nunquam factum eſt, quia etiamſi aliquando vixerint in Gallia, non tamen deſierunt eſſe Epiſcopi Romani. Dicta ergo coniunctio non adſtruitur â nobis abſque fundamento, vt aduerſarij falſò exiſtimant.

DIFFICVLTAS XII.

Ad quos pertineat electio ſummi Pontificis?

QVIA Aliud eſt deſignatio perſonæ ad ſummum Pontificatum, & aliud collatio ipſius ſummi Pontificatus ipſi perſonæ deſignatæ: Difficultas non procedit de collatione illius, quia hæc abſque dubio fit â Deo, ſed de deſignatione perſonæ, ad quos ſcilicet pertineat.

Circa hanc difficultatem ſupponimus, electores ſummi Pontificis non fuiſſe à Chriſto deſignatos, nec modum electionis fuiſſe à Chriſto præſcriptum, ſed totum id fuiſſe Eccleſiæ relictũ, & commiſſum, quia ſi fuiſſet id â Chriſto præſcriptum, illud idem tam quoad electores, quàm quoad modum fuiſſet ſemper in Eccleſia obſeruatum, & non fuiſſet multiplex modus, vt verè fuit; nec fuiſſent varij electores, vt verè fuerunt.

Vnde ad ipſum ſummum Pontificem, vtpotè Paſtorem, & gubernatorem totius Eccleſiæ, præcipuè pertinet præſcribere modum & deſignare perſonas ad electionem ſummi Põtificis, quæ in Eccleſia Chriſtiana eſt tanti momenti: & ſi ipſi placuerit modum diuerſum præſcribere, & diuerſos electo-

res designare, vt in diuersis temporibus fecerunt summi Pō-tifices varios modos electionis præscribendo, & varias per-sonas ad electionem faciendam designando: & defacto ad eam faciendam designati sunt Cardinales à Gregorio Septimo, & ab Vrbano: & ab Alexandro 3. requisitæ sunt duæ partes Cardinalium suffragantium ex tribus, ante quem maior pars sufficiebat: de quo legendi sunt Bellarmin. lib. 1. de Clericis præsertim capit. 11. & Soar. disput. 10. sect. 4.

Hoc ergo supposito 1. est difficultas, an summus Pontifex possit sibi successorem eligere, seu designare?

Caiet. opusc. de potestate *Papæ*, Turrecremat. lib. 2. & *Palud.* lib. de Repub. Ecclesiast. capit. 7. &. Turrian. disp. 15. dub. 3. partem negatiuam tuentur; quia hic modus eligendi, non est expediens *Ecclesiæ*, quia sic quasi iure hæreditario summi *Pontifices* sibi succederent. Quod confirmatur ex eo, quod nullus nisi *Petrus* sibi successorem designauit: & id potuit *Petrus* ex priuilegio Christi efficere.

Victoria verò relectione 2. de potestate *Papæ* q. 2. num. 2. & 3. & alij partem affirmatiuam tradunt, quàm probabilem censet Soar. disput. 10. sect. 4. & meritò, quia ad summum *Pontificem* vtpotè gubernatorem supremum totius Ecclesiæ spectat præscribere modum eligendi sibi successorem; quod autem antecessor sibi successorem eligat, non inuoluit repugnantiam, nec apertam indecentiam; quia eam non inuoluit, quod ipso viuente alter eligatur, quia id fit absque indecentia in electione Imperatoris; nec eam inuoluit, quod ea electio fiat ab vna tantum persona, quia summus *Pontifex* posset absque indecentia alicui personæ, præsertim magnę dignitatis, eam prærogatiuam concedere, v. g. Archiepiscopo Toletano, sicut ei, & cuicumque alij *Episcopo* potest absque indecentia concedere, quod sibi successorem nominet, seu eligat, ergo etiam ipse poterit absq; indecentia sibi successorem nominare non minus quàm quicumque alius Episcopus, præsertim cum sanctus *Petrus* sanctum Clementem in sibi successorem immediatum elegerit, vt cōstat ex epistolis ipsius Clementis, & ex epist. 2. Alexandri,

Papæ

Papæ Primi ad Orthodoxos, & ex epist. Ioan. *Papæ* III. ad *Episcopos* Germaniæ, & ex Can. *Si Petrus*, & ex Can. *Vnde*, 8. q. 1. Vnde Clemens fuit secundus summus *Pontifex* immediatus post *Petrum*; Linus verò tantum fuit summus *Pontifex* coadiutor *Petri*, adhuc viuentis, & Lino defuncto successit in dicto officio coadiutoris *Petri* Cletus: imò & defuncto *Petro*, cui immediatè successit Clemens perseuerauit Cletus in officio coadiutoris Clementis: si ergo Petrus sibi successorem elegit, & non constat id fecisse singulari aliquo priuilegio, nec reuelatione, credendum est id posse summum Pontificem efficere validè: imò laudabiliter quando aliqua grauis necessitas vrgeat, aut euidenter immineat.

Secundò est difficultas, ad quos pertineat electio summi Pontificis, quando nullus sit præscriptus modus electionis à summo Pontifice, nec sint ab ipso designati electores, aut si designati, moriantur post mortem summi Pontificis ante electionem noui, vt si nunc contingeret defuncto summo Pontifice omnes Cardinales mori ante electionem noui Pontificis?

Caietan. in Apologia 22. Bellarmin. lib. 1. de Clericis, & Turrian. disput. 15. dub. 3. docent, in eo casu electionem summi Pontificis ad Clerum Romanum pertinere, quia secluso iure positiuo, electio capitis, seu superioris pertinet iure naturali ad inferiores, & subditos, ergo tunc electio Episcopi Romani ad Clericos Romanos pertineret.

Victoria verò relect. 2. q. 2. de potestate Ecclesiæ, & Soar. disp. 10. sect. 4. docent tunc electionem summi Pontificis ad Concilium generale, seu ad Episcopos totius Christianæ Ecclesiæ pertinere, & meritò, quia summus Pontifex est superior totius Ecclesiæ, ergo secluso iure positiuo electio illius iure naturali ad clerũ totius Ecclesiæ præsertim ad primores nẽpè Episcopos pertinet, quia ex vna parte electio superioris iure naturali secluso positiuo ad inferiores pertinet, & ex altera etiãsi in electione summi Põtificis eligatur, non solum summus Pontifex, sed etiã Episcopus Romanus, quod in ea præcipuè eligitur, est supremus Pastor, & minus principaliter, & quasi accessoriè Episcopus Romanus, quia supremus

Pastor,

Pastor, vt sic principalior est Episcopo Romano vt sic: imò prius fuit supremus Pastor quàm Episcopus Romanus, & summo Pontificatui aduenit, seu accessit Episcopatus Romanus, & non è contra. Fateor electionem summi Pontificis duplici titulo pertinere ad Clerum Romanum, & quia est Episcopus peculiaris eorum, & quia etiam est supremus Pastor eorum, ad reliquos verò ex posteriori tantum titulo, nempè quia est supremus Pastor eorum: & ideò supposito quòd non erat satis conueniens electionem Romani Pontificis committi toti clero totius Christianitatis, ob maximam difficultatem, & dilationem, quæ esset in electione, satis conuenienter iure positiuo Pontificio electio summi Pontificis commissa est clero Romano, Principaliori, nempè Cardinalibus.

DIFFICVLTAS XIII.

Vtrùm sit de Fide hunc numero Papam, v.g. Vrbanum Octauum, esse verum Papam?

NON Procedit difficultas de summo Pontifice nondũ omnino pacificè suscepto ab Ecclesia; quia adest occasio aliqua prudens suspicandi eius electionem non esse legitimam, quia tunc non est de Fide eum esse verum Papam, sed tantum procedit de summo Pontifice absque suspitione, & controuersia aliqua suscepto ab Ecclesia, vt nunc susceptus est Dominus noster Vrbanus VIII. an scilicet Fide diuina credendum sit eum esse verum Papam?

Turrecrem. lib. 4. sum. §. 2. cap. 9. Albert. de agnoscendis assertionibus, q. 5. Caiet. 2. 2. q. 1. art. 3. in respon. ad 4. Bañ. art. 10. in prioribus comment. dub. 2. ad 2. Can. lib. 6. de locis, cap. vlt. Vega in Trident. cap. 39. Corduba lib. 1 quæst. 17. Castro lib. 1. contra hæreses, cap. 9 & alij vsque ad viginti septem Doctores docent non esse de Fide hunc numero hominem, seu Papam, v. g. Vrbanum Octauum (quamuis

absque

abſque controuerſia à tota Eccleſia ſuſceptum) eſſe verum *Papam*, quia Deus id non reuelauit, & quod Deus non reuelauit non ſit de Fide diuina. Quod confirmari poteſt, quia nullus poteſt eſſe verus Papa, qui non ſit baptizatus, ſed non cõſtat de Fide, quod hic homo, ſeu Papa ſit baptizatus, ergo non eſt de Fide, quod hic homo, ſeu Papa ſit verus Papa.

Quod ego anno Domini 1601. adducto in exemplum Clemente VIII. qui tunc erat *Pontifex Maximus*, palam, & in luce omnium defendi in Academia Complutẽſi in Gymnaſio Theologorum in actu, qui dicitur *Magna*, qui vnus erat ex nouẽ, quos tunc, nunc enim octo tantũ Academia ad Laureã Doctoralẽ conferendã exigebat: verſabar ego tunc in Collegio Maiori, ibiq; *Primarius*, ſic dicitur, Artiũ Regẽs eram. Propoſitioni prædictæ, vti moris eſt, ſubſcripſerunt D. Gregorius de la Camata Decanus Complutenſis, Cathedræ Sacræ Scripturę Regens emeritus, & D. Aluarus de Villegas, Cathedræ Veſpertinæ ſacræ Theologiæ Præfectus. Re tamen ad ipſum Clementem delata, Romam ab eo vocati fuimus (non carcerati, vt quidã falſo ſcribit) ad rationẽ dictæ propoſitionis reddendã; iamq; viæ accingebamur, cum obtentũ eſt à Pontifice, vt res in Hiſpania trãſigeretur, datis ad id iudicibus, à quibus re exactè diſcuſſa innoxij prorſus, & indemnes declarati doctrinaq; ipſa ſana planè iudicata. *Pẽdẽte interim cauſa*, cum peractis omnibus Theologiæ actibus vocandi iam eſſemus ad Laureã Doctoralẽ ordine à Doctoribus aſsinando iuxta cuiuscuiuſq; merita, ingenium, & Doctrinã, vt moris eſt in Academia Complutenſi, triginta & quinq; Doctoribus mihi ſuffragãtibus, ex duobus & quadraginta, qui tunc ius habebant ſuffragij, primus ego inter omnes deſignatus fui. Victoria hæc ſummo ſemper in loco mihi reponenda, quippè ex decem viris, qui ardentiſsimè de ordine, & loco à Doctoribus præſcribendo contendebamus: ſeptem Collegę fuerunt maiores: octo liberaliũ Artiũ Regẽtes: & quatuor deinceps Rectores Academiæ. Secundũ locũ obtinuit D.D. Ioannes de Pereda Primarius Scoti Cathedræ Regens, mox periculo ingeniorum facto, præ alijs Canonicus Conchenſis dictus: poſtea Eccleſiæ Ouetenſis

Episcopus, & Archiepiscopatus Toletani Gubernanor, summus plane in sacra Theologia vir. Tertius fuit Andreas Merino, Primarius Cathedræ sancti Thomæ Regens. Quartus, Melchior Boliuar, Academiæ Complutensis Rector, Vesperarius Sacræ Theologiæ Moderator, & Canonicus Toletanus. Reliqui fuerunt ex præstantissimis Academiæ Doctores, in quibus supra dictus Doctor Aluarus de Villegas, qui vti principalior Cathedræ Theologiæ Regens subscripsit. Hic est ille, qui postea Canonicatum Toletanum præ Curieli, alijsque doctissimis viris, qui cum eo ad id contentione litteraria certarunt magna cum laude tulit, deincepsque Gubernator Archiepiscopatus vice Serenissimi D.D. Ferdinandi Cardinalis Infantis institutus, & ipsi Coadiutor datus; clarior tamen multò ob integritatem, qua dum ei præfuit, se gessit, & altitudinem animi, qua ille se eo munere abdicauit, tresq; alios oblatos sibi Archiepiscopatus recusauit: cui præter alias virtutes singularis quædam castitas, imò & pudicitia fuit, adeo vt vel grauissimè ægrotans, ne sorores quidem germanas lecto assidere permiserit, vti ego ex earum vna accepi.

Soar. verò disp. 10. sect. 5. Petr. Hurt. disput. 37. sect. 2. & alij Recentiores in suis manuscriptis docent, de Fide esse, hunc numero hominem, seu Papam, v.g. Vrbanum VIII. esse verum Papam non absque probabilitate, quia id immediatè, & in se ipso reuelatum est à Deo, non reuelatione expressa, sed confusa sub hac vniuersali propositione: *Petrus & alij, qui post ipsum fuerint in Ecclesia Christiana legitimè electi, sunt Papæ, seu summi Pontifices, quilibet suo tempore*: ergo de Fide est, quod quicumque in particulari, qui fuerit legitimè electus ad dignitatem Petri, est verus Papa, Consequentia patet, quia ad Fidem diuinam sufficit pro obiecto formali, seu motiuo reuelatio confusa, vt dicimus disp. 2. difficult. 4. sed hic numero homo, seu Papa, v. g. Vrbanus VIII. qui nunc præest Ecclesiæ fuit legitimè electus, ergo de Fide est hunc numero, seu in particulari hominem, & Papam, v.g. Vrbanum VIII. esse verum Papam: Hæc etiam consequentia patet, quia vt sit de Fide non est necessarium, quod Fide constet, hunc numero hominem, v. g. Vrbanum

VIII. fuisse legitimè electum, sed sufficit, quod id aliâs Fide humana prudente constet, vt vere constat, imò prudentissima: de Fide enim est, hunc numero infantem, v. g. Petrum peccatum originale contraxisse, quia id est confusè reuelatum sub hac vniuersali omnem descendentem ex Adam contrahere peccatum originale, dum non gaudeat priuilegio diuino exemptionis, & prudentissimè, & certò moraliter constat hunc infantem, v. g. Petrum descendere ex Adam, & non gaudere priuilegio exemptionis; sicut vt aliquid sit de Fide non est necessarium, quod sit de Fide, quod Deus illud reuelauerit, sed sufficit quod Fide humana constet Deum illud reuelasse, vt dicimus disput. 3. difficult. 3. & 4. Ex quo cõstat ad rationem aduersariorum: & etiam ad confirmationem, quia non est necessarium, ad id quod sit de Fide, hunc numero hominem, & Papam esse baptizatum, sed sufficit quod id prudenter constet, vt verè potest.

DIFFICVLTAS XIIII.

Ad quos pertineat depositio summi Pontificis?

SVPPONIMVS, Summum Pontificem posse propria voluntate suæ supremæ potestati capitis totius Ecclesiæ, & Dignitati Romani Episcopi renuntiare, vt constat ex cap. 1. de renuntiatione in 6. & eius renuntiationẽ valere absq; consensu Ecclesiæ, vt in eo capite indicatur: & etiam posse ab vtraque dignitate deponi ob delictum hæresis, & non ob aliud delictum. Addimus, *& non ob aliud delictum*, quia ob alias causas, quæ nõ sunt delictũ, potest, vt ob amentiam perpetuam, quia hæc moraliter æquiualet morti. Et etiam quãdo est dubium de legitimitate suæ electionis.

Hoc ergo supposito, difficultas est, ad quos pertineat depositio summi Pontificis.

Turrecr. lib. 4. pun. 2. â c. 18. Bellar. lib. 2. de Rom. Pon. cap. 30. Cast. lib. 2. de iust. hæret. punit. cap. 23. & 24. Arag. tract. de Ecclesia, & Valen. disp. 3. q. 15. pun. 3. docent, summũ Põtificẽ non posse deponi ab Ecclesia, sed tantũ â Deo, & manere à Deo depositũ, eo ipso quod est hæreticus, vel tãtũ

quando est manifestus, vt docent Bellarmin. & Valent. vel etiam quando est occultus, vt docent Turrecremata, Castro, & Aragon. Quod autem nequeat deponi ab Ecclesia probatur, quia summus Pontifex est superior quàm *Ecclesia*, ergo nequit ab ea iudicari, & deponi: quod verò à Deo deponatur, eo ipso quod est hæreticus probatur, quia hæreticus etiã occultus, aut saltem manifestus, eo ipso est extra Ecclesiam, vt diximus difficul. 3. & non est Christianus, ergo eo ipso desinit esse summus Pontifex, & caput Ecclesiæ, & etiam Episcopus Romanus, quia summus Pontifex vt talis, & Episcopus Romanus vt talis, est intra Ecclesiam, & Christianus.

Caiet. verò de authoritate Papæ, cap. 18. & 19. Sotus in 4. dist. 22. q. 2. art. 2. Canus 4. de locis, cap. vlt. B. ñ. in prioribus Commentar. dub. 2. Soar. disput 9. sect. 6. Turrian. disp. 15. dub. 3. & Granado disput. 2. sect. 4. docent, & meritò, summum Pontificem quamtumuis hæreticum, cum adhuc manifestum, non deponi à solo Deo: nec eo ipso manere depositum; posse tamen ab Ecclesia deponi, quando est manifestus; non verò quando est occultus.

Prima pars, nempè summum Pontificem quamtumuis hæreticum adhuc manifestum non deponi à solo Deo, probatur, quia id nullo fundamento constat, quia quamuis in Scriptura præcipiamur vitare hæreticos, non tamen decernitur, quod eo ipso sint suis dignitatibus priuati, quia ad id verificandum in summis Pontificibus sufficit, quod sint vitandi post sententiam depositiuam ab Ecclesia latam, & in alijs post sententiam excommunicationis latam.

Secunda verò pars, nempè quod non eo ipso sit depositus, probatur, quia non iure naturali ipsius summi Pontificatus, quia hic absque dubio sua natura est compossibilis cũ hæresi, sicut etiam cum hæresi est cõpossibilis potestas absoluendi à peccati; nec iure diuino, quia de eo non constat; nec iure Ecclesiastico, quia nullum extat, nec scriptum, nec traditione constans.

Tertia pars nempè, quod quando est hæreticus manifestus, quãuis non mentaliter possit ab Ecclesia deponi probatur,

quia

quia ſuppoſito, quod nec a Deo, nec iure naturali deponitur, non eſt talis poteſtas deneganda Eccleſiæ, quia intolerabile eſſet, & incõueniens grauiſsimum eum non poſſe deponi, & ſi deponi poteſt, maximè ab Eccleſia, à qua ſola ſummus Pontifex eligitur.

Quarta pars, nempè, quòd quãdo eſt hæreticus occultus, nequeat deponi, probatur, quia nequit quando tantũ eſt mẽtalis, quia Eccleſia non iudicat de omnino internis; neque quando eſt hæreticus exterior occultus, quia tunc non poteſt media ſententia deponi ex defectu probationis, nec medio aliquo iure Eccleſiaſtico generali, quo decretum ſit ſummum Pontificem exteriùs hæreticum eo ipſo deponi, quia ſummus Pontifex nulli iuri Eccleſiaſtico poteſt eſſe ſubditus quoad vim coactiuam; ius autem illud eſſet coactiuum.

Depoſitio autem ſummi Pontificis, ſicut eius electio iure naturali pertinet ad Clerum totius Eccleſiæ, præſertim ad Primores, nempè ad Epiſcopos, & nunc ad eos pertinet, quia iure Pontificio nõ ſunt aliqui deſignati ad id, nec Cardinales, quamuis hi deſignati ſint ad electionem: eſt autem depoſitio facienda ab Epiſcopis, aut in Concilio generali congregatis, ſiue ex ſe ipſis, ſiue à Decano Cardinalium vocatis, ſiue aliter, aut extra Concilium ſuffragantibus, dum de eorum ſuffragijs conſtet: ante depoſitionẽ tamen eſt aliquoties admonendus, dum ſit ſpes aliqua reſipiſcentiæ; & dum ea eſt, quouſq; ſit admonitus nõ poteſt licitè, nec valide deponi, & multò minus quãdo admonitus reſipiſcit, quia in vtrouis caſu ceſſat cauſa ob quam ſummus Pontifex poteſt deponi, nempè ne in Eccleſia præſit hæreticus ad excludendũ pernicioſiſsimum Paſtorem: & non in pœnam hæreſis, quia Eccleſia non poteſt eum punire, cum non ſit ipſo ſuperior; ad deponendum autem ſummũ Pontificem nõ eſt neceſſariũ, quòd deponens ſit ipſo ſuperior, ſicut nec ad eum eligendũ, vt ſupra diximus. Ex quo conſtat ad rationem aduerſariorũ.

Ad confirmationem verò reſpondemus, quòd etiamſi Papa hæreticus non ſit intra Eccleſiam, nec Chriſtianus ſubſtãtialiter, & ſimpliciter, vt diximus difficult. illa 3. eſt tamen accidentaliter, & ſecundum quid ratione Characteris Baptiſmalis, ratione cuius eſt capax iuriſdictionis exterioris Ec-

cleſiaſticæ etiam ſupremæ; ſicut etiam infidelis baptizatus, quamuis non ſit intra Eccleſiam ſimpliciter, & ſubſtantialiter, eſt tamen ſecundum quid, & accidentaliter ratione Characteris Baptiſmalis, ratione cuius eſt ſubditus Eccleſiæ, vt poſsit ab ea dirigi, & puniri.

PP. verò nonnulli, qui ab aduerſarijs pro ſe afferuntur, vel tantum loquuntur de Pontificibus, ſeu Prælatis inferioribus, qui eo ipſo quod ſunt hæretici, ſunt iure Eccleſiaſtico excommunicati, quod non habet locum in ſummo Pontifice, qui nequit eſſe excommunicatus, aut ſi loquũtur de ſummis Pontificibus, tantum volunt eum eſſe dignum vt deponatur, de quo legendus eſt Granado ſect. 5.

DIFFICVLTAS XV.

Vtrùm ſummus Pontifex errare poſsit in tradenda doctrina Fidei, & morum?

SVMMVS Pontifex dupliciter conſiderari poteſt, vno modo vt priuata perſona, ſeu vt priuatus Doctor, vt quãdo aliqu d docet non intendendo obligare Eccleſiam ad id amplectendum: altero modo vt ſummus Pontifex, vt quando aliquid docet vt ſuperior intendendo obligare ad amplectendum illud.

Supponimus ergo, ſummum Pontificem, vt priuatã perſonam, ſeu vt non ſuperiorem poſſe errare etiam contra Fidem, non ſolum abſque pertinacia ex ignorãtia inuincibili, in quo DD. cõueniunt, quia nullo fundamẽto ipſi poteſt attribui vt priuatæ perſonæ priuilegiũ non errandi ſic; ſed etiã poſſe ſcienter, & pertinaciter, ſeu hæreticè errare, quod contra paucos aliquos docent Adrian. in 4. q. de confirm. art. 3. Caſtro 1. contra hæreſes c. 2. Driedo, Cai. Canus, Sot. Valẽt. Turrian. Caſtro Legion. tract. 14. diſp. 1. pun. 5. & com. DD. quia abſq; firmo fundamento conceditur ſummo Pontifici, quod vt priuatus Doctor nequeat contra Fidem ſcienter, & pertinaciter errare; poſſe etiã adhuc vt ſum. Pontificẽ practicè, & ſecundũ Prudentiã errare in multiplicitate legũ rerum agendarũ, & etiam in omiſsione tradendi aliquas, &

etiam

etiam posse, vt iudicem circa res gestas errare ferendo sentẽtiam, qua innocentem condemnet, & reum absoluat.

Hoc supposito, difficultas est, an possit, vt summus Pontifex, seu vt superior errare in tradenda Fidei, & morum doctrina?

Circa hanc difficultatem non solum hæretici, sed etiam nonnulli Catholici docent, summum Pontificem vt talem errare posse circa res Fidei, & circa res ad mores pertinẽtes, vt circa contractus, an aliquis sit licitus, vel non, & circa alia opera moralia, an sint licita vel non?

Nihilominus Theologi Catholici communiter conueniunt, & meritò, summum *Pontificem* vt talem non posse errare circa res Fidei, nec circa res ad mores pertinentes. *Et* in primis quod nequeat errare circa res Fidei, siue morales siue non morales, significant PP apud Bellar. lib. 4. de Rom. *Pontifice* â capit. 3. & id significatur illis verbis Matth. 22. *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat Fides tua, & tu aliquãdo conuersus confirma fratres tuos*: quia eis verbis Christus ad *Petrum* conuersus, ipsi vt summo Pastori loquitur, ac proinde significat, quod ipse procedens vt summus *Pontifex*, & quicumque legitimus successor ipsius, non errabit circa res Fidei, vt in eis posit sibi subditos veraciter confirmare: in quo sensu ea verba intelligunt Leo Primus serm. 3. de ascensione sua ad Pontificatum, & Leo 9. in epist. ad Petr. Antiochen. & Innoc. II. in epist. ad *Episcopum* Arelatensem & id sensit Damasus Papa epist. ad Stephanum, dum summum *Pontificem* appellat Doctorem orthodoxæ, & immaculatæ Fidei. Quod etiam ratio ipsa suadet, quia id est maximè conueniens Ecclesiæ, vt dum res Fidei non est clara, sed dubia, aut obscura, à summo *Pontifice* definiatur, & independenter à Concilio generali, quia sæpè expedit rem aliquam breuiter definire, & Concilium generale nequit breuiter, nec facilè congregari, & aliquando nequit ob bella, aut ob alia impedimenta congregari.

Deinde quod nequeat circa alias res ad mores pertinẽtes, quãuis non omnino ad Fidem pertineant, errare, definiendo videlicet, seu proponẽdo Ecclesiæ aliquid inhonestũ tanquã honestum, nec è contra aliquid honestum tanquã inhonestũ significatur illis verbis Ioan. 21. *Pasce oues meas*, quia eis ver-

bis peculiariter Petro, vt ſummo Pontifici & ſucceſſoribus ipſius conceditur authoritas paſcendi, non tam prædicando, quæ omnibus Apoſtolis generaliter fuit conceſſa Matt. vlt. *Euntes docete omnes gentes, & prædicate Euangelium omni creaturæ*: quàm proponendo, & definiendo, & authoritas paſcendi nõ quocumq; paſtu, ſed ſalutari, non venenoſo contra ſanctitatem Eccleſiæ, proponendo inhoneſtum tanquam honeſtum, nec paſtu non ſalutari, & falſo contra veritatem Eccleſiæ, proponendo honeſtum tanquam inhoneſtum.

Ita tamen certum eſt ſummum Pontificem non poſſe in aliquo ex dictis errare, vt oppoſitum ad minus ſit temerariũ; & quamuis id non ſit de Fide, vt nonnullis placet; id tamen quod ſummus Pontifex definit tanquam â Deo reuelatũ eſt abſque dubio Fide diuina credendum; quando verò non definit tanquam â Deo reuelatum, ſed tanquam certum, aut tãquam probabilius, quod ex contextu, aut ex verbis definitionis diſcernendum eſt, ſic eſt recipiendum.

Sed obijciunt aduerſarij primò varias ſummorum Pontificum definitiones, in quibus videntur errare. Reſpondemus, ſi aliquid erroris in aliqua definitione ſummi Pontificis reperitur non eſſe in ipſa ſubſtantia, quam tantum definire intendit, ſed in aliquibus adhærentibus, quia in his errare poteſt, de quo legendi ſunt Bellarm. lib. 4. de Rom. Pontifice â cap. 8. Valent. §. 41. Turrian. diſput. 6. & Caſtro Legionenſis, §. 2.

Obijciunt ſecundò, vt Pontifex in ſuis definitionibus non erret, neceſſaria eſt matura conſideratio, & diligentia prudens iuxta qualitatem rei definiendæ, vt in definiendo procedat humano modo, ſed non eſt certum ſummum Pontificem eam diligentiam adhibere antequam definiat, ergo non eſt certum in ſuis definitionibus non errare. Reſpondemus admittendo, quod conſideratio, & prudens diligentia ſit neceſſaria ad veritatem definitionis, ſeu vt in definitione non erret (quod non omnes admittunt) negamus tamen non eſſe certum ſummum Pontificem eam non adhibiturum, quia Deus qui aſsiſtit Pontifici in definiendo etiam aſsiſtit, vt non definiat ante dictam diligentiam adhibitam.

Ex dictis constat, Summum Pontificem errare non posse in canonizatione Sanctorum; nec in eorum Beatificatione, nec in approbatione Religionis, quia hæres quamuis non omnino pertineant ad Fidem (nisi canonizatio, vel Beatificatio alicuius, de cuius sanctitate inamissibili constat ex reuelatione, vt Beatificatio Beati Eliæ facta in fauorem Carmelitarum) sunt tamen morales, & maximè vtiles Ecclesiæ, & in quibus error esset valde perniciosus.

Est autem canonizatio, *Institutio Canonica, qua decernitur aliquem tanquam sanctum esse absolute, & absque limitatione honorandum*, quæ pro tota Ecclesia semper pertinuit ad Sum Pontificem; & antiquitus etiam pertinuit ad Episcopos pro suis Diœcesibus; quod iam est illis prohibitum ab Alex. 3. in cap. *Audiuimus*, de Reliquijs, & veneratione Sãctorum: & potest fieri à Summo Pontifice tam tacito consensu approbante, quod fit à tota Ecclesia honorante aliquem tanquam sanctum, vt antiquitus ante Leonem Tertium, quã expresso consensu, & scriptis tradito, vt cœpit fieri ab ipso Leone III. anno 804. cui æquiualet canonizatio qua quis scribebatur vt sanctus in Martyrologio Romano; vnde in eo contenti possunt honorari, sicut qui nunc solemniter canonizantur, nempè eos nominando Sanctos; & eis Templa, & altaria dicando; & in eorum memoriam sacrificium Missę, & diuinum officium Deo offerendo; & diem eorum festum instituendo, & illud obseruando; & eorum imagines splendore depingendo, & eas, & eorum Reliquias adorando.

Beatificatio verò (quæ non multis ab hinc annis à Summis Pontificibus fieri cœpit) *est publicatio, potestas, seu licentia à Summo Pontifice facta, vt aliquis tanquam sanctus publicè honoretur sub limitatione.* Differt ergo Beatificatio à canonizatione, quod hæc est sententia qua decernitur aliquem esse absolutè tractandum vt sanctum: Beatificatio verò non est sententia, sed tantum licentia facta, vt quis veneretur tanquam sanctus, & non vt absolutè, sed restrictè, & limitatè, nempe, vel ad certas personas alicuius Prouinciæ, aut Religionis, vel ad certum diem, vel ad certum genus cultus. Vnde eis non potest publice deferri maior cultus, quã expresse concessus, & qui ex expresse concesso inferatur; ac

pro-

proinde quando Beatificatio restringitur ad certas personas, nempe alicuius Religionis, vt illæ possint Missam in eorum memoriam celebrare; id non possunt aliæ personæ, vt aduertit Turrianus disp. 17. dub. 8. etiamsi oppositum sit satis probabile, & possit tuta conscientia fieri, quia id docet Castro p. 5. §. 5. & ei subscripserunt plures, & grauissimi viri quos ipse refert, poterit tamen appellari Sanctus, si in diplomate dicatur, quod possit appellari Beatus, quia in officio diuino pro eodem vsurpantur; & quando alicui Beatificato conceditur, quod in eius memoriam possit offerri Sacrificium Missæ, etiam potest in eius honorem altare erigi, vt in eo sacrificium offeratur; & etiam sacellum ædificari, vt in eo erigatur altare, imò & Templum ædificari, vt in eo sacellum ædificetur, & in hoc altare erigatur.

DIFFICVLTAS XVI.

Quid: & quotuplex sit Concilium?

De Conciliis.

CIRCA Prius, Concilium nihil aliud est quàm Ecclesiasticorum congregatio ad res Fidei, vel mo ũ tractãdas.

Circa posterius, Concilia sunt in quadruplici differentia, quia alia sunt Diœcesana, seu Episcopalia, ad quæ saltem Archipresbyteri vnius Episcopatus pertinent tanquam membra, qui à suo Episcopo conuocantur, & hic per se, vel per alterum in eis præsidet. Alia sunt Prouincialia ad quæ pertinet Episcopi vnius Prouinciæ, qui à suo Archiepiscopo Metropolitano conuocantur, & hic per se, vel per alterum in eis præsidet. Alia sunt nationalia ad quæ pertinent Episcopi vnius nationis, aut Regni, qui conuocantur à suo Patriarcha seu Primate, Et hic per se, vel per alterum in eis præsidet. Alia sunt generalia ad quæ pertinent Episcopi totius Orbis, qui conuocantur à Summo Pontifice, quando adest indubitatus, & hic per se, vel per suos legatos in eis præsidet, de quibus ex professo infra agemus.

Concilia omnia generalia a Summo Pontifice approbata, seu confirmata, quæ à principio Ecclesiæ Christianæ sunt celebrata, referunt Soar. disp. 11. & Granado tract. 8. disp. 1.

sect.

sect. 1. & Concilia omnia non generalia approbata, & confirmata à Summo Pontifice, quæ etiam à principio Christianæ Ecclesiæ sunt celebrata, refert idē Granado disp. 2. sect. 1.

DIFFICVLTAS XVII.

Ad quem pertineat congregare Concilia, & in eis præsidere?

CONueniunt Catholici, & aliqui hæretici, Concilia Diœcesana seu Episcopalia congreganda esse ab Episcopo, & Prouincialia ab Archiepiscopo Metropolitano. Et nationalia à Patriarcha seu Primate: Et ad ipsos pertinere in eis per se, vel per alios præsidere.

Est tamen difficultas, ad quem pertineat Concilium generale authoritatiuē congregare, seu ad illud conuocare; & in eis præsidere? Procedit autem quando non vacat Sedes, nec adest Summus Pontifex, de cuius electione dubitatur, sed adest Summus Pontifex indubitatus.

Circa hanc difficultatem Catholici contra hæreticos asserentes id pertinere ad Imperatorem, conueniunt ad solum Summum Pontificem authoritatiuè pertinere, vt constat ex tota dist. 17. & ex dist. 96. Can. *Bene quidem*, & ex cap. *Significasti*, de electione. Quod etiam tradunt plures Summi Pontifices, & traditur in aliquibus Concilijs generalibus, de quo legendi sunt Bellarm. to. 1. controuers. 4. Soar. sect. 3. Turrianus dub. 1. Et ratio est manifesta, quia solus Summus Pontifex est caput totius Ecclesiæ, Pastor, & Gubernator, ergo ad ipsum solum pertinet congregare Concilia generalia, in quibus congregantur membra vniuersalis Ecclesiæ, & in quibus agitur de rebus ad totam Ecclesiam pertinentibus, & in eis præsidere, sicut etiam ad solum Regem pertinet conuocare ad comitia, in quibus congregantur membra sui Regni, & in quibus agitur de rebus ad regimen totius Regni pertinentibus, & in eis præsidere. Quomodo verò congregandum sit Concilium Sede vacante, aut quando adest Pontifex hæreticus, aut de cuius electione legitima dubitatur, dicitur dist. 14.

Sed obijciunt hæretici, aliqua Concilia generalia congregata esse ab Imperatoribus; & in eis præsedisse, ergo Respondemus nullum fuisse congregatum absque authoritate Summi Pontificis, etiamsi ad aliqua congreganda adiutus fuerit ab Imperatoribus, quod efficiebat Summus Pontifex, etiam vt Imperator ea non impediret, nec in aliquo præsedisse, etiamsi in aliquibus adstiterit.

Alia etiam obijciuntur ab hæreticis, quæ videri possunt apud prædictos Auctores.

DIFFICVLTAS XVIII.

Qui pertineant ad Concilium generale, & conuocandi sint ad ipsum?

SVPPONIMVS, Varios etiam laicos ad varia munera Concilio generali interesse, quia alij assistunt ad authorizandum, & ad defendendum Concilium; alij ad ministrandum, alij ad disputandum de rebus in Concilio tractandis; & alij tanquam veræ partes, & vera membra illius.

Hoc supposito difficultas est, qui pertineant ad Concilium generale tanquam partes, & membra illius?

Hæretici affirmant, omnes sapientes cuiuscumq; status esse partes, & membra Concilij generalis, & in eo habere suffragium decisiuum, quod Brentius, & alij limitant ad prædestinatos, quia existimant eos solos ad Ecclesiam pertinere.

Catholici tamen conueniunt, ad Concilium generale iure ordinario solos, & omnes Episcopos totius Orbis pertinere tanquam partes, & membra illius: & ex priuilegio Cardinales non Episcopos, & Abbates habentes iurisdictionē Episcopalem, & Generales Religionum, quia Episcopi ex vi sui officij sunt Præcipui, & in rigore Pastores, & ipsi soli: reliqui vero inferiores adhuc Parochi non tam sunt in rigore Pastores, quam adiutores, & Ministri (Hispane çagales) Pastorum nempè Episcoporum, ergo Episcopi iure ordinario,

vt

vtpotè ex vi ſui officij principales Paſtores pertinent ad Cõcilium generale tanquam membra habẽtia ſuffragium ad definiendum, & ſtatuendum in eo: Cardinales verò non Epiſcopi, & dicti Abbates, & Generales ex priuilegio Summi Pontificis habent authoritatem ad ferendum ſuffragium, vt conſuetudo oſtendit. Sub *Epiſcopis* etiam comprehẽdimus annullares, quia etiam iſti habent iuriſdictionem, & ſunt veri Paſtores in actu primo quamuis in ſuo territorio nullum habeant ſubditum; non tamen comprehẽdimus *Epiſcopos*, qui ex licentia Summi Pontificis iam renuntiarunt Epiſcopatui, quia iſti quamuis fuerint, iam tamen non ſunt veri Paſtores adhuc in actu primo.

Vnde ſoli Epiſcopi, & Cardinales, & dicti Abbates, & Generales Religionum ſunt ad Concilium generale conuocandi tanquam membra, & partes illius.

Et quia per ſe, & iure ordinario ad Concilium generale pertinent omnes Epiſcopi prædicti, ideò quantum commodè, & humano modo poſsit, debet conuocatio eſſe generalis ſeu vniuerſalis ad omnes eos relata, etiamſi non perueniat ad omnes in particulari; nec eſt neceſſarium, quod omnes congregentur; imò nec quod maior pars dum bona pars cõgregetur, quia tunc hæc bona pars *Epiſcoporum* poſt conuocationem modo dicto, verè repræſentat vniuerſalem Eccleſiam, præſertim cum ex authoritate Summi Pontificis, qui poſt dictam conuocationem congregati ſunt, etiam obtineant vices abſentium, & eſt, & dicitur ſimpliciter Concilium generale, non ſolum ex parte conuocantis, & præſidentis, quia conuocans, & præſidens ſiue per ſe, ſiue per alium eſt Paſtor vniuerſalis, ſed etiam ex parte congregatorum: imò congregatio Epiſcoporum vnius tantum nationis, aut Prouinciæ, quamuis ipſi ſoli ſint vocati à Summo Pontifice, & ipſe per ſe, aut per alium præſideat dici poteſt Concilium generale, ſaltem ſecundum quid ratione conuocãtis, & præſidentis; & ratione authoritatis tunc à Summo Pontifice ipſi congregationi pro tota Eccleſia communicatæ, ſi eis ad id communicetur, vt poteſt.

(.?.)

DIF-

DIFFICVLTAS XIX.

Vtrum Concilium generale errare possit in tradenda doctrina Fidei, & morum?

PROCEDIT Difficultas de Concilio generali legitimè congregato, & legitimè perseuerante, & in eo præsidente Romano Pontifice per se, vel per alium.

Conueniunt ergo Catholici, Concilium generale approbatum seu confirmatum à Summo Pontifice, errare nō posse in tradenda doctrina Fidei, nec in tradenda doctrina morum. Quod ad minus est tam certum, quam Summum Pontificem errare non posse: imò id est magis receptum, quia id recipitur ab omnibus Doctoribus Catholicis, & non illud; & id magis constat, quia Concilium generale cum Romano Pontifice illud approbante superaddit authoritatem Episcoporum habentium suffragium decisiuum ad definiendum, quæ ad Fidem, & ad mores attinent.

Est tamen difficultas, an Concilium generale legitimè congregatum, & in eo præsidente Romano Pontifice, vel per se, vel per legatos, possit errare ante approbationem seu cōfirmationem Romani Pontificis?

Sotus in 4. dist. 20. q. 1. art. 4. Castro lib. 1. de iusta hæret. punit. cap. 6. Corduba in tract. arma Fidei, proposit. 9. Aragon. 2. 2. q. 1. art. 10. quibus adhærere videntur Vega lib. 1. in Trident. sess. 6. & Soar. disp. 5. sect. 7. in fine, docent errare non posse. Primò, quia Concilium generale legitimè congregatum, & Romano Pontifice Præside per se, aut per aliū, repræsentat vniuersalem Ecclesiam; quæ est columna, & firmamentum veritatis, ergo Concilium generale, aut maior pars illius, quæ etiam facit Concilium, nequit ante confirmationem Summi Pontificis errare. Secundò, quia Episcopi in Concilio generali habent suffragium decisiuum, seu definitiuum ad decidendum, seu definiendum, ergo Concilium generale, aut maior pars illius errare non potest. Vnde iuxta hāc sententiā Romanus Pōtifex nequit cōformari minori parti, aliàs suffragium Episcoporum non esset decisiuum, sed tantum consultiuum.

Caiet.

Caiet. verò tract. de authorit. Papæ c. 11. Turrecremata lib. 3. c. 58. Canus 5. de locis, c. 5. Bellar. lib. 2. c. 11. Valen. §. 14. & Granado tract. 8. disp. 1. sect. 3. docent errare posse, & non absq; probabilitate, quia nullo firmo fundamento constat priuilegiũ non errandi concessum esse Cõcilio generali, quãuis legitimè cõgregato, & in eo Præsidente Romano Põtifice adhuc per se ipsũ, quia id nõ cõstat ex eo quod Cõciliũ generale repræsẽtat *Ecclesiã*, nec ex eo quod *Episcopi* in eo *Concilio* vtpote Pastores habent votũ decisiuũ ad definiendũ, vt iudices. Et in primis id non constat ex eo quod repræsentet *Ecclesiã*, quia priuilegiũ personale repræsentati, non eo ipso confertur repræsentanti: priuilegiũ enim non errãdi cõcessum Petro, & successoribus ipsius nõ cõceditur legatis, seu Vicarijs eorũ, ergo quãuis Ecclesia ipsa per Cõciliũ generale repræsentata nequeat errare, nõ fit Cõciliũ generale non posse errare; præsertim quod Episcopi absq; Sũmo Põtifice, saltẽ vt priuata persona non repræsentãt totã Ecclesiã, quia Romanus Pontifex etiã vt priuata persona est pars Ecclesiæ. Nec id constat ex eo quod *Episcopi*, vtpote Pastores habeant suffragiũ decisiuũ in Cõcilio generali ad definiendũ tanquã iudices, quia eorũ suffragiũ esse decisiuũ nõ est esse infallibile, aliàs nullius suffragiũ posset esse falsum, & primo suffragio dato reliqua essent superflua; sed esse decisiuum nihil aliud est, quam ex authoritate, seu ex iurisdictione definire, quamuis aliquando falsum, sicut etiam ex iurisdictione traditur sententia absoluens, vel condemnans, quæ aliquando re ipsa est iniqua.

Ita tamen Concilium generale potest errare ante confirmationem Summi Pontificis, vt non solum maior pars Episcoporum, sed etiam omnes Episcopi, & legati Summi Pontificis non instructi à Summo *Pontifice*, vt Summo *Pontifice*, possint errare, quia priuilegium non errandi non est concessum Episcopis seorsim à legatis, nec legatis seorsim ab Episcopis, nec *Episcopis*, & legatis simul, quia id ex nullo fundamento constat: imò nec id potest illis à Summo Pontifice communicari. Vnde Summus Pontifex potest non conformari maiori parti Concilij, imò nec toti Concilio.

Ex dictis constat, Concilia non generalia multo meliùs errare posse ante confirmationem Summi Pontificis; post eã verò omnia decreta eorum manere infallibiliter vera ex priuilegio non errandi, quo Summus Pontifex vt talis gaudet.

Circa authoritatem Sanctorum *PP.* & Doctorum Theologorum credimus, quod quando in aliquo ad Fidem, aut ad morem pertinens, omnes aut fere omnes Patres, aut Doctores Theologi nullo magnæ authoritatis oppositum docente conueniunt, id ex professo tradentes tanquam reuelatum à Deo, est habendum, & amplectendum, tanquam de Fide, quia eorum consensio est grauissima propositio diuinæ reuelationis: at quando non conueniunt in aliquo tanquam reuelato à Deo, sed tanquam in vero, quamuis id non sit de Fide, est tamen certo habendum tanquam verum, ita vt oppositum sit temerarium (nisi pro opposito magnum inueniatur fundamentum) quia temerarium est torrenti Patrum, aut Doctorum Theologorum opponi, nisi quando forsan magnum inueniatur fundamentum.

DIFFICVLTAS XX.

De Traditione.

Quid, & quotuplex sit Traditio?

CIRCA Prius vox *Traditio* vsu Theologorum accommodata est ad significandam doctrinam Fidei, aut institutionem ad mores pertinentem à primo Auctore ipsius non scriptam, sed verbo tantum traditam alteri. Traditio ergo est communicatio doctrinæ, aut institutionis alteri à primo Auctore facta non scripto, sed verbo. Vnde non obstat traditioni, quod postea sit ab alijs scripta.

Circa posterius traditio est multiplex, quia in primis traditio multiplicitate desumpta ex Auctoribus ipsius, alia est diuina, nempe communicatio doctrinæ, aut institutionis primo facta à Christo docente Apostolos, qualis est, quæ est circa materias, & formas aliquorum Sacramentorum, quæ etiam solet dici Apostolica, quia per Apostolos promulgata est, sicut lex vetus etiam dicebatur Mosayca seu Moysis, quia à Moyse fuit promulgata. Alia est traditio Apostolica, nempè communicatio doctrinæ, aut

insti-

institutionis facta ab Apostolis docentibus Ecclesiam, qualis creditur esse communicatio institutionis ieiunij quadragesimæ. Alia est Ecclesiastica; nempe communicatio doctrinæ, vel institutionis, quæ post Apostolos primò facta est ab Ecclesia. Deinde traditio multiplicitate desumpta à materia ipsius est duplex vna Fidei, qua communicatur doctrina Fidei, altera morum, seu moralis, qua communicatur aliquid ad mores pertinens. Et tandem traditio multiplicitate desumpta ex modo ipsius, vna est necessaria, nempè quæ facta est tanquam præceptum, & habet vim obligandi; & altera libera, nempè quæ tradita est tanquam consilium, & non habet vim obligandi.

Ad discernendum autem, seu dignoscendum quid communicatum sit, & habeatur traditione diuina, quid Apostolica, & quid Ecclesiastica, obseruandum est illud communicatum fuisse seu haberi traditione diuina, quod pertinet ad Fidem, vel ad mores, & Ecclesia obseruat, & non potuit communicari, nisi à Christo, vt aliqua quę pertinent ad materias, & formas Sacramentorum, quia non potuerunt institui nisi à Christo; & etiam omnia quæ pertinent ad Fidem diuinam, quia ea non possunt niti nisi reuelatione diuina: & illud fuisse communicatum, seu haberi traditione Apostolica, quod pertinet ad mores, & obseruat Ecclesia, & potuit ab Apostolis institui, & discernitur fuisse post ipsos institutum, quãuis etiam potuerit ab Ecclesia institui, cum ipsi fuerint primi Ministri Christi, & primi Magistri, & quasi prima fundamenta Ecclesiæ Christianę. Et illud communicatum fuisse, & haberi traditione Ecclesiastica, quod pertinet ad mores, & Ecclesia obseruat, & potuit ab ea institui, & constat post tempora Apostolorum fuisse institutum.

Obseruandum est, traditionem diuinam eandem vim habere, ac Scripturam sacram, quia eiusdem auctoritatis est Verbum Dei non scriptum, & scriptum, vt patet; quia vtrique aquè repugnat fallibilitas. Vnde traditio diuina quatenus includit aliquid reuelatum à Deo, est infallibilis regula Fidei, non minus quam Scriptura diuina.

(·.·)

DIFFICVLTAS XXI.

Vtrum sit traditio aliqua diuina?

HÆretici existimant, præter Scripturam sacram, nullam esse traditionem diuinam, nec esse necessariam, quorum præcipua fundamenta postea nobis obijciemus.

Catholici tamen docent, esse traditiones diuinas, & eas esse necessarias. Et in primis eas esse significat Paulus 2. ad Thessalonicenses 2. *Tenete traditiones quas dediciſtis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* Et eas admittit Tridēt. sess. 4. & negari non possunt, quia multa traduntur Fide diuina, quæ non continentur in Scriptura, nempe quod infantes licite, & valide baptizentur: & non pauca circa materias & formas Sacramentorum. Et quod Beatissima Virgo semper fuerit Virgo; & quod hæc in particulari sit Scriptura sacra: & alia sexcenta, ergo admittendæ sunt traditiones diuinæ, quibus prædicta nobis constent esse reuelata à Deo.

Vnde traditiones diuinæ sunt necessariæ, vt prædicta credantur Fide diuina, quia non constant aliter fuisse a Deo reuelata, quàm traditionibus diuinis.

Sed obijciunt hæretici primò, Scripturam, in qua dicitur nihil addendum esse Scripturæ: & plures PP. affirmantes ad solam Scripturam recurrendum esse. Respondemus, dum Patres dicunt ad solam Scripturam recurrendum esse, non excludere traditiones diuinas, quia eas esse ex Scriptura constat: & dum in Scriptura dicitur nihil esse Scripturæ addendum, tantum significari nihil illi contrarium addendum esse.

Obijciunt secundò, quod traditio diuina nō scripta, quæ per tot sæcula, & per tot manus hominum peruentura est vsque ad præsentia sæcula, exposita sit defectibus humanis repugnantibus certitudini Fidei, nempe obliuioni, & corruptioni, siue malitia hominum, siue aliter. Respondemus, etiā Scripturam sacram expositam esse amissioni, mutilationi, & corruptioni: Nihilominus sicut ad prouidentiam Dei specialiter assistentis pertinet quòd Scriptura sacra non amittatur, nec mutiletur, nec corrumpatur: ita etiamquòd traditio diuina non tradatur obliuioni, nec peruersioni.

Hæc & alia, quæ hæretici contra traditionem diuinam obijciunt videri possunt apud Bellarm. lib. 4. apud Valen. §. 43 apud Soar. disp. 5. sect. 4. & apud Turrianum disput. 20. dub. 2.

DIFFICVLTAS XXII.

Qui libri sunt Sacri?

De Scriptura sacra.

SVpponimus, in Ecclesia esse libros Sacros, seu Canonicos, in quibus Verbum Dei continetur ab Scriptoribus sacris editos tanquam calamo Dei: *Cuius spiritu inspirati loquuti sunt sancti Dei homines*, vt ait Petrus epist. 2. cap. 1. Vnde quidquid in eis continetur est infallibilis veritatis, vtpotè à Deo dictum, seu reuelatum.

Hi autè libri Sacri definitiuè assignãtur, & enumerantur à Trid. sess. 4. & cõtinentur in postrema editione Vulgatæ. Vnde quicumq; alij libri quamuis annexi libris Sacris, & à nonnullis iudicentur Sacri, seu Canonici, non sunt tales, quia nõ sunt ab Ecclesia recepti, vt tales, sed sunt apocriphi. Hi sunt oratio Manasse annexa libris Paralipomenon, & libri 3. & 4 Esdræ, & etiam 3. & 4. Machab. & Psalmus 151. annexus libro Iob, & etiam liber Hermetis, qui inscribitur Pastor.

DIFFICVLTAS XXIII.

Quanta sit authoritas editionis Vulgatæ?

CAtholici iam post Trident. conueniunt primò, editionẽ vulgatam Latinam habendam esse, vt authenticã (id est, fidelem, & indubitatæ authoritatis) vt Trident. ipsum sess. 4. definit, quod intelligendum est quantum ad omnia, adhuc quantum ad vnam syllabam, imò & iota vnum, vt ex commissione Gregor. XIII. declarauit Congregatio Cardinalium.

Et quãuis in editione vulgata Latina antea fuerint variæ lectiones, ex quibus tunc non paucæ poterant probabiliter seligi: iam tamen post Clementem VIII. pro authentica habenda est lectio, quæ iussu Sixti V. recognita est, & authoritate ipsius Clementis VIII. est edita in lucem. Vnde iam nulla alia, quæ in aliquo sit illi contraria, approbanda est; bene tamen potest, quæ illam declaret.

DIFFICVLTAS XXIIII.

Quantæ authoritatis sint aliæ editiones Scripturæ sacræ?

CIRCA Editionem Hebraicam piè credi potest omnes libros legis, & Prophetarum Hebraicè à Moyse, & ab alijs Prophetis scriptos, adhuc permanere (& ideo nõ eguisse quod Esdras eos iterum in lucem ediderit) quamuis perierint qui erant in Templo: non tamen constat, imò incredibile est, omnes alios qui erant apud priuatas personas, quibus curæ erat lex Dei, perijsse; nec id erat diuinæ prouidẽtiæ consentaneum, & non solum credimus non perijsse, sed nec esse considerabiliter à Iudæis deprauatos, nec id Iudæos intendisse ob magnam qua affecti sunt venerationem erga eos libros, quia si id fecissent, maximè in eis partibus in quibus præcipua vaticinia Christi continentur, quod non constat fecisse. Addimus *considerabiliter*, quia vt aduertunt Bellarm. lib. 2. cap. 2. Turrianus disp. 21. dub. 2. & Granado tract. 5. disp. 2. sunt aliqualiter deprauati ob negligentiam librariorum, præsertim cum sit facilis aliquarum literarum mutatio ob earum similitudinem.

Addimus, dictam editionem Hebraicam non esse authẽticam; esse tamen non paruæ authoritatis, & vtilitatis (dum non est contraria nostræ Vulgatæ) ad eruendos varios sensus nostræ Vulgatæ.

Circa editionem Chaldaicam, & circa Syriacam, quæ nõ seruantur incorruptæ, præsertim Syriaca, aduertimus, neutrã earum esse authenticam, dũ tamen contrariæ non sint nostrę Vulgatę, vtiles sunt ad maiorem intelligentiam illius.

Circa editionem Græcam obseruandum est, quod ex nouem editionibus Grecis quas refert Turrianus sect. 4. Editio facta à septuaginta, & duobus Senioribus Iudeis, iussu *P*tolemei, vel Philadelphi, vel filij Largi potissima est, & ante corruptionem ipsius, fuit magnæ, imò indubitatæ authoritatis præsertim ante editionem Vulgatam Latinam: nunc verò vt ostendit Bellarm. cap. 7. aliqualiter est vitiata; & ideo nunc non est indubitatæ authoritatis; est tamen magnæ, vbi non contrariatur nostræ Vulgatæ.

TRA-

TRACTATVS DE SPE.

NOMINE Spei, de qua tractatum hunc instituimus, intelligimus eam, qua à Deo aliquid speramus: quæ in Scriptura aliquando sumitur pro actu ipso sperandi, ad Rom. 8. *Spe salui facti sumus*: & aliquando pro obiecto ipso materiali quod à Deo speramus, ad Rom. 8. *Spes quæ videtur, non est Spes*: & aliquando pro eo à quo, seu in quo speramus, Ps. 21. *Spes mea* (Deus) *ab uberibus matris meæ*: & aliquando ab Scholasticis etiam sumitur pro habitu ipso, qui est voluntati comprincipium ad sperandum à Deo.

DISPVTATIO PRIMA.

De natura seu essentia Spei.

DIFFICVLTAS I.

Vtrum sperare sit actus intellectus, an voluntatis?

DIFFICVLTAS Hæc & duæ sequentes procedunt de Spe in communi, prout abstrahit à diuina seu Theologica, qua speramus à Deo, & ab Spe humana, qua speramus ab homine.

Circa hanc ergo difficultatē non defuerunt, qui existimauerint, sperare non esse actum voluntatis, sed esse actū intellectus, quo iudicamus nobis futurum esse aliquod bonū; quia qui iudicat bonū aliquod sibi futurum, dicitur sperare bonū illud; & qui iudicat bonum aliquod sibi non futurum, dicitur desperare illud, & in id inclinant nonnulli hæretici, dum non distinguūt actū Spei ab actu Fidei, vt indicari videtur in scriptura, dū in ea Fides aliquando sumitur pro Spe, seu fiducia.

Iam verō DD. omnes nonnullis hæreticis exceptis conueniunt sperare non esse actum intellectus, sed esse actum voluntatis. Et in primis actum Spei non esse actum intellectus, qui est Fidei, significat Paul. 1. ad Cor. 13. dum ait. *Nunc autem manent Fides, Spes, & Charitas tria hæc*, quia his verbis distinguit Spem à Fide, quod præsertim est verum de actibus. Et id ratione probatur, quia desperare, quod est actus cōtrarius actui sperandi, tanquam recessus accessui respectu eiusdem termini non est actus infidelitatis, quia absq; actu infidelitatis potest quis desperare, vt dicemus disp. 2. dif. 4. ergo sperare non est actus Fidei, quia contrariorum eadem est ratio. Quod si Fides aliquando in Scriptura sumitur pro Spe, seu fiducia, est quia Spes est quasi fructus, & effectus Fidei.

Quod verō sperare non sit aliquis alius actus intellectus probatur, quia si esset, maximē iudicium, quo iudicamus bonum aliquod nobis futurū; iudicare autem id non est sperare; quia qui id iudicat non sperat si bonum illud non desiderat; & qui iudicat aliquod bonum sibi non futurum, non dicitur illud desperare, si intendat, & conetur illud adipisci.

Actus ergo Spei est actus voluntatis, & non quicumque, sed quo nobis desideramus bonum aliquod adipisci.

DIFFICVLTAS II.

In quo actu voluntatis consistat actus Spei?

SVpponimus, in voluntate circa bonum, quod est obiectū actus prosequutionis ipsius, esse actus in triplici differentia; quia alius est circa bonum vt præsens, seu adeptum, qui dicitur gaudium, seu delectatio; & alius est circa bonum vt futurum, seu adipiscendum, qui dicitur desiderium, & alius

est

eſt circa bonum ſecundum ſe prout abſtrahit à præſenti, & à futuro, qui dicitur amor.

Hoc ergo ſuppoſito conueniunt DD. ſperare eſſe actum proſecutionis circa bonũ, vt patet; & non eſſe gaudium, ſeu delectationem circa bonum præſens, ſeu poſſeſſum, vt exprimit Paul. ad Rom. 8. *Quod videt quis* (id eſt, quod viſione poſſidet) *quid ſperat?* Neque eſſe amorem circa bonum ſecundũ ſe, quia ſperare bonum eſt illud expectare, & non expectatur bonũ ſecundũ ſe, ſed bonũ vt adipiſcendũ, ſeu adeptio boni; ſed eſſe deſiderium circa bonum vt futurum, ſeu adipiſcendum; quia Spe expectamus adipiſci bonum; Spes enim, vt ait Cicero q. 4. Tuſcul. eſt, *expectatio boni futuri.*

Eſt tamen difficultas, an actus ſperandi addat aliquid ſupra id quod ſufficit ad deſiderium boni futuri?

Gab. in 3. diſt. 26. q. vnica, art. 1. Almain. q. 2. & Caiet. 2. 2. q. 18. art. 1. docent, ſperare nihil addere ſupra id quod ſufficit ad deſiderium boni futuri; ac proinde quodcumque deſiderium boni futuri eſſe actum ſperandi, quod indicare videtur Auguſt. in Enchirid. c. 8. dum ait, Spem eſſe deſiderium boni futuri pertinentis ad ſperantem. Et ratione probatur, quia ſi Spes adderet aliquid ſupra id, quod ſufficit ad rationẽ deſiderij boni futuri, maximè, quia Spes verſatur circa bonũ habens arduitatem; ob hoc autem nequit aliquid addere neque à deſiderio diſtingui, quia arduitas non eſt ratio pertinens ad obiectum actus ſperandi; quia non eſt bonitas, ſed potius difficultas, & moleſtia retrahens voluntatem ab ſperando; actus autem non diſtinguuntur niſi ob rationes diſtinctas in obiecto.

Soar. verò diſp. 1. ſect. 3. Lorca diſp. 1. Turrianus diſp. 60. dub. 1. Becanus cap. 17. q. 4. Ægid. diſp. 19. dub. 2. Granado tract. 1. diſp. 3. Adamus q. 1. dub. 1. & cõmuniter Theologi docent actũ ſperandi addere aliquid ſupra id quod ſufficit ad rationẽ deſiderij boni futuri (ac proinde aliquo modo diſtingui à deſiderio futuri, ſeu nõ quodcũq; deſideriũ boni futuri eſſe actũ ſperãdi, & meritò, quia ſperare nõ eſt quodcũq; deſideriũ boni futuri, ſeu adipiſcẽdi, ſed eſt deſideriũ efficax, quia quatũ inefficaciter deſiderat adipiſci aliquod bonũ, nõ dicitur illud expectare ſeu ſperare: & non eſt quodcũque deſide-

rium efficax boni futuri seu adipiscēdi, sed est illud desideriū, quo quis tendit in bonum arduū seu difficile quoad adeptionem, quia bonum, quod in sui adeptione non est arduum, nō dicitur sperari, seu expectari, sed tantum desiderari: & quia voluntas nequit efficaciter tendere ad adipiscendum bonum arduum, nisi insurgendo, & se erigendo, & quasi se animando contra dictam arduitatem, seu difficultatem; ideo actus sperandi est desiderium efficax, quo voluntas animosè, & erecte tendit in bonum arduum.

Ratio autem ardui, seu difficilis quoad adeptionem requisita in bono ad actum sperandi illud, non est quod laboriosè sit adipiscibile, sed quod pendeat ex voluntate aliena non existente in nostra potestate, vt cōtra Lorcam, Ægidiū, & Adamum aduertunt Vazq. 1. p. disp. 84. cap. 1. & 1. 2. disp. 40. cap. 2. & 3. p. disp. 43. cap. 2. & Turrianus disp. 60. dub. 1. quia quæ posita sunt in sola nostra potestate independenter ab alijs, non dicimus in rigore expectare, seu sperare (nullus enim à se ipso aliquid expectat) sed tantum ea, quæ siue in totū, siue in partē pendent ex voluntate alterius, quamuis sint absq; labore adipiscenda: cui nō obstat illud Psal. 48. *Qui cōfidunt in virtute sua*, quia his verbis non indicatur posse aliquem à se ipso sperare, seu in se ipso cōfidere; quia eis verbis tantum intenditur notari vitium eorum, qui id quod alteri attribuere debebant, nō illi, sed sibi solis attribuunt, & ideo quod attribuunt alteri à quo desiderare debebant, erat obiectū actus Spei seu confidentiæ, eodem verbo confidendi, seu sperandi, significatur eos id sibi attribuere.

Addidimus *non existente in nostra potestate*, quia quod pendet ex voluntate aliena existente in nostra potestate quale est, quod fit à nobis dependenter à Deo concursu tantum generali ipsius, non est obiectū arduū, & consequenter nec Spei.

Addimus non quodcuq; desideriū efficax boni futuri ab altero esse actū sperādi nisi illud quo quis tendit in dictū bonū modo quodā cōfidentiæ imbibito in desiderio ipso, quia qui sic nō desiderat bonū arduum (quāuis illud efficaciter desideret) non dicitur expectare illud: ad hunc autem modum prærequiritur in intellectu iudicium futuritionis boni, quia qui id non iudicat, nequit in illud bonam confidenter ferri.

Spera-

Sperare ergo eſt efficaciter, & erectè, & confidenter deſiderare bonum ab altero, à quo iudicatur futurum. In quo actu ſperandi eſt reſpectus ad tria, nempè ad bonum deſideratum, & hic reſpectus eſt concupiſcentiæ, & ad perſonam à qua deſideratur (quo reſpectu noſtro modo concipiēdi modificatur reſpectus ille concupiſcentiæ ad rationem Spei) & eſt reſpectus ad perſonam ipſam, ex cuius complacentia deſideratur bonum illud, & hic eſt reſpectus beneuolentiæ, & noſtro modo concipiendi modificatiuus aliorum duorum; & præter dictos tres reſpectus noſtro modo concipiendi diſtinctos in actu ſperandi repertos, etiam eſt in eodem actu triplex modus in ipſo imbibitus, alius efficacitatis, alius erectionis, & alius confidentiæ.

Deſiderium ergo eſt quid ſuperius ad actum Spei, & ad alia deſideria ſpecialiter ſumpta, ab actu Spei diſtincta; quia etiam actus Spei eſt deſiderium, & diſtinguitur à quocumque alio deſiderario, in eo, quod actus Spei tendit in bonum modo quodam confidentiæ ſibi proprio & intrinſeco; & à deſiderio inefficaci diſtinguitur ſpecialiter, quia actus Spei eſt deſiderium efficax; & à deſiderio efficaci circa bonum non adipiſcibile ab altero diſtinguitur ſpecialiter; quia in hoc deſiderio non eſt reſpectus ad alteram perſonam, à qua ſperetur; & à deſiderio efficaci circa bonum adipiſcibile ab altero, quod eſt abſque dicto modo confidentiæ diſtinguitur hoc modo confidentiæ.

Auguſt. ergo pro aduerſarijs adductus, dum ſignificat actum Spei eſſe deſiderium, nobis non aduerſatur, quia verè eſt deſiderium vt nos dicimus, quamuis ſupra id quod ad deſiderium ſufficit, addat aliquid, quod non expreſsit Auguſt, quia non intendebat minutiſsimè naturam Spei explicare.

Et ad rationem conſtat actum Spei non diſtingui ab omni alio deſiderio ſpecialiter ſumpto ſolum ob arduitatem obiecti, quia ab aliquo etiam circa obiectum arduum, etiam diſtinguitur, quia iſtud aliquod ſit inefficax, & actus Spei ſit deſiderium efficax, & ab alio efficaci, quia iſtud aliud, vel non ſit circa obiectum arduum, vel ſi eſt, quia non ſit circa illud confidenter; ab omni autem alio, quod etiam verſatur circa

obie-

obiectum arduum, & efficaciter, & consequenter etiam erectè, distinguitur ob dictum modum intrinsecum confidentiæ occasionatum ex iudicio futuritionis boni; quia actus non tantum distinguũtur ob diuersas rationes motiuas obiecti, sed etiam ob diuersos modos tendendi in obiectum materiale, quãuis aliunde; quã ex obiecto formali occasionatos.

DIFFICVLTAS III.

Quod sit obiectum Spei?

CONVENIVNT Theologi, obiectum materiale actus Spei (& suo modo habitus Spei) esse bonũ ipsum quod speratur adipiscendum: imò præter hoc etiam esse alia obiecta materialia, vel quasi materialia, ex dicẽdis cõstabit.

Est tamen difficultas, quod sit obiectum formale, seu quo Vazq. 1. p. disp. 84. cap. 1. & 1. 2. disput. 40. capit. 2. & Turrianus disput. 60. dub. 1. docent, motiuum, seu obiectum formale *Spei* esse ipsam personam potentem conferre bonum, quod speratur, à qua speratur, quia actus *Spei* innititur personæ, à qua bonum speratur; quia ideo desiderium efficax boni iudicati futuri ab altero dicitur *Spes*; quia est ab altero, ergo persona à qua speratur bonum est motiuum, seu obiectum formale sperandi.

Soar. disput. 1. sect. 3. & Ægid. disput. 19. dub. 2. docent motiuum, seu obiectum formale actus *Spei* esse bonitatem obiecti quod speratur: quia bonitas rei, quæ concupiscitur est quæ mouet ad rem ipsam concupiscendam; ideo enim concupiscimus rem aliquam, vel quia est honesta, vel quia est delectabilis, vel quia est vtilis, ergo bonitas rei, quæ actu *Spei* concupiscitur, & desideratur est obiectum motiuũ, seu formale quo ipsius actus *Spei*.

Nos verò dicendum existimamus obiectum motiuum, seu formale cuiuscumque actus *Spei* (& suo modo habitus) esse triplex, imò & triplex obiectum materiale, seu quasi materiale, iuxta triplicem respectum quem in eo reperiri diximus diffic. 2. quia actus *Spei*, vt habet rationem, seu respectũ concupiscentiæ, & desiderij boni futuri habet pro obiecto

ma-

materiali rem ipſam bonam, quam ſperamus, & pro motiuo habet bonitatem illius rei bonæ, quia eius bonitate mouemur, ſeu allicimur ad eam concupiſcẽdã; & idem actus Spei, vt habet rationem, ſeu reſpectũ concupiſcentiæ, & deſiderij ab altero (quo reſpectu, noſtro modo concipiendi modificatur ad Spem) habet pro obiecto quaſi materiali perſonã ipſam, à qua ſperatur res illa, & pro motiuo, ſeu formali, potẽtiam ipſius perſonæ; quia ideo mouemur ad deſiderandum rẽ illã ab ea perſona, quia perſona hæc eſt potens, ſeu habet potentiã ad rem illam conferendam, & non quia perſona illa ſit benigna, aut fidelis, quamuis hæc conducant ad formãdũ iudicium futuritionis boni; & maximè fidelitas perſonæ, ſi promisit conferre; & idem actus Spei, vt habet rationẽ, ſeu reſpectum beneuolentiæ habet pro obiecto quaſi materiali perſonam ipſam, ex cuius complacentia deſideratur bonũ, & pro motiuo, ſeu formali bonitatem illius perſonæ: generaliter enim in omni actu proſequutionis voluntatis reperiuntur primus, & tertius reſpectus, nempè concupiſcentiæ ad bonum concupitum, & beneuolentiæ ad perſonã ex cuius complacentia concupiſcitur.

Quicumq; ergo actus Spei habet triplex obiectum materiale, vel quaſi materiale, nempè rem, quæ ſperatur, & perſonam à qua ſperatur, & perſonam ex cuius complacentia ſperatur; & triplex obiectum formale, ſeu motiuum, nempè bonitatem rei, quæ ſperatur & potentiam perſonæ, à qua res illa ſperatur, & bonitatem perſonæ ex cuius complacentia ſperatur.

DIFFICVLTAS IIII.

Quod ſi obiectũ materiale Spei Theologicæ?

HActenus loquuti ſumus de Spe in communi ad Spẽ humanam, & ad diuinam, ſeu Theologicam, & iam incipimus loqui de Spe Theologica.

Circa difficultatẽ ergo propoſitã cõuenit ut Theologi obiectũ materiale primarium, ſeu principale actus Spei Theologicæ (& ſuo modo habitus) ſeu idquod primò, & principaliter actu

Spei Theologicæ speramus esse nostram beatitudinem supernaturalem, seu vitam æternam, & gloriam, ob quod nostra Spes Theologica, seu Christiana ad Roman. 5. & ad tit. 1. dicitur *Spes* vitæ æternæ. Est autem dicta nostra beatitudo obiectum primarium, seu principale *Spei* Theologicæ non solum *materialiter*, quia ipsa est principalissima res, quã à Deo speramus, vel sperare possumus, sed etiam *formaliter*, quia ipsa, vtpotè finis, est quæ primario, & principaliter speratur; quia ipsa est quæ propter se appetitur, & desideratur, & reliqua propter ipsam, ob quod Matth. 6. nobis dicitur: *Quærite primum Regnum Dei.*

Sed quia beatitudo nostra supernaturalis est duplex, altera formalis, nempè visio, qua Deum videmus, & possidemus, & altera obiectiua, nempè Deus ipse visione nostra visus, & possessus; ideo difficultas est vtra ex eis sit obiectum materiale immediatum, & directum, id est, quod immediatè & directè speramus actu *Spei* Theologicæ, an scilicet visio Dei, an Deus ipse?

Durand. in 3. distin. 26. quæst. 2. docet obiectum materiale immediatum, & directum *Spei* Theologicæ esse nostrã beatitudinem formalem, non verò Deum, sed hunc tantum esse obiectum indirectum & connotatum, & quasi mediatum; quia scilicet Deus est obiectum visionis, quam immediatè, & directè speramus; quia eo actu *Spei* speramus visionem Dei, seu videre Deum.

Probari autem potest. *Primò*, quia actus *Spei* Theologicæ, vtpotè habens rationem amoris beneuolentiæ respectu ipsius sperantis, cui speratur, & rationem amoris concupiscentiæ respectu beatitudinis, respicit hanc, vt bonũ proprium ipsius sperantis; eo enim actu sperans desiderat sibi beatitudinem, vt bonum proprium ex complacentia sui: Deus autem non est bonum sperantis immediatè, & ratione sui, sed tantum ratione visionis, quia sola visio ratione sui perficit ipsum Beatum, & non Deus ratione sui, vtpotè non accidens Beati, sed res à Beato suppositaliter distincta. *Secundò*, quia delectatio beatifica non est immediatè, & directè de Deo, sed de visione Dei, ergo Spes immediatè, & directè est visionis, non ipsius Dei, Consequentia patet, quia

idem

idem est obiectū materiale Spei, & delectationis, quia de eo quod speramus adipisci delectamur, quando iam est adeptum. Antecedens autem, nempè quod delectatio beatifica immediatè, & directè non sit de Deo, sed de visione Dei, probatur à contrario, quia tristitia in damnatis non est immediatè, & directè de Deo, sed de malo inflicto à Deo; quia Deus ratione sui, & immediatè non est malus damnatis, sed tantum mediatè, & ratione effectus, nempè ratione mali inflicti à Deo.

Caiet. 2. 2. q. 17. art. 2. & 5. docet, Deum esse obiectum materiale immediatum, & directum actus Spei Theologicæ, & non visionem, sed hanc tantum esse conditionem, qua proponitur Deus voluntati. Primò, quia si solus Deus non esset obiectum immediatū actus Spei, virtus Spei non esset Theologica, seu diuina. Secundò, quia idem est obiectum immediatum actus Spei, & delectationis, quæ Spei succedit obiecto Spei iam adepto: Deus autem est obiectum immediatum delectationis, non visio Dei, quia voluntas tantū delectatur de obiecto cognito, nō de cognitione obiecti, quia hæc tātū est propositio, seu applicatio obiecti, & cōditio sine qua nō.

Soar. verò disp. 1. sect. 1. Lorca disp. 2. Turrian. disput. 60. dub. 3. Ægid. disput. 13. dub. 3. Granado disput. 1. Vazq. 1. 2. disp. 15. & communiter Theologi docent, actum Spei Theologicæ immediatè, & directè esse circa vtramque beatitudinem, nempè circa visionem Dei, & circa Deum ipsum, & meritò, quia tam Deus, quàm visio Dei immediatè, & ratione sui est bonū beato, quodlibet suo modo, visio tanquā adeptio, seu possessio Dei, & finis *quo*, & Deus tanquam res adepta, seu possessa, & finis *qui*, & neutrum est bonū beato ratione alterius, seu mediāte altero, quamuis neutrū sit bonū beato, nisi dependenter ab altero, & vt alteri coniunctum, ac proinde neutrum est finis completus Beato, sed ex vtroque coalescit vnus integer finis, cuius gratia, & vnum bonū, sicut auaro tā possessio pecuniæ, quā pecunia ipsa est immediatè, & ratione sui bona, quælibet suo modo, quāuis quælibet depēdēter ab altera, & vt alteri cōiūcta, & nō aliter: ergo actus Spei Theologicæ immediatè, & directè versatur circa vtrāque beatitudinem formalem, videlicet, & obiectiuā, visionē,

scili-

scilicet Dei, & Deum visum; quia versatur circa illas, eo modo quo sunt ipsi Beato bonæ, & vtraque immediate, & ratione sui est bona Beato, quælibet suo modo.

Ad primam ergo rationem pro Darando negamus, Deum non esse immediatè, & ratione sui bonum Beato, quia quamuis non sit illi bonus tanquam accidens, seu forma perficiens, est tamen illi bonus tanquam obiectum & res adepta.

Ad secundam negamus, delectationē Beatificam non esse immediate de Deo, & ad probationem concedimus tristitiam in damnatis non esse immediatè de Deo; est enim dispar ratio, quia Deus immediatè & ratione sui est bonus Beato tanquam obiectum, & res possessa, non verò est immediatè, & ratione sui malus damnatis, sed tantum mediatè, & ratione effectus, quem in illis causat, nempè ratione mali quod Deus illis infligit.

Et ad primam rationem pro Caiet. respondemus, Spem esse virtutem Theologicam, ad id tamen non esse necessariū, quod Deus et eius obiectum materiale; quia sufficit, quod sit formale, vel complementum formalis, vt vere sit, quia virtute Theologica Spei speramus rem ob bonitatem ipsius, & adipiscendam, seu futuram à Deo ob ipsius omnipotentiam: sicut etiam fides est virtus Theologica, quia credimus Deo ob ipsius testimonium, quamuis ei credamus rem creatam.

Et ad secundam concedimus, idem esse obiectū materiale delectationis Beatificæ, & actus Spei; negamus tamen visionē Dei non esse obiectum immediatum delectationis Beatificæ; quia visio non tantum est cognitio Dei, sed etiam est bonum quoddam Beato tanquam adeptio & finis *quo*, & ipsi Beato proponitur, vt tale bonum, siue alia cognitione reflexa, vt proponitur in via cognitione Fidei ad actum quo speratur siue seipsa, si ipsa etiam habet vim cognitionis reflexæ.

Addimus præter beatitudinem nostram, quam dicimus esse obiectum materiale actus Spei Theologicæ primarium & principale, etiam omnia alia bona, siue naturalia, siue supernaturalia, quæ possunt honestè sperari, esse obiecta materialia

rialia actus Spei Theologicæ, secundaria tamen & minus principalia (sicut etiam omnia reuelata à Deo, siue naturalia, siue supernaturalia sunt obiecta materialia Fidei Theologicæ) quia omnia quæ possunt honestè sperari, possunt sperari à Deo: imò præter ipsa bona, quæ speramus, etiam esse alia obiecta materialia, vel quasi obiecta materialia actus Spei Theologicæ, nempè personam sperantis, & Deum ipsum, à quo speratur, constabit ex dicendis diffi. 6.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm Beatitudo, & alia bona alterius personæ sint obiectum materiale actus Spei Theologicæ?

SVPPONIMVS, Nos posse sperare à Deo alijs personis Beatitudinem, & alia bona, quia verè possumus efficaciter desiderare, quod alij adipiscantur à Deo prædicta bona iudicantes, quod sint illa adepturi; quod significat Paul. 2. ad Corinth. 1. *Vt spes nostra firma sit pro vobis, sciente, quoniã sicut socij passionum estis, ita eritis, & consulationis.* & ad Philipp. 1. *Confidens, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet.*

Est ergo difficultas, an eadem Spe Theologica, qua nobis dicta bona speramus à Deo, etiam illa speremus alijs à Deo?

Circa quam certum est, nos sperare alijs dicta bona ex complacentia nostri quatenus nobis profutura sunt, esse ex eadem peculiari Spe Theologica, qua nobis illa speramus ex complacentia nostri, quia etiam tunc nobis formaliter speramus, vt bona formaliter nostra.

Punctum ergo difficultatis in eo est, an nos sperare alijs dicta bona, vt bona ipsorum ex ipsorum complacentia, fit ex eadem Spe, ex qua nobis illa speramus ex complacentia nostri?

Lorca disp. 2. dub. incidente, partem affirmatiuam tue-

tur

tur, quam primò probat à simili; quia ex eadem Charitate nos ipsos, & proximos diligimus, & ex eadem Fide credimus, quæ ad nos, & quæ ad proximum pertinent, ergo ex eadē Spe nobis & proximo speramus. Secundò probat à priori, quia actus quo nobis ex complacentia nostri dicta bona à Deo speramus, & actus quo alteri eadem speramus à Deo ex cōplacentia illius alterius, habent idē obiectū materiale, & formale, quia ambobus actibus eadem bona ob ipsorum bonitatem; & ab eodem Deo potente speramus, ergo sunt eiusdem Spei, & ex eadem virtute Theologica Spei.

Soar. verò disp. 1. sect. 3. Becan. cap. 17. q. 2. Ægid disp. 19. dub. 5. & Vazq. 3. p. dispu. 43. num. 6. partem negatiuam tradunt, quam expressisse videtur August. in Enchirid. cap. 8. dum ait, Spes non nisi bonarum rerum est, neque nisi futurarum, & ad eum pertinentium, qui earum Spem gerere perhibetur, & meritò, quia actus quo speramus proximo dicta bona à Deo ex complacentia ipsius proximi, est actus beneuolentiæ, erga proximum habens quoad hunc respectum beneuolentiæ pro obiecto materiali ipsum proximum, & pro formali bonitatem ipsius; actus verò quo speramus nobis à Deo bona ex complacentia nostri, est actus beneuolentiæ, non erga proximum, sed erga nos habens quoad hunc respectum beneuolentiæ pro obiecto materiali nos ipsos, & pro formali bonitatem nostri, actus autem beneuolentiæ erga proximum, & actus beneuolentiæ erga nos non solum specie physicè distinguūtur (quamuis persona proximi, & bonitas ipsius non distinguantur specie physicè à persona nostra, & à bonitate nostri) ex eo quod respectu ipso beneuolentiæ diuerso modo cōplacentiæ physicè, quasi formali desumpto, seu occasionato ex ipsa persona, & ex bonitate ipsius fertur voluntas in personam proximi, & in propriam personam, & diuerso modo complacentiæ mouetur bonitate personæ proximi, & bonitate propria, sed etiam distinguuntur specie moraliter, quia diuerso modo est consonū rationi velle proximo bonum ex complacentia ipsius, ac velle nobis ex complacentia nostri ob diuersum modum respectus beneuolentiæ erga nos, ac erga proximum, quamuis eadem bona nobis, & proximo velimus, & ob eandem ipsorum bonorum

boni-

bonitatem, & ab vno eodem Deo.

Affectus ergo quo proximo speramus bonum à Deo ex cõplacentia ipsius proximi, quamuis non tantum habeat honestatem beneuolentiæ erga proximum, sed etiam honestatẽ Spei (sicut affectus soluendi proximo pecuniam ipsi debitã ex complacentia ipsius, nõ tantum habet honestatem beneuolentiæ erga proximum, sed etiam iustitiæ) Nihilominus quando affectus ille est supernaturalis (qualis est ille quo à Deo speramus bonũ, siue quoad substantiam, siue quoad modum supernaturale) tantum elicitur ex virtute infusa beneuolentiæ erga proximum, & non ex virtute infusa Spei, qua nobis ex complacentia nostri speramus, quia affectus ille ab vna tantũ virtute infusa eliciendus est, cum ex virtute infusa eliciatur quoad suam substantiã, quæ indiuisibilis est quoad extensionem, & non ex alia virtute, quam ex dicta infusa beneuolentiæ erga proximum; quia bonitas proximi est motiuum quasi vltimum, & modificatiuum in eo affectu, & reliqua se haben tquasi materialia, & modificabilia, quia nostro modo concipiendi præsupponuntur ad illud, quia eo affectu speramus bonum à Deo ipsi proximo.

Addidimus, quando actus ille Spei est supernaturalis, quia quando est naturalis, qui eo ipso non est eliciendus ex virtute infusa, sed ex acquisita, si iam acquisita sit, tunc elicietur ex virtute acquisita beneuolentiæ erga proximum, & ex virtute acquisita Spei, si iam acquisitæ sint; sicut etiam affectus soluendi pecuniam debitam proximo ex complacentia ipsius, elicitur ex virtute acquisita beneuolentiæ erga proximũ, & ex virtute acquisita iustitiæ, si iam sint acquisitæ; quia in his duobus casibus quælibet virtus ex dictis cõcurret, vt affectus prædictus facilè eliciatur, vna quoad respectũ beneuolentiæ erga proximũ, & altera quoad alterũ respectũ, vel Spei, vt in priori casu, vel iustitiæ, vt in posteriori.

Et quamuis bonitas propriæ personæ etiam sit motiuum quasi vltimum, & modificatiuum in affectu beneuolentiæ propriæ, quo quis sibi vult bonum adhuc ab altero ex complacentia sui: nihilominus affectus beneuolentiæ propriæ nunquam elicitur ex aliqua virtute propria ipsius affectus quoad respectum beneuolentiæ propriæ, sed tan-

tum ex diuersis virtutibus pro diuersitate obiectorum, quæ quis sibi concupiscit; quia affectus propriæ beneuolentiæ, vt præcisè respicit propriam personam non est honestus, sed vt respicit aliud obiectum quod sit honestum, & sibi quis concupiscit; imò ad eum affectum, vt præcisè respicit propriam personam non est difficultas, ad quam superandam acquiri possit virtus aliqua, sed tantum est ad eum prout respicit alia obiecta, quæ quis sibi concupiscit; affectus tamen beneuolentiæ erga proximum, etiam vt præcisè respicit personam illius, & est honestus dummodo obiectum, quod proximo concupiscitur non sit inhonestum, & ad eum affectum vt sic etiam est difficultas, ad quam superandam acquiri potest virtus.

Ad primam verò rationem à simili pro Lorca concedimus, nos eadem Charitate nos ipsos, & proximum diligere, quando nos ipsos, & proximum diligimus ex complacentia Dei, non verò quando nos ipsos ex complacentia nostri, & proximum ex complacentia ipsius, sed diuersis actibus, & virtutibus ob diuersitatem respectuum beneuolentiæ, quod etiam continget in casu præsentis difficultatis. Ex quo etiam constat ad secundam rationem. Quod si eadem Fide credimus, quæ ad nos, & quæ ad alios pertinent est, quia in vtroque actu credendi est eadem ratio formalis, & eodem modo mouens adhuc circa diuersa obiecta, nempè diuinum testimonium; quia ob ipsum eodem modo quasi formali occasionato ex ipso credimus nostra, & aliena.

DIFFICVLTAS VI.

Quod sit motiuum, seu obiectum formale Spei Theologicæ?

BAñez quæst.17.art.1.Vazq.1.p. disput.236. & Turrian. disput.60.dub.2.docent, motiuum, seu obiectum formale actus Spei Theologicæ (& suo modo habitus) esse Deum vt omnipotentem, seu omnipotentiam Dei; quia actus Spei Theologicę innitur Deo vt omnipotenti, à quo bonum speratur,

ratur, quia actu Spei Theologicæ speramus bonum aliquod à Deo, quia potest ab ipso conferri, ergo Deus vt potens est mouet ad actum Spei Theologicę.

Soar. disput. 1. sect. 3. Ægid. disp. 19. dub. 4. & Granado disp. 1. docent, obiectum formale, seu motiuum actus Spei Theologicæ (& suo modo habitus) esse bonitatem Dei clare visi, qua Deus visus, est bonus nobis, seu bonitatem beatitudinis tã formalis, quàm obiectiuæ, quia bonitas obiecti materialis concupiti est ratio formalis, seu motiua ad illud desiderandum. Deus autem visus est obiectum materiale principale, quod actu Spei nobis desideramus, ergo bonitas ipsius, qua vt sic est nobis bonus, est ratio formalis, seu motiua talis actus.

Nos tamen dicendum existimamus, esse triplex obiectũ formale, seu motiuum actus Spei Theologicæ, (& suo modo habitus) sicut etiam est triplex obiectum materiale, vel quasi materiale iuxta triplicem respectum, qui in eo actu reperitur; quia actus Spei Theologicæ, vt habet rationem, seu respectum concupiscentiæ, & desiderij habet pro obiecto materiali rem ipsam, quam à Deo speramus, & pro motiuo habet bonitatem talis rei; quia eius bonitate mouemur ad eam concupiscendam, & desiderandam, & idem actus Spei Theologicæ, vt habet rationem, seu respectum concupiscentiæ à Deo, habet pro obiecto materiali, vel quasi materiali ipsum Deum, à quo res illa speratur, & pro obiecto formali, seu motiuo habet omnipotentiam Dei, quia ad sperandum rem illam à Deo, mouemur quia Deus est potens illud cõferre, & non quia est benignus, aut Fidelis, quãuis hæc conducant ad formandum iudicium futuritionis boni (præsertim fidelitas ipsius, quando id promisit) prærequisitum ad modum confidentiæ in actu ipso Spei inbibitum, & idem actus Spei, vt habet rationem, seu respectum beneuolentiæ, habet pro obiecto materiali, aut quasi materiali personã ex cuius complacentia res illa bona desideratur, & pro obiecto formali, seu motiuo bonitatẽ illius personæ. Addimus quòd quamuis actus Spei prout tendit ad diuersum bonum secundum speciem, sit diuersus specificè, physice quoad dictum respectum concupiscentiæ, & con-

sequenter absolutè sit specie physica diuersus, non tamen moraliter si sit ex eadem complacentia, & ab eodem.

Ad rationem ergo pro Vazq. & pro Soar. constat, quòd quamuis omnipotentia sit obiectum formale incompletum actus Spei, quoad quendam videlicet respectum, & etiã bonitas rei desideratæ quoad alium respectum, neutra tamen est obiectum formale quoad alios duos.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm licitum sit sperare à creatura Beatitudinem, & alia dona gratiæ?

HÆRETICI Existimant, non esse licitum dicta dona aliquo modo a creatura sperare; quia id est in creatura confidere, quod reprehenditur Hier. 17. *Maledictus homo, qui confidit in homine.*

Catholici tamen conueniunt, licitum esse dicta dona sperare à creatura non tanquam ab auctore, seu à causa primaria, quia vt sic tantum possunt sperari à Deo, & sic ab homine sperare est illicitũ, & qui in eo sic confidit est maledictus, sed tantum tanquam à causa secundaria & potente iuuare ad id, quia licitũ est prædicta sperare à creatura eo modo, quo ipsa potest ad illa concurrere; creatura autem potest ad illa concurrere media impetratione à Deo, vt Beati, & etiam viatores concurrunt, & medio aliquo ministerio, media videlicet administratione Sacramenti, & media prædicatione, & exhortatione, vt viatores concurrunt: & in hoc secundo sensu beata Virgo dicitur *Spes nostra*: quia ab ipsa media intercessione ipsius apud Deum, apud quẽ est maximè potens, speramus ab ipso Deo multa dona præsertim gratiæ, quibus in vitam æternam perducamur.

Et quamuis possumus à Deo vitam æternam sperare medijs nostris meritis tanquam causis moralibus Deum inducentibus, vt nobis illam conferat: id tamen non est à nobis sperare; quia sperare est ab altero, vt diximus difficult. 2. sed est sperare à Deo medijs nostris meritis.

DIF-

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrûm actus Spei Theologicæ sit supernaturalis in sua substantia?

SVPPONIMVS, Ad actum Spei Theologicæ, quo à Deo bonum supernaturale speramus, & qui est dispositio ad iustificationem, saltem medio Sacramento faciendam, necessarium esse auxilium gratiæ Dei, vt definitur in Trident. sess. 6. Can. 3.

Hoc ergo supposito, conueniunt Theologi, actum Spei Theologicæ, quo à Deo bonum supernaturale speramus esse aliquo modo supernaturalem. Est tamen difficultas, an sit supernaturalis in sua substantia?

Sot. 1. de natura & gratia c. 22. docet, actum Spei Theologicæ etiam cum quo à Deo bonũ supernaturale speramus, non esse supernaturalem in sua substantia; quia viribus naturalibus possumus ab homine sperare quodcumq; bonum, quod possit ab ipso sua virtute conferri; ergo etiam eisdem viribus possumus à Deo sperare beatitudinem, & reliqua dona supernaturalia, quia est magis potens ad ea conferenda, quam homo ad conferendum quod potest, ergo actus Spei Theologicæ est naturalis quoad suam substantiam, vtpotè qui viribus naturalibus elici potest.

Turrian. verò disp. 61. dub. 3. Ægid. disp. 4. dub. 3. & Gran. disp. 4. docent, actum Spei Theologicæ, quo speramus bonũ supernaturale à Deo, siue supernaturale quoad substantiam, vt gratiam habitualem, siue quoad modum, vt resurrectionẽ mortuorũ, esse supernaturalẽ in sua substantia, & meritò, quia actus voluntatis sumit suam substantiam ex ordine ad obiectum formale, seu ad materiale, vt subest formali; obiectum autem formale actus Spei Theologicę, quo bonũ aliquo modo supernaturale speramus, est vere supernaturale saltem quoad modum, adhuc quoad triplicem respectum, qui in eo actu Spei reperitur; quia obiectũ formale est bonitas obiecti materialis sperati, quod est supernaturale saltẽ quantum ad modum, & est omnipotẽtia Dei, vt supernaturaliter potens,

seu agens; & est bonitas personæ, cui speratur, tanquam cõciui sanctorum, & vt eleuatæ ad finem supernaturalem, ergo substantia actus *S*pei Theologicæ, quo bonum aliquo modo supernaturale speramus, est supernaturalis, vtpotè imbibens respectum, imò & respectus ad obiectum supernaturale saltem quoad modum.

Ad rationem ergo pro *S*oto concedimus antecedens, & negamus consequentiam: & ad probationem respondemus, quòd quamuis Deus sit magis potens quàm homo; nihilominus, quia Deus respectu doni supernaturalis est potens supernaturale, seu supernaturaliter, & bonitas illius doni est supernaturalis; imò & bonitas personæ cui speratur, ideo tantum mouent ad actum supernaturalem, & consequenter ad actum, qui nequeat viribus naturæ elici, sed medio habitu supernaturali eleuãte voluntatem, vel medio concursu diuino supernaturali supplente vicem illius habitus, & etiam medio auxilio ordinis supernaturalis.

Addimus, actum *S*pei Theologicæ, quo à Deo speramus bonum supernaturale, esse supernaturalem in sua substãtia; quia actus *S*pei, quo à Deo speramus bonum naturale tam quoad substantiam, quàm quoad modum, est naturalis in sua substantia, quia obiecta formalia illius quoad triplicem respectum sunt naturalia, nempè bonitas boni sperati, & personæ cui speratur, & potentia Dei respectu illius doni: est tamen hic actus *S*pei Theologicus, quia pro obiecto formali quoad vnum respectum sui est potentia Dei.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm actus Spei Theologicæ sit certus?

CONVENIVNT Theologi, actum Spei Theologicæ infusæ, & Christianę esse certũ vt significatur ad Heb. 6. *Qui confugimus ad tenendam propositã Spem, quam sicut anchorã habentes animæ tutam, ac firmam*: & in Trid. sess. 6. cap. 13. *Tametsi in Dei auxilio firmissimam Spem collocare, & reponere omnes debeant.*

Est autem dictus actus *S*pei certus non propriè, quia

cer-

certitudo propriè (quæ ſumitur, & pro iudicio firmo, ſeu abſque formidine, & etiam pro veritate iudicij, quo attingitur, & iudicatur res ita eſſe, ſicut eſt) tantum conuenit actibus intellectus, ſed metaphoricè, per ſimilitudinem videlicet, & accomodationē. Eſt tamen difficultas, quo modo actus Spei ſit metaphoricè certus?

Omiſsis autem varijs modis explicandi certitudinem actus Spei Theologicæ, quo à Deo ſperamus dona gratię, & gloriam, exiſtimamus dici certum. Primò, quia eo actu ſperamus dicta bona efficaciter, & erectè, & confidenter abſque titubatione, ſeu fluctuatione, quamuis non ſemper abſq; timore. Secundò, dicitur certus, quia quantum eſt ex parte obiecti formalis partialis ſperandi, nempè omnipotentiæ Dei non errabit, ſed attinget obiectum, quamuis aliunde ex defectu ſcilicet noſtri impediri poſsit, & non rarò impediatur. Vnde dictus actus Spei, hoc ſecundo modo eſt certus, non abſolutè, ſed quaſi ſubconditione, ſi ſcilicet voluntas noſtra non deficiat, vt ſignificatur in Tridentinum ſeſsione ſexta capite 13. & Canon. 26. & eadem proportione dictus. Actus Spei poteſt etiam dici certus extrinſecè à iudicio, quod preſupponit, quo iudicamus nos adepturos dona gratiæ, & gloriā, quantum eſt ex parte Dei, à quo ſperamus, quia quantū eſt ex parte Dei eſt firmū, & indefectibiliter verum, quia eſt iudiciū Fidei diuinæ innixum reuelationi Dei, qua id dixit, & promiſit. Nihilominus, quia adeptio gloriæ, & gratiæ iuſtificantis, & aliquorū aliorum donorū gratiæ, etiā pēdet ex noſtra voluntate, quæ non rarò deficit; ideo ita ſperamus gloriam & gratiā iuſtificantem, & aliqua alia dona gratiæ, vt ſimul cū dicto actu ſperandi illa non raro ſit formido nō obtinendi illa; quia ea abſolutè ſperamus à Deo iudicātes tantum probabiliter futura à Deo, cum quo iudicio eſſe poteſt, & non raro eſt formido non obtinendi illa.

Sed an actus Spei Theologicæ infuſæ ſit ita bonus, vt nequeat fieri malus, dicimus tract. de bonitate, & malitia, diſp. 1. diffi. 7. & an ſit neceſſarius neceſsitate medij ad iuſtificationem extra Sacramentū, diſputatur in tract. de gratia: & an ſit neceſſarius neceſsitate medij ad iuſtificationē medio Sacramento dicimus tract. de pœnit. diſp. 6. diffi. 13.

DIFFICVLTAS X.

Utrùm sit aliquis ordo inter Fidem, Spem, & Charitatem?

DIFFICVLTAS Hæc examinanda est expressè de actibus Fidei, Spei, & Charitatis, quia inter eos magis elucet comparatio, quàm inter habitus ipsos, & quod dictũ fuerit de illis, est suo modo applicandum ipsis habitibus, qui sunt principia ipsorum actuum.

Primò ergo est difficultas, an inter actus Fidei, Spei, & Charitatis sit ordo perfectionis, & quis?

Supponimus, actus Fidei, Spei, & Charitatis, vt potè physicè, & moraliter distinctos secundum speciem, esse inæquales in perfectione specifica, tam physica, quàm morali, ita vt alius sit alio perfectior.

Hoc ergo supposito, conueniunt Theologi, actum Charitatis in esse moris esse perfectiorem actibus Fidei, & Spei (& consequenter habitum Charitatis esse radicaliter moraliter perfectiorem habitibus Fidei, & Spei) & id ad minus significat Paul. 1. ad Corinth. 13. illis verbis: *Nunc autem manent Fides, Spes, & Charitas, tria hæc; maior autem horum est Charitas*: & quidem nihil ita honestum est ac diligere Deũ propter seipsum, seu quia est in se bonus.

Est tamen difficultas, an actus Spei in esse moris sit perfectior actu Fidei, an è contra?

Soar. disput. 1. sect. 6. Becanus cap. 17. q. 5. & Ægidius dub. 8. indicant, actum Spei esse perfectiorem in esse moris, seu esse honestiorem actu Fidei, quia actus Spei ratione sui est liber, & honestus; actus verò Fidei non ratione sui, sed ratione actus voluntatis.

Medina verò q. 17. art. 7. Lorca art. 8. Bañez q. 4. art. 7. dub. 1. & Granando tract. 1. disput. 6. docent actũ Fidei esse perfectiorem in esse moris, seu honestiorem, actu Spei, quod indicat S. Th. q. 20. art. 3. dum ait, infidelitatem ex suo obiecto esse peiorẽ desperatione, & nos etiam in id inclinamus,

quia

quia ex vna parte actus Fidei non est minus supernaturalis quam actus Spei, & est eo physice perfectior, & ex altera parte actus Fidei captiuat intellectum (qui est perfectissima potentia) in obsequium Fidei non attendens commodum proprium; actus verò Spei id attendit. Quod autem actus Fidei non sit liber ratione sui, sed ratione actus voluntatis non obstat, vt sic honestior actu Spei, qui ratione sui est liber, quia libertas tantum est fundamentum honestatis, quæ potest esse maior in actu libero ratione alterius, quam in eo altero, á quo ille est liber.

Quoad entitatem verò physicam actus Fidei perfectior est actibus Spei & Charitatis (& consequenter etiam habitus Fidei habitibus Spei, & Charitatis) quia ex vna parte non est minus supernaturalis quàm illi, & ex altera est actus intellectus, qui perfectiori modo versatur circa suum obiectum, quàm actus voluntatis, quia voluntas suis actibus fertur in suum obiectum, seu trahitur á suo obiecto; intellectus verò trahit ad se obiectum efficiendo illud sibi præsens non localiter, sed repræsentatiuè, & versatur circa illud sub ratione veri, quæ est ratio vniuersalior, quam ratio boni sub qua voluntas fertur in suum obiectum, & actus charitatis etiam quoad entitatem physicam est perfectior actu Spei (& consequenter etiam habitus charitatis habitu Spei) quia actus charitatis ad minus est benevolentiæ erga Deum, & non actus Spei peculiaris, etiamsi iste respiciat Deum tanquam eum á quo speratur, & aliquando etiam respectu concupiscentiæ tanquam bonum quod speratur; respectus autem isti erga Deum sunt physicè imperfectiores respectu benevolentiæ erga illum.

Secundò est difficultas, an inter actus Fidei, Spei, & Charitatis sit ordo generationis, seu naturæ, & dependentiæ?

Conueniunt Theologi actum Fidei non pendere in sui generatione, seu in suo elici ab actu Spei, neque ab actu charitatis, quia potest elici, & esse absque illis. Et etiam conueniũt actum Spei supernaturalem, & actum charitatis in sui generatione pendere ab actu Fidei, siue ex institutione Dei, qui non auxiliatur efficaciter ad illos absque supposito actu Fidei, siue ex natura rei, quia actus Spei, & actus Charitatis

sunt

sunt actus voluntatis, & supernaturalis; actus autem voluntatis ex natura rei prærequirit in intellectu cognitionem sibi proportionatam, & in via non est alia cognitio supernaturalis, nisi cognitio Fidei, etiamsi sufficiat quòd iudicium futuritionis rei speratæ, quod præsupponit actus Spei, sit naturale, imò & quod tantum sit probabile, quia eo iudicio nō dirigitur voluntas ad actum ipsum Spei, quamuis iuuet ad modum confidentiæ in ipso repertum. Addidimus, actum Spei supernaturalem, quia actus naturalis Spei non pendet ab actu Fidei diuinæ, quia ad ipsum vtpote naturalem, sufficit naturalis cognitio.

Est tamen difficultas, an actus Spei pendeat in sui generatione ab actu charitatis, an è contra?

Magister in 3. dist. 26. docet, actum Spei in sui generatione pendere ab actu charitatis, quod indicare videtur Aug. in Enchirid. cap. 8. dum ait, Spes sine amore esse non potest.

Soar. verò, disp. 1. sect. 8. Lorca, Granado, & communiter Theologi docent, actum Spei in sui generatione non pēdere ab actu Charitatis, quod indicat Trident. sess. 6. cap. 6. & sess. 14. cap. 4. dum actum Spei enumerat inter dispositiones etiam tempore præuias ad iustificationem, quia ante iustificationem non præsupponitur tempore actus charitatis, sicut neque habitus, & meritò; quia amor cōcupiscentiæ quo nobis efficaciter, erectè, & confidenter desideramus, v. g. gloriam à Deo, iudicantes eam futuram, non prærequirit amorem beneuolentiæ erga Deum; id enim nullo apparenti fundamento affirmari potest, ergo actus Spei non pendet ab actu Charitatis, & multo minus ab habitu.

Augustinus autem dum ait, *Spes sine amore esse non potest*, exponitur à Soar. de amore concupiscentiæ, quo Deum secundum se, vt bonum nostrum nobis amamus, & quo vt nobis bonus placet, & quem actus desiderij regulariter supponit.

Imò addimus actum Spei aliquando esse generatione priorem actu Charitatis, & hunc ab illo pendere non ex natura rei, sed ex voluntate Dei, quia ex hac prærequiritur ad iustificationem medio Sacramento (vt constat ex Trident. vbi supra) & consequenter ad habitum Charitatis, qui in Sacramento infunditur, & consequenter ad actum charita-

tis

tis ex eo habitu ortum. Imò etiam ad actum charitatis elicitum ab habitu infuso extra Sacramentum, regulariter conducit immediatè, quia ex actu Spei, quo nobis speramus Deum ab ipso, regulariter mouemur ad actum charitatis Dei, quamuis ex natura rei non prærequiratur ad actum ipsum charitatis; quia ex actu Fidei, quo credimus Deum in se bonum, possumus immediatè excitari ad actum charitatis Dei absque actu præuio Spei.

DIFFICVLTAS XI.

In quibus sit Spes?

CONVENIVNT Primò Theologi, in Deo non esse actum Spei (& multo minus habitum cum generaliter sit incapax illius) quia quamuis Deus à nobis desideret sibi aliqua bona extrinseca, vt laudem, & glorificationem, tamen non dicitur ea sperare, quia saltem in sua potestate habet, quòd nos dicta bona, quamuis nobis libera tribuamus ipsi, quia cor cuiuscumque adhuc Regis in manu Domini est, & quocumque voluerit inclinabit illud, nullus autem dicitur sperare ea bona, quæ habet in sua potestate, quamuis à voluntate alterius dependentia, quando voluntas alterius est in potestate desiderantis, quia id esset à se ipso sperare, seu expectare.

Conueniunt secundò, in Beatis non esse actum *Spei* circa Beatitudinem essentialem; neque formalem, neque obiectiuam, quia eam possident, & habent, vt exprimit Paul. ad Rom. 8. *Quod videt quis, quid sperat?* Et in illis non solum non est *Spes* circa adeptionem beatitudinis essentialis animæ, sed nec circa continuationem, seu conseruationem illius, quia Beatitudo essentialis sua natura est incorruptibilis, & perpetua, ac proinde semel habita continuatur ex natura rei, & ideo nequit sperari, ob quod *Spes* dicitur euacuari in patria, quia scilicet in patria non manet circa beatitudinem essentialem animæ.

Circa

Circa Beatitudinem, seu gloriam corporis, Lorca disp. 7. Turrian. disp. 62. Ægid. dub. 10. Granado tract. 2. disp. 1. & Adamus q. 1. dub. 2. docent, in Beatis non esse actum Spei circa illam, vel quia gloria corporis non est beatis ardua, seu difficilis, vel quia eam sperant actu Charitatis erga Deum, vel ob vtrumque.

Soar. verò disp. 1. sect. 8. Becanus cap. 17. q. 6. & Vazq. 3. p. disp. 43. cap. 2. docent, in Beatis esse actum Spei Theologicę circa gloriam corporis; & merito, quia Beati desiderant efficaciter gloriam corporis à Deo, quem non habent in sua potestate, ac proinde est illis ardua, & ab eis desideratur erectè: imò & confidenter, quia eam certissimè sperant, & absq; dubio, vt bonum proprium ex complacentia sui, quamuis etiã ab ipsis desideretur vt bonum, ex quo Deo resultabit gloria ex complacentia ipsius Dei.

Desiderium verò, quo Beati sperant alijs beatitudinem à Deo, siue essentialem animæ, siue accidentalem corporis est in ipsis Beatis actus beneuolentiæ erga illos alios, & etiam est actus charitatis erga Deum, quia absque dubio illis desiderant Beatitudinem vt bonum eorum ex ipsorum complacentia, & etiam ex complacentia Dei, quatenus ex beatitudine illorum resultabit Deo gloria: imò etiam est actus virtutis peculiaris Spei ex propria complacentia, quatenus ex beatitudine ipsis redundabit gaudium, quod in Beatis fit nõ vnico tantum desiderio, sed triplici, alio quo desiderant alijs beatitudinem ex eorum complacentia, alio quo desiderant illis eandem beatitudinem ex complacentia Dei, & alio quo illam eis desiderant ex complacentia propria.

Sed an in Beatis maneat habitus infusus Spei non conueniunt Theologi, quia Soar. Ægid. & Becanus docent manere, vel quia in illis est actus Spei circa gloriam corporis, qui est Theologicus, & supernaturalis, quia eo sperant dictam gloriam à Deo potẽte supernaturaliter ex parte modi, quia gloria corporis non est physice debita Beatis, vel quia in illis est gaudium de Beatitudine animæ adepta, quod etiam est supernaturale, ergo in illis est habitus infusus Spei, vt dictos actus supernaturales connaturaliter eliciant. Addunt, prædictum hunc habitum non manere in Beatis sub denomi-

natione Spei, vel quia nullum actum veræ Spei eliciunt, vt ait AEgid. vel quia non eliciunt principalissimum actũ Spei circa gloriam, vt adipiscendam, vt ait Soar.

Vazq verò, Turrianus, Granado, & Valent. 1.2. disp. 5. docent, in Beatis non manere habitum infusum Spei, & meritò; quia quamuis in Beatis sit actus ille Spei circa gloriam corporis, qui est Theologicus, & supernaturalis, omnibus tamẽ pensatis conuenientius multo est, eum actum, quia secundarius, & minus principalis est, non elici perfectè, & connaturaliter medio habitu infuso, sed concursu peculiari Dei, quàm in Beatis admittere varietatem, & destructionem illius habitus, qui tandem post adeptam gloriam corporis destruendus esset, quia in æternũ futurus erat otiosus, & loco illius futura sit tentio, seu comprehensio eius, quod speratur.

Actus verò gaudij, quo Beati gaudent de beatitudine animæ adeptæ, vt proprio bono ex complacentia propria, quãuis sit Theologicus, & supernaturalis, quia est ob bonitatẽ Dei visi, qua est ipsis beatis bonus ex complacentia ipsorum vt ciuium supernaturalium non elicitur âb habitu infuso Spei, quia non est actus Spei, vt patet, & est diuersæ speciei ab illo, quia voluntas eo actu tendit diuerso modo in illa obiecta, quàm actu Spei, quo tendit efficaciter erectè, & confidenter, & non dicto actu gaudij, & diuersò modo mouetur à bonitate Dei visi, ac quando sperat videre Deum. Et non solum non elicitur ab habitu infuso Spei, sed neque ab aliquo alio habitu supernaturali (ac proinde non elicitur connaturaliter) quia est actus puræ beneuolentiæ propriæ, & absque difficultate aliqua circa materiam ipsius, ad quem, sicut nullus acquiritur habitus deseruiens ad eum facilè eliciendum, quia in eo eliciendo nulla est difficultas; ita etiam ad eum nullus à Deo infunditur habitus, vt connaturaliter eliciatur, quia habitus supernaturales libere infunduntur à Deo absq; exigentia ipsorum actuum, & nullo firmo fundamento constat Deum infundere habitum aliquem supernaturalem ad actus supernaturales, qui vel ex suo obiecto, vel ex persona ex cuius complacentia eliciuntur, non habent difficultatem aliquam; ad affectum tamen supernaturalem credendi Fide diuina admisimus habitum infusum supernaturalem, quã-

uis

uis in eo affectu adhuc naturali nulla sit propria difficultas, sed tantum deriuata ex ipso actu credendi, quem habet pro obiecto, & pro effectu morali, quia affectus credendi est imperium, & initium ad actum credendi, qui connaturaliter elicitur medio habitu infuso, vt etiam initium ipsius connaturaliter eliciatur.

Et quod dictum est de dicto actu gaudij Beatifici, nempe quod non eliciatur ab habitu infuso Spei, neque ab alio habitu infuso, etiam est dicendum de puro desiderio etiam efficaci, quo viator sibi desiderat videre Deum, vt bonum proprium ex complacentia sui, quod quamuis sit Theologicum, & supernaturale, non eliciatur ab habitu infuso Spei, neque ab alio habitu infuso, quia neque est actus Spei, neq; habet difficultatem aliquam: vnde quamuis admittamus dictum desiderium esse honestũ, & honestate determinatæ speciei, non tamen alicuius nominatæ, quia species honestatis actus nominatur ex specie virtutis à qua elicitur, & dictum desiderium à nulla elicitur, quia non elicitur ab aliquo habitu, in quo consistit virtus, quando habitus est ad actũ bonũ.

Conueniunt tertiò Theologi, in damnatis etiam paruulis decedentibus cũ solo originali non esse actum Spei Theologicæ infusæ. Primò, quia non iudicant sibi à Deo conferendum esse donũ aliquod supernaturale; imò persuasi sunt non esse sibi conferendũ. Secundò, quia nequeunt eũ actũ elicere absq; auxilio supernaturali cõsistente in cognitione supernaturali, qua carent. Vnde neq; in eis est habitus infusus Spei, quãuis in via præcesserit, quia præterquã quod esset perpetuo otiosus, etiã ornamentũ animæ adeo magnũ, quale est habitus infusus Spei dedecet statum damnationis, ac proinde quando præcesit in via, vt potuit in adultis dãnatis cõtingere, statim ac damnantur, eo spoliantur in pœnam.

Conueniunt quartò cõmuniter Theologi, in hæreticis, & in alijs infidelibus in quibus non est aliquis actus Fidei diuinæ infusæ, non esse actum Spei infusæ, quia carent cognitione Fidei infusæ, quæ requisita est ad actũ dictum Spei, quia ea sola est inviatoribus ad hunc actum Spei proportionata, sed an in prædictis perseueret habitus infusus Spei, si forte fuit ante infidelitatem incertum est; quia ex natura rei non

pendet

pendet in conſeruari ab actu, neque ab habitu Fidei infuſæ, qui non ſunt in infideli, & nullo veriſimili fundamento affirmari poteſt prædictos pro voluntate Dei eo habitu ſpoliari, quamuis futurus ſit otioſus pro tempore infidelitatis; quia infidelitas ceſſare poteſt, & pro tempore ceſſationis erit vtilis ad connaturaliter ſperandum à Deo dona ſupernaturalia; ſi tamen in infideli ſit aliquis actus Fidei diuinæ ſupernaturalis (qui non erit Fidei infuſæ, ſed inferioris ſpeciei) etiam poterit eſſe actus Spei Theologicæ ſupernaturalis (quamuis non infuſæ) quia ad hunc ſufficit actus ille Fidei.

Conueniunt quintò, in peccatoribus fidelibus poſſe eſſe actum Spei, vt ſupponitur in Trident, ſeſſ. 6. cap. 6. dum inter diſpoſitiones præuias ad iuſtificationem enumerat actū Spei. Vnde in illis etiam poteſt eſſe habitus infuſus *S*pei, & ad minus erit, quando eliciant actum ſupernaturalem Spei, vt ab eo talis actus Spei connaturaliter eliciatur, & in eo habitus ſemel infuſus perſeuerabit quouſque peccato mortali deſperationis amittatur; eo modo quo habitus infuſus Fidei peccato infidelitatis amittitur.

Conueniunt ſextò, in animabus Purgatorij eſſe actum *S*pei, quia deſiderant efficaciter, & erectè obtinere à Deo beatitudinem, & etiam confidenter, quia iudicant ſe illam obtenturas, & ad eum nō deficit illis actus Fidei vnde in eis etiam eſt habitus infuſus Spei, vt ab eo actus ille Spei connaturaliter eliciatur.

Non inſtituimus peculiarem diſputationem de habitu infuſo Spei, quia quæ in tract. de Fide, diſput. 5. diximus de habitu infuſo Fidei, facile poſſunt habitui infuſo *S*pei proportione ſeruata accommodari; nempe habitū infuſum *S*pei eſſe per ſe infuſum, & aliquando infundi abſq; Charitate, & ab ipſo elici quemcumq; actum Spei ſupernaturalem etiam primum; poſſe tamen de potentia Dei abſoluta abſque habitu elici, & ſic elicitum euadere inferioris ſpeciei. Et eum habitum tantum intendi actibus ſupernaturalibus *S*pei ipſo intenſioribus; & non intendi phyſicè, neque moraliter, ſed tantum occaſionaliter; & eum amitti peccato mortali deſperationis, & non phyſicè, ſed demeritoriè. Et quamuis

aliquando in totum destruitur, nunquam tamen minui. Et præter hunc habitum per se infusum posse etiam esse habitū supernaturalem Spei actibus supernaturalibus Spei acquisitum, ipsis actibus imperfectiorem, & ad eos concurrentem tantum quoad facilitatem. Addimus etiam actibus Theologicis naturalibus Spei acquiri habitum naturalem, qui post quam, acquisitus est concurrit ad similes actus quoad facilitatem.

DISPVT. II.

De Timore, Desperatione, & Præsumptione.

DIFFICVLTAS I.

Quid, & Quotuplex sit Timor?

TIMOR In cōmuni, physicè oppositus actui Spei in communi, est affectus quo efficaciter, & deiecte, & timide fugimus malum infligendum ab alio: qui opponitur physicè actui Spei ex parte termini, seu obiecti; quia sicut sperare est affectus quo efficaciter erectè, & confidenter desideramus bonum conferendum ab alio; ita etiam timere est affectus, quo efficaciter, & deiectè, & timidè fugimus malum infligendum ab alio: ad hunc autem modū timiditatis non minus prærequiritur iudicium futuritionis mali quod timetur, quam ad modū confidentiæ in actu Spei iudicium futuritionis boni, quod speratur.

Timor ergo physicè oppositus actui Spei Theologicæ est affectus, quo efficaciter deiectè, seu cum animi deiectione, & timide, fugimus malum infligendum â Deo; quod nequit esse nisi pœna, aut pœnalitas, non culpa, quia hęc nequit à Deo prouenire; & hoc timore inducimur ad non peccandum, & seruilis dicitur, quia est proprius seruorum timore

pœnæ

pœnæ induci ad non male operandum. Timor autem iſte ſeruilis mali a Deo infligendi eſt ex ſe honeſtus, quia rationi conſonum eſt affectu fugere malum naturæ aduerſum, & qui ex ſe inducit ad bonum, aut ſaltem ad non peccandum, & eum eſſe honeſtum ſupponitur in Tridentino ſeſſ. 6. cap. 6. & can. 8. ſed quamuis timor iſte ſeruilis ſit ex ſe honeſtus, quædam tamen ſeruilitas, quæ illi aliquando quamuis raro adiungitur eſt mala, nempe affectus expreſſus peccandi, ſi impune peccaretur, qui quamuis ſit malus ab eo tamen non vitiatur timor ipſe ſeruilis, quia affectus ille non eſt circunſtantia ipſius timoris, quia non eſt cauſa neque effectus illius.

Timor autẽ iſte ſeruilis prout habet rationem fugæ abominationis habet pro obiecto formali malitiam rei, quæ timetur, & pro materiali rem ipſam malam, & prout eſt fuga mali infligendi à Deo, quo reſpectu modificatur ad eſſe timoris habet pro obiecto formali ſeu motiuo potentiam Dei, & pro obiecto quaſi materiali ipſum Deum, & prout habet rationem complacentiæ reſpectu perſonæ timentis habet pro obiecto formali bonitatẽ ipſius perſonæ, & pro obiecto quaſi materiali perſonam ipſam.

Et non tantum dicto timorẽ ſeruili inducimur ad non peccandum, ſed etiam timore filiali ſeu caſto, qui nihil aliud eſt quam affectus efficax quo fugimus peccatum, ſeu offenſam Dei ex complacentia ipſius, ne ipſi diſpliceamus (quem eſſe honeſtum eſt manifeſtum) & dicitur filialis, quia eſt proprium filiorum induci ad non offendendum patrem ex complacentia ipſius; dicitur autem timeri peccatum ſeu offenſa Dei, non prout prouenit à propria voluntate, quia peccatũ vt ſic non eſt arduum, ſed prout prouenit ab aliquo principio extrinſeco, aut ab occaſione aliqua; qua ratione eſt arduum, ſicut etiam ſperamus opera bona, non vt prouenium à noſtra voluntate, ſed vt prouenium à Deo medio auxilio gratiæ, qua ratione ſunt ardua.

Et non tantum timore ſeruili, & filiali inducimur ad non peccandum, ſed etiam timore initiali. Eſt tamen difficultas, quid ſit iſte timor.

Durand. in 3. diſt. 34. quæſt. 4. docet timorem initialem eſ-

se actum specie distinctum à seruili, & filiali pro obiecto habentem obiectum vtriusque: Fallitur tamen, quia impossibile est vnum, & eundem actum elici ex complacentia Dei ex qua elicitur timor filialis, & elici ex complacentia propria ex qua elicitur timor seruilis.

Magist. in 3. dist. 34. docet timorem initialem esse ipsum timorem seruilem, vt est radix timoris filialis eum introducens in animam; quod non incongruè dicitur, & explicatur.

S. Thom. verò 2.2.q.19.art.7. & 8. & communiter Theologi docent timorem initialem esse ipsum timorem filialem incipientem, & quasi imperfectum, & secum habentem, vel potentem facile habere timorem seruilem qualis amor filialis solet esse in initio, & id satis congruè dicitur. Timor ergo initialis sic acceptus non distinguitur essentialiter à timore filiali, sed tantum accidentaliter; sicut imperfectum & perfectum, & purum, & non purum in eadem specie. Dicitur autè timor iste initialis, tum quia est timor filialis in initio, tum etiam, quia est initium, & dispositio ad timorem filialem, perfectum, & purum.

Et sicut dictis tribus timoribus inducimur ad non peccandum, ita è contra est timor, quo inducimur ad peccandū, & dicitur mundanus, seu humanus; quia nihil aliud est quam timor, quo ita timemus malum aliquod temporale huius vitæ à mundo, seu ab homine v.g. infamiam, vt ad illud vitandū eligamus peccare. De quo timore sermo est Matth. 10. & Luc. 12. dum dicitur: *Nolite timere eos qui occidunt corpus*; timor autem iste fit malus ex circunstantia medij (quæ dicitur *quibus auxilijs*) quod eligitur ad vitandum malum quod timemus. Est tamen malus eadem numero malitia, qua peccatum ipsum quod eligitur vt mediū, ac proinde est mortalis, aut venialis pro grauitate, aut leuitate medij, seu peccati quod eligitur.

DIFFICVLTAS II.

A quo habitu eliciatur Timor?

SVPPONIMVS Timorem mundanum qui est malus non ex obiecto, sed ex circunstantia medij mali eliciti, &

eadem

eadem numero malitia, qua ipsum medium non tantum non elici ab aliquo habitu virtutis, sed neque ab aliquo habitu vitij, quia si ab aliquo, maximè ab habitu à quo elicitur electio medij mali; ab eo tamen non elicitur, quia timor iste non est propria materia vitij à quo elicitur electio mali medij, imò ab eo habitu non procedit imperatiuè, quia timor iste non imperatur à dicta electione, cum ipse sit intentio, qua intenditur vitari malum ad quod vitandum eligitur medium illud, intentio autem non imperatur ab electione.

Est tamen difficultas primò de timore seruili an eliciatur ab aliquo habitu, & à quo?

Bañez q. 19. art. 6. docet hunc timorem à nullo habitu elici; quia non ab aliquo infuso, quia timor seruilis potest esse in peccatore, in quo præter habitus Fidei, & Spei, à quorum neutro elicitur, non est alius habitus infusus, neque ab aliquo habitu acquisito, quia timor seruilis supponit Fidē, quam nullus habitus acquisitus supponit.

Soar. verò disp. 1. sect. 2. Lorca disp. 14. Turrianus disp. 63. & Ægid. disput. 20. dub. 6. docent timorem seruilem elici ab habitu Spei, & meritò, quia desiderare efficaciter, & erectè, & confidenter bonum à Deo potente illud conferre ex propria complacentia, & efficaciter, & dejectè, & timide fugere malum à Deo potente illud infligere ex propria complacentia sunt moraliter eiusdem rationis, & habēt eandem honestatem; imò physice non distinguuntur specie formali, quia non specie desumpta ex obiecto formali modificatiuo ad actum Spei, & ad actum timoris, neque ex obiecto formali modificatiuo ad actum beneuolentiæ propriæ, sed tantum specie materiali desumpta ex obiecto formali constitutiuo affectus in esse concupiscentiæ, quod in ipso affectu est quasi materiale ad alia esse, seu ad alios respectus ipsius; sed affectus ille desiderij elicitur ab habitu, & virtute Spei, ergo etiam dictus affectus fugę, qui vere est timor.

Ex quo constat ad rationem Bañez falsum in ea supponi timorem seruilem non elici ab habitu Spei. Quod autem dum magis perficitur Charitas minuatur timor pœnæ infligendæ à Deo ob peccatū, nō obstat, vt dictus timor sit actus

honestus, & à virtute elicitus, quia non minuitur maiori perfectione Charitatis, nisi occasionaliter, nempè diminutione iudicij futuritionis pœnæ, ob cuius diminutionem minuitur modus timiditatis in actu dicti timoris imbibitus.

Obseruandum est, quod quamuis omnis timor, quo timemus à Deo malum infligendum, sit Theologicus, quia habet pro obiecto formali partiali omnipotentiam Dei; nihilominus non omnis est supernaturalis, sed tantum ille, quo timemus malum à Deo infligendum supernaturaliter saltem quantum ad modum, quia ille quo timemus malum à Deo naturaliter infligendum est naturalis; ac proinde procedens ab habitu Spei acquisitæ, postquam acquisita est, sicut ille supernaturalis ab habitu Spei infusæ, vt in simili diximus de actibus Spei Theologicæ disput. 1. difficult. 8. & vltima.

Secundò est difficultas de timore filiali, an eliciatur ab aliquo habitu, & à quo?

Non desunt qui existiment non elici à virtute aliqua infusa, sed ab speciali dono timoris, quod est vnum è septem donis Spiritus Sancti.

Soar. verò Turrianus, & Ægidius existimant elici ab habitu infuso Charitatis Theologicæ, & meritò, quia timor iste filialis verè est actus Charitatis erga Deum, quia aliquē fugere peccatum, ne displiceat Deo ex complacentia ipsius Dei, non est minus diligere Deum amore benevolentiæ, & amicitiæ; quam velle Deo bonum, vt ipsi placeat ex complacentia ipsius, & moraliter sunt eiusdem rationis, & habent eandem honestatem; imò physicè sunt eiusdem speciei formalis desūptæ ex obiecto formali partiali, quasi vltimo, & modificatiuo nempe ex bonitate Dei, ergo sicut velle Deo bonum ex complacentia ipsius elicitur ab habitu Charitatis Theologicæ; ita etiam actus timoris filialis.

Et quidem donum timoris pro actu nihil aliud est, quam dictus timor filialis, & pro habitu nihil aliud est quam habitus Charitatis prout in eum timorem inclinans, quia dona Spiritus Sancti, non sunt nisi quidam actus heroici virtutum, & ipsæ virtutes prout in

eos

eos inclinantes, vt dicimus tract. de virtutibus difficult. 13. Vnde crescēte Charitate, siue pro actu, siue pro habitu nō minuitur timor filialis, sed potius crescit (quia vere est actus Charitatis) nisi forte aliquando occasionaliter diminutione iudicij futuritionis peccati. Primæ autem Ioann. 14. dum dicitur. *Perfecta Charitas foras mittit timorem* sermo est non de timore filiali, sed de seruili, quem quis habet post quam peccauit, & quo timet pœnas alterius vitæ, quia qui perfectus est in Charitate, & id sibi persuadet, etiam sibi persuadet se euasurum pœnas alterius vitæ, & adepturum gloriam.

Ex dictis constat ex quo habitu eliciatur timor initialis, quia si timor initialis sit seruilis, vt Magister non incongruè existimat elicitur ab habitu Spei; siverò sit filialis elicitur ab habitu Charitatis.

DIFFICVLTAS III.

Vtrum in Beatis maneat timor?

CONVENIVNT Catholici contra Abaylardum, in Beatis vere esse timorem, vt significatur Psal. 18. *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi*, quod quamuis August. affirmet exponi posse de timore quoad fructum, seu præmium, sicut & illud Psal. 9. Patientia pauperis non peribit in finem. Nihilominus communiter à PP. & ab Scholasticis exponitur de timore ipso secundum se, & de eo vt sic exponit illud ipse August. tract. 34. in Ioann. & tract 9. in epist. 1. Ioan.

In Beatis ergo esse actum timoris sancti conueniunt Theologi contra Durand. qui in 3. dist. 34. q. 3. quamuis concedat Beatis habitum timoris, illis tamen negat actum illius, immeritò tamen, quia Scriptura in qua Beatis conceditur timor potius est sermo de actu, quam de habitu.

Sed quis actus timoris sit in Beatis non satis conueniunt Scholastici. Nos verò existimamus eum non esse timorem rigorolum; quo timeant malum aliquod sibi futu-

rum, præsertim culpæ, aut pœnæ quia ipsi neque suspicantur sibi esse futurum, sed esse timorem situm in affectu reuerentiæ, seu submissionis erga Deum cognitum, vt excellentissimum, & eminentissimum in Maiestate, quo voluntas contracta & submissa, tantam Maiestatem reueretur; quia Beati infinitam excellentiam, seu Maiestatem Dei videndo, non solum intellectu admirantur, sed etiam voluntate se contrahunt, & se Deo submittunt affectu complacentiæ, quo ex complacentia propria complacent esse sub Deo, & esse ipso inferiores, quia esse sub illo est excellentiæ ipsorum congruum, & hoc affectu, qui est virtutis humilitatis reuerentur Deum.

Et quamuis affectus iste non sit rigorosè, & vniuocè timor, dicitur tamen timor, quia in dicta contractione, & submissione assimilatur timori rigoroso, & ratione dicti timoris dicuntur Beati tremere, & contremiscere, qui dicitur reuerentialis, & filialis, quia est reuerentia erga Deum essentialiter Patrem; talis fuit timor excitatus in illis, de quibus Luc. 7. dicitur. *Accepit autem omnes timor, & glorificabant Deum*, & Mar. 9. *Videntes autem timuerunt, & glorificauerunt Deum dicentes, quia vidimus mirabilia hodie.*

DIFFICVLTAS IIII.

Quid sit desperatio?

CONVENIVNT Communiter Theologi, desperationem formaliter non esse actum intellectus, sed esse actum voluntatis oppositum affectui Spei, fugam videlicet efficacem boni sperabilis, seu recessum ab eo, sicut sperare (cui desperare opponitur tanquam recessus à termino accessui ad eum terminum) est affectus efficax voluntatis, quo tendit, seu accedit efficaciter in bonum sperabile, & sicut actus sperandi est affectus efficax, quo voluntas tendit in bonum arduum seu ab alio; & ideo est affectus efficax, quo voluntas erectè, & animosè tendit

in dictum bonum ; & non tantum eo tendit in illud erectè, sed etiam confidenter ad quod in intellectu prærequiritur iudicium futuritionis boni : ita etiam desperatio est affectus efficax quo voluntas fugit, seu recedit à bono arduo, seu adipiscibili ab alio, & ob arduitatem hanc voluntas eo affectu deiecte, seu cum quadam animi deiectione fugit dictum bonum seu ab eo recedit, & desistit ; & non tantum eo affectu recedit à dicto bono efficaciter, & deiectè, sed etiam diffidenter ad quod prærequiritur in intellectu iudicium non futuritionis boni sperabilis. Quod amplius declaratur, quia desperatio non est actus intellectus, quia si aliquis maximè iudicium illud quo desperans iudicat se non adepturum bonum illud, id tamen iudicare non est formaliter desperare, quia qui id iudicat non desperat, si aliàs conetur bonum illud adipisci. Desperatio ergo est affectus voluntatis, & non alius quam affectus fugæ, seu nolitionis quo desperans, iudicans bonum non futurum, efficaciter, & deiectè, & diffidenter desistit, seu recedit à bono illo adipiscendo.

Desperatio ergo opposita actui Theologico sperandi est fuga seu nolitio efficax, qua voluntas efficaciter, & deiectè, & diffidenter fugit adipisci à Deo bonum ab ipso sperabile. In quo actu obiectum materiale quoad respectum fugæ, seu nolitionis correspondentem respectui concupiscentiæ in affectu Spei, est bonum sperabile, & obiectum formale, seu motiuum est malitia, quæ in ipso bono concipitur, nempè difficultas aliqua illius quoad adeptionem, qua bonum illud concipitur difficile, seu molestum.

Ex dictis constat, peccatum desperationis virtuti Theologicæ Spei oppositum positiuè, non consistere in dicto iudicio non futuritionis boni sperabilis à Deo, sed in dicta fuga, seu nolitione efficaci procedente ex iudicio imprudèter non futuritionis, quia tunc ea nolitione irrogatur iniuria omnipotentiæ Dei saltem interpretatiuè, & moraliter quãuis desperans desperet, quia diffidere videatur propriæ fragilitati, & non omnipotentiæ Dei, quia etiam tunc suo affectu denotat suam fragilitatem maiorem esse omnipotentia Dei,

& eo peccato, quando est mortale amittitur moraliter, seu demeritorie habitus infusus Spei, non minus quam habitus infusus Fidei peccato mortali infidelitatis.

Quod verò nonnulli dicunt, in dicto iudicio sufficienter reperiri culpam, seu malitiam desperationis, non quia sit formaliter desperatio, sed quia ipsum iudicantem constituit in periculo desperationis, dicitur absque sufficienti fundamento, quia inter dictum iudicium, & dictam nolitionem non est tanta connexio, vt ex se constituat in dicto periculo, quia adhuc eo iudicio supposito nolitio illa omnino libere admittitur: quando vero in aliquo ob aliquam peculiarem dispositionem iudicium illud inducit dictum periculum, tunc in eo iudicio reperitur malitia desperationis, non primario, sed tantum secundario, & deriuatiuè; tunc tamen eo peccato non amittitur habitus infusus Spei, dum non desperatur libere, sicut neque periculo errandi contra Fidem amittitur habitus infusus Fidei, dum non erratur libere contra Fidem.

Obseruandum tamen est, quod quamuis iudicium ad desperationem prærequisitum possit esse contra Fidem, vt quando quis desperat gloriam iudicans Deum eam non daturum, quamuis decedat in gratia; tamen necessarium non est quod sit contra Fidem, vt quando quis desperat gloriam iudicans imprudenter se sua ignauia non superaturum difficultates, quæ ad adipiscendam gloriam occurrent.

Est autem peccatum desperationis ex suo obiecto minus, non solum peccato odij Dei, quod est certum, sed etiam est minus peccato infidelitatis, vt aduertit S. Tho. q. 20. art. 3. sicut actus Spei Theologicę cui opponitur est minus bonus, non solum, quam actus Charitatis, quod certum est, sed etiã quam actus Fidei, vt diximus disp. 1. dif. 10. & tract. de Fide, disp. 10. dif. 2.

DIFFICVLTAS V.

Quid sit Præsumptio?

PRæsumptio (quæ vt sic est motus excedens) est duplex, vna pertinens ad intellectum, & altera ad voluntatem.

Præ-

Præsumptio, quæ ad intellectũ pertinet (& est cognitio excedens) etiã est duplex altera est nimia, seu inordinata propriæ excellẽtię existimatio; altera est cognitio, qua quis ex coniecturis absque euidentia rei aliquid conijcit; qua ratione sumitur in iure. Præsumptio verò, quæ ad voluntatem pertinet (& est affectus excedens) est triplex. Alia est *Affectus quo quis scienter tendit in id quod est supra suam facultatem moralem*: quamuis non supra physicam, vt quando quis cognita lege suo affectu tendit in id quod est contra legem, qua ratione sumitur in iure, dum dicitur *Si quis præsumpserit, &c.* & est peccatum, aut mortale, aut veniale, & est huius, aut illius specie pro quantitate, & pro qualitate materiæ prohibitę ipsa lege. Alia est *affectus quo quis tendit in honorem supra propriam excellentiam, seu dignitatem*: & est peccatum superbiæ oppositum magnanimitati, vel humilitati, quod rarissimè est mortale, alia est *affectus quo quis à Deo inordinatè sperat* (etiã si aliquando quamuis rarò ordinatè sperare dicatur præsumere, vt dicitur Iudith. 6. & 9) & de hac præsumptione vtpotè opposita Spei Theologicæ procedit difficultas, quid sit, seu in quo consistat.

Præsumptio ergo Spei Theologicæ opposita: *Est quædã inordinata Spes in Deo*, seu est *affectus, quo à Deo aliquid inordinatè speramus*: Speramus autẽ inordinatè, vel quãdo aliud, vel quãdo aliter speramus, quã diuina prouidẽtia statutũ est: *Aliud* quidẽ vt quando à Deo speramus tantã gloriã, quantam habuit anima Christi, vel quando speramus à Deo aliquid, quod ipsi sit indignum conferre: *Aliter* verò, vt quando à Deo speramus remissionem peccatorum sine pœnitentia, & gloriam sine gratia, & sine bonis operibus; imò etiam quando à Deo speramus gloriam ex operibus viribus nostris absque auxilio gratiæ factis, quia id verè est præsumere contra Spem.

Est autem quæuis præsumptio ex dictis, Spei Theologicæ opposita, peccatum, & grauissimum, vtpotè oppositum virtuti, & nobilissimæ; per nullam tamen ex eis amittitur habitus infusus Spei, quia nulla opponitur actui Spei, eo modo quo opponitur desperatio, nempè deficiendo in sperando, sed excedendo in eo.

Spe-

Sperare ergo à creatura tanquã à causa principali, quod à Deo sperandũ est, nõ est expresse & directè cõtra Spẽ Theologicam, neq; debet præsumptio appellari est tamẽ peccatũ valde affine peccato præsumptionis cõtra Spẽ, sicut colere creatu ã tãquã Deũ est peccatũ idololatrię valde affine peccato cõtra Religionẽ; quia id cedit in inhorationẽ Dei; quia interpretatiuè, & indirectè est cõtra Religionẽ, & prædicto modo à creatura sperare est interpretatiuè, & indirectè cõtra Spẽ.

Ex dictis constat virtuti Spei Theologicæ, & actui illius tria opponi, nempè desperationem, præsumptionem, & timorem seruilem, diuerso tamen modo, quia desperatio, & præsumptio opponuntur illi tanquã duo extremã; præsumptio quasi per excessum, & desperatio quasi per defectum: Timor verò seruilis opponitur illi non moraliter, neq; physicè formaliter, sed quasi materialiter ex obiecto materiali, ea proportione qua opponuntur amor, quo Deo ex complacentia ipsius volumus aliquod bonum, & odium abominationis, quo Deo ex complacentia ipsius nolumus, seu abominamur priuationem illius boni, vel aliud malum.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrũm sit præceptum Spei Theologicæ?

SVpponimus primo, esse præceptum negatiuum Spei, quo prohibentur desperatio, & præsumptio, & illud esse naturale, quia dicti actus suo iure naturali, seu sua natura sunt mali; & quia est negatiuum obligat semper, & pro semper.

Supponimus secũdò, esse obligationẽ eliciendi actũ Spei Theologicæ, quod exprimit Aug. tract. 53. in Ioan. dum ait præceptum esse nobis sperare multa; hæc tamen obligatio non vrget pro semper, vt constabit ex dicendis.

Est tamen difficultas, pro quo tẽpore vrgeat. Circa quam dicẽdũ credimus, vt optimè Sanc. lib. 2. c. 35. & alij Theologi obligationẽ eliciendi actum Spei Theologicæ non vrgere pro aliquo determinato tempore, sed indeterminatè & pro solis duobus.

In primis vrget pro eo tẽpore, in quo occurrit præceptũ alicuius alius virtutis distinctæ ab Spe, ad cuius impletionẽ necessarius sit actus Spei Theologicę, v. g. pro tẽpore, in quo

reci-

recipitur Sacramentū pœnitentiæ, aut Baptiſmi, quia abſq; actu Spei non poſſunt recipi ab adulto, abſq; peccato ſacrilegij, quia abſq; eo actu ſaltē fruſtrantur ſuo fructu gratiæ: & quod in idē indicit, etiā vrget pro eo tempore, in quo actus Spei eſt neceſſarius ad vincēdā tētationē cōtra aliquod p. ęceptū alicuius alius virtutis diſtinctæ ab Spei, quia quoties eſt præceptū obtinendi aliquem finē ex eo præcepto oritur obligatio apponendi medium neceſſarium ad eum finem.

Pręceptū tamē hoc, aut potius obligatio eliciēdi actū Spei pro dicto tēpore nō oritur per ſe ex virtute Spei, nec ex pręcepto Spei, ſed oritur ex præceptis aliarū virtutū, ad quorū implitionē eſt neceſſarius actus Spei. Et ideò tunc omiſsio actus Spei nō eſt cōtra virtutē Spei, ſed eſt cōtra alias virtutes, & cōtra earū pręcepta; nec eſt peccatū diſtinctū à peccato cōtra illas alias virtutes; ac proinde explicato in cōfeſsione peccato cōtra alias virtutes, nō eſt neceſſariò explicāda omiſsio Spei, quia hæc eſt peccatū indiſtinctū ab illo, ab eo accipiēs malitiā quā habet, v. g. quādo quis ſe ipſū ęthliter vulnerat, quod nō efficeret, ſi eliceret actū Spei, tūc omiſsio actus Spei eſt peccatū indiſtinctū à peccato vulnerationis ſui, quod eſt temeritatis cōtra fortitudinē, & hoc peccato explicato in cōfeſsione nō eſt neceſſarium explicare omiſsionem Spei, & quādo adultus ſuſcipit baptiſmū abſq; actu Spei, tūc omiſsio actus Spei eſt peccatū indiſtinctū à peccato fruſtrādi baptiſmū ſuo fructu, quod eſt ſacrilegij cōtra Religionem, & hoc peccato explicato non eſt neceſſarium explicare, an id fuerit ex defectu Spei, an ex defectu Fidei?

Deinde 2. præceptū affirmatiuū, aut potius obligatio eliciē di actū Spei vrget pro eo tēpore in quo actus Spei ſit neceſſarius ad vincēdā tētationē deſperationis, & tūc ea obligatio eſt propria virtutis Spei, vtpote orta ex præcepto illius, nō ex affirmatiuo aliquo ſperādi, ſed ex negatiuo nō deſperādi, quod eſt virtutis Spei, & ideò tūc omiſsio actus Spei erit formaliter peccatū cōmiſsionis deſperationis, & nō erit formaliter omiſsionis Spei, ſed tantū materialiter. Exceptis autem his duobus tēporibus indeterminatis, pro quibus dicimus vrgere obligationem eliciendi actum Spei, non vrget determinatè pro alio, quia non vrget determinatè pro

initio

initio vsus rationis, nec pro diebus festis; nec semel pro singulis annis, nec pro fine vitæ, quia obligationis pro his temporibus determinatè nullum est sufficiens fundamentum.

Vnde actus *Spei* non obligat ob ipsum, seu in eo sistendo, seu præcepto affirmatiuo proprio ipsius, sed obligat ob impletionem præcepti negatiui *Spei*, nempè non desperandi: & etiam obligat ob impletionem aliorum præceptorum aliarum virtutum, quando ad eorum impletionem sit necessarius, ex quibus alia sunt affirmatiua, alia negatiua.

Et eadem proportione dicendum credimus, actum timoris non obligare ob ipsum determinatè pro aliquo tempore, seu non obligare præcepto affirmatiuo proprio ipsius actus timoris, sed obligare indeterminatè, & pro eo tempore, in quo sit necessarius ad impletionem præcepti alicuius alius virtutis distinctæ ab *Spe*: & etiam pro eo tempore, in quo sit necessarius ad impletionem præcepti negatiui *Spei* non desperandi, seu ad euitandam desperationem, sicut dictum est de actu Spei.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm illecui facta est reuelatio suæ damnationis teneatur præcepto affirmatiuo sperandi, & negatiuo non desperandi?

SVPPONIMVS, (in quo contra Bonauent. in 1. dist. 48. dub. 1. conueniunt Theologi) Deum posse alicui absolutè, & absque conditione aliqua reuelare reprobationem illius, & efficere, vt eam cognoscat vt absolutam, & absque conditione, quia id non est Deo illicitum, neque aliunde inuoluit contraditionem aliquam, quamuis reuelat o reprobationis, quæ non constet esse absoluta sit iudicanda comminatoria, & conditionalis, quales fuerunt aliquæ annunciationes propheticæ in scriptura facta, & qualis fuit annũ-

tia-

tiatio prophetica ſuberſionis ciuitatis Niniuæ.

Hoc ergo ſuppoſito conueniunt communiter Theologi (paucis exceptis) hominẽ, cui facta eſt, & notâ reuelatio abſoluta ſuæ damnationis, non poſſe ſperare beatitudinem, quia ad actum Spei non ſufficit iudicium poſibilitatis rei, quæ ſperatur, ſed requiritur iudicium futuritionis illius, quia abſque eo non poteſt confidenter deſiderari, quòd in ſubſtantia actus Spei imbibitur; homo autem ille non iudicaret ſe eſſe ſaluandum, ſed potius damnandum, ergo non poſſet ſuam beatitudinem, ſeu ſuam ſaluationem ſperare; ac proinde excuſatur ab implendo præceptum affirmatiuum Spei, non ablatione præcepti quod dicta reuelatione non auferretur, ſed impotentia implendi illud, quia defectu iudicij futuritionis non maneret in illo poteſtas ſperandi.

Eſt tamen difficultas, an homo ille poſſet licitè deſperare? Petrus Hurt. diſp. 113 ad finem, docet eum non poſſe licitè deſperare, in quod inclinat Soar. diſput. 2. ſect. 2. in fine, & id ſupponit Azor, lib. 2. cap. 21. q. 3. quia deſperare eſt intrinſecè malum, quia deſperando irrogatur iniuria omnipotentiæ Dei, ſicut diſcredendo irrogatur veritati, & veracitati Dei.

Turrian. verò diſput. 65. dub. 2. Becan. cap. 17. q. 8. & Ægid. diſp. 20. dub 13. exiſtimant hominem illum poſſe licitè deſperare, & meritò quia tunc deſperando nulla irrogatur iniuria omnipotentiæ Dei, neque alicui alij attributo diuino, vt fieri poteſt affectu deſperationis orto ex iudicio certo, quo ille ob diuinam reuelationem iudicat ſibi defecturam ſaluationem, non ex defectu omnipotentiæ, neque alius attributi diuini, ſed aliunde, quia tũc affectu illo deſperationis nulla irrogatur iniuria Deo, non ſolum phyſicè, & expreſsè vt patet, ſed neque moraliter, & interpretatiuè, quia tunc deſperat ob dictum iudicium non futuritionis ſaluationis, & non ob aliquod iudicium imprudens, quia ſi deſperaret ob imprudens iudicium irrogaret Deo iniuriam moraliter, & interpretatiuè, ſicut qui diſcredit dicta à Deo, ita ſufficienter propoſita, vt nequeat prudenter dubitare eſſe à Deo dicta, interpretatiuè, & moraliter irrogat iniuriã teſtimonio Dei, etiam ſi iudicet non eſſe à Deo dicta, quia

id

id imprudenter iudicat: neque ille affectu illo desperationis contemnit beatitudinem, quia non fugit illam ob malitiam aliquam, quam in ipsa secundum se apprehendat, sed quia prudentissimè, imò certissimè iudicat illam non futuram. Vndè in casu dicto desperare non est intrinsecè malum, sed tantum quando desperatur, vel ex defectu omnipotentiæ Dei, aut alius attributi (ex cuius defectu nullus sanæ mentis desperare potest) vel ex iudicio imprudenti non futuritionis obiecti sperabilis, sicut etiam discredere dicta à Deo non est intrinsecè malum, quando prudenter iudicatur non esse à Deo dicta, vel quando prudenter potest dubitari esse dicta à Deo, sed tantum quando discreditur ex defectu, qui attribuatur reuelationi diuinæ (ex quo nullius sanæ mentis potest discredere) vel ex iudicio imprudenti non reuelationis diuinæ, quia non potuit esse prudens, quia ita fuerunt proposita, vt non potuerint de reuelatione diuina prudenter, seu rationabiliter dubitari.

TRACTATVS DE CHARITATE.

DISPVTATIO I.

De Actu Charitatis.

DIFFICVLTAS I.

Ad quam potentiam pertineat actus Charitatis Theologicæ.

CONVENIVNT Theologi, actum Charitatis Theologicæ esse actum voluntatis: qui potest esse duplex; alter prosecutionis, quo Deo volumus bonum: quia est ipsi Deo bonum; qui vt habet rationem concupiscentiæ, respicit ipsum bonum volitum ob bonitatem ipsius boni: & vt habet rationem beneuolentiæ respicit ipsum Deum ob bonitatem ipsius Dei: & alter fugæ respectu mali noliti, quo Deo nolumus malum, quia est ipsi Deo malum, qui vt habet rationem fugæ respicit ipsum malum nolitum ob malitiam ipsius mali; & vt habet rationem beneuolentiæ respicit ipsum Deum ob bonitatem ipsius Dei, vt etiam dicimus de actu prosecutionis.

Actus ergo Charitatis Theologicæ, alter est prosecutionis, & alter est fugæ, & vteruis est multiplex, quia actus Charitatis Theologicæ in prosecutione cõsistens, quo Deo volumus bonum, alius est quo Deo volumus bonum secun-

dum

dum se abstrahendo à bono præsenti, & futuro, qui dicitur amor, & alius est, quo Deo desideramus aliquod bonum ipsi futurum, qui dicitur desiderium, & alius quo Deo volumus bonum ipsi præsens, & in eo complacemus, qui est duplex ex duplici modo tendendi in idem bonum, alter qui est simplex complacentia in bono, & non est quietudo in eo, & dicitur simplex complacentia; & alter qui est complacentia in bono, & quietudo vitalis in eo, & dicitur gaudiũ, & delectatio, & eadem proportione actus Charitatis Theologicæ consistens in fuga respectu mali, alius est quo nolumus Deo malum secundum se abstrahendo à malo præsenti, & futuro, qui dicitur odium non inimicitiæ, sed abominationis, quo abominamur malum illud Deo, & alius, quo nolumus Deo malum ipsi futurum, qui peculiariter dicitur fuga, & alius quo nolumus Deo malum ipsi præsens, qui est duplex ex duplici modo tendendi in idem malum. Alter qui non est inquietudo & anxietas in malo, & dicitur simplex displicentia, & alter qui est vitalis inquietudo, & anxietas, & afflictio voluntatis, & dicitur tristitia, & dolor, qui non reperitur in Beatis circa facta ab ipsis in via, nec circa facta ab alijs.

Constat ergo actum Charitatis Theologicæ esse benevolentiam, seu actum benevolentiæ erga Deum. Sed an iste actus indigeat aliquo super addito, vt sit actus amicitiæ, erga illum dicemus difficul. 6.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm actus Charitatis Theologicæ in Patria, & in via sint eiusdem speciei?

CAiet. 1. par. q. 82. art. 2. Pesant. 2. 2. q. 24. art. 12. in disp. 1. & Ægid. disput. 3. dub. 3. docent actum Charitatis Theologicæ in patria esse diuersæ speciei superioris ab actu Charitatis Theologicæ in via, quia cognitio qua Beatus in Patria Deum cognoscit, & æstimat, nempè visio Dei, qua du-

citur

citur ad ipſum diligendum eſt diuerſæ ſpeciei ſuperioris à cognitione, qua viator Deum cognoſcit & æſtimat, nempè a cognitione obſcura Fidei, qua viator ducitur ad ipſum diligendum, ergo etiam dilectio beatifica Beati eſt diuerſæ ſpeciei ſuperioris à dilectione Theologica viatoris.

Vazquez verò 3. parte diſputione 64. capit. 3. Turrianus 2.2. diſput. 77. dub. 6. Lorca diſput. 18. & Becanus capit. 22. quæſt. 5. docent, actum Charitatis in patria eſſe eiuſdem ſpeciei, & naturæ cum actu Charitatis in via, & meritò, quia etiamſi cognitiones, quibus Beatus & viator ducuntur ad diligendum Deum ob ipſius bonitatem ſint diuerſæ ſpeciei, modus tamen quo voluntas in patria, & in via benevole fertur in Deum ob ipſius bonitatem, eſt vnus, & idem ſecundum ſpeciem, & obiectum formale, quo mouetur ad diligendum ipſum Deum eſt vnum & idem nempè bonitas Dei, qua eſt in ſe bonus, actus autem voluntatis ab obiecto formali, & à modo tendendi ſpecificantur, non à cognitione, quæ ad actum voluntatis tantum ſe habet, vt conditio applicans ipſi voluntati obiectum materiale, & formale, & quæ ab ipſo actu voluntatis non tangitur, nec reſpicitur.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm actus Charitatis Theologicæ in patria ſit intenſior quàm in via?

PRIMO Eſt difficultas, an in eodem homine actus Charitatis ſit intenſior quando iam eſt in patria, ac quando erat in via?

Circa quam conueniunt Theologi actum Charitatis erga Deum in eodem homine numquam eſſe intenſiorem in via, quam in patria, & aliquando quamuis rariſsimè eſſe æqualē. & regulariter eſſe remiſsiorem: & in primis in via nūquā eſſe intenſiorē patet; quia ex vna patet, nec in via, nec in

patria actus Charitatis erga Deum potest esse intensior proportione geometrica, quam habitus Charitatis, à quo elicitur, quia actus Charitatis, quo ad totam suam intensionem semper elicitur connaturaliter, ac proinde ab habitu non remissiore quam sit ipse actus; & ex alia parte in patria semper elicitur actus Charitatis ex tota intẽsione habitus Charitatis, qui in patria reperitur, & toto connatu, quo voluntas ab eo habitu adiuta potest, quia in patria elicitur necessariò, & ex alia parte ad minus tota intensio habitus, ex qua in via elicitus fuit actus Charitatis, reperitur in patria, & tota intensio habitus, qui peccato mortali fuit amissus, si ex tota ea elicitus fuit, quia tota ea reuiuiscit per iustificationem sequentem; ergo actus Charitatis in via, qui non excedit intensionem habitus Charitatis, ex qua elicitur, & quæ tota reperitur in patria, in qua elicitur ex tota intensione, habitus non potest esse intensir, quam in patria, ex quo constat habitum infusum Charitatis in via, in eodem homine numquam esse intensiorem quam in patria.

Quod verò actus Charitatis aliquando possit esse æqualis constat in eo homine, qui primo fuit iustificatus actu Charitatis, & moritur absque aliquo alio bono opere (quod rarissimè contingit) quia tunc actus ille Charitatis elicitur in via ex tota intensione habitus, tunc infusi vt actus, quoad totam suam intensionem connaturaliter eliciatur, & etiam in patria elicitur ex tota illa intensione habitus, quia tota illa remanet in patria, & non aucta, & in patria elicitur ex tota intensione, quæ in habitu reperitur: ex quo etiam constat habitum infusum Charitatis aliquando esse æqualem in via, & in patria, vt in casu assignato, & etiam in infante, qui moritur baptizatus.

Et tandem, quod actus Charitatis in via regulariter sit remissior: quam in patria constat, quia excepto casu proxime dicto, qui rarissimus est de eo, qui primo iustificatur actu Charitatis & moritur absque alio opere bono semper actus Charitatis est intensior in patria, quia excepto eo casu, habitus Charitatis in iustificatione infusus, siue medio Sacramento, siue medio actu Charitatis semper eua-

dit

dit intensior bonis operibus, quæ regulariter post iustificationem fiunt, quia semper ob actum bonum post iustificationem factum confertur in præmium aliquid intensionis habitus Charitatis, etiam ob actum Charitatis, à qua intensione non elicitur, adhuc actus ipse Charitatis ob quem datur in præmium, non solùm quando actus ipse Charitatis est remissior, & æqualis habitui præcedenti ad ipsum actum, sed nec quando est intensior, quia etiamsi quando actus Charitatis est intensior habitu præcedente in eadem duratione, in qua actus ipse elicitur infundatur aliquis gradus habitus Charitatis supra præexistentes, vt actus ille quo ad totam suam intensionem connaturaliter eliciatur medio habitu, alij verò gradus habitus Charitatis, qui correspondent in præmium, dicto actui intensiori non concurrunt ad eum actum, quia non sunt necessarij ad ipsum, quia antè ipsum præsupponuntur gradus antiqui in iustificatione præcedente collati, & ideoquè supra gradum collatum, vt necessarium ad connaturaliter eliciendum actum, infunduntur in præmium, infunduntur in duratione post ipsum actum intensiorem, quia si in eadem duratione infunderentur non possent non concurrere cum alijs, tunc partialiter tantum concurrentibus.

Sed quamuis actus Charitatis regulariter sit remissior in via, quam in patria non tamen habitus, sed tantum rarissimè tunc videlicet, quando quis iustus continuat aliquod opus bonum alterius virtutis à Charitate vsque ad ipsum instans mortis, quia intensio habitus infusi Charitatis, quæ ei confertur in præmium, non confertur in hac vita, sed in patria, & idem est quando ob actum Charitatis continuandum vsque ad instans mortis, conferenda est aliqua intensio habitus infusi Charitatis in præmium, quia conferenda est in patria, ac proindè, tunc in ea intensione excedet habitus in patria habitum in via.

Quãuis ergò actus Charitatis in via regulariter sit remissior quã in patria, nõ tamen habitus infusus Charitatis, quia iste regulariter est æqualis in via, & in patria, quia sẽper est æqua-

lis, nisi in dicto illo rarissimò casu de continuante actum bonum.

Secundò est difficultas, an in vno homine viatore sit actus Charitatis intensior, quam in altero homine Beato?

Lorca disput. 18. & Turrianus disput. 77. dub. 6. docent, actum Charitatis in quocumque Beato esse intensiorem actu Charitatis in quocumque viatore (excipiunt actus Charitatis Beatæ Mariæ, quando fuit in via) quod expressisse videtur Christus Matth. 11. dum ait: *Qui minor est in Regno Cœlorum, maior est illo*: nempè Ioanne Baptista, quo nullus fuit maior inter natos mulierum. Et ratione probatur, quia Deus claré visus sicut videtur in patria incomparabiliter magis mouet voluntatem, quam obscuré cognitus sicut cognoscitur in via per Fidem, qua sola ducitur voluntas viatoris ad actum Charitatis, ergo actus Charitatis viæ in quocumque numquam attingit intensionem actus Charitatis in patria in quocumque sit.

Ægidius verò disput. 23. dub. 4. & Becanus capit. 22. quæst. 5. docent, actum Charitatis in aliquo viatore posse & aliquando esse intensiorem quam in aliquo Beato, & meritò, quia in patria quamuis actus Charitatis semper eliciatur in tanta intensione in quanta potest, iuxta proportionem habitus à quo elicitur, tamen non in maiori, quam possit ab habitu quem habet: Sed multi viatores habent habitum Charitatis intensiorem quam aliqui Beati etiam exillis, qui mortui sunt adulti, & cum intensiori habitu quam sit habitus in Baptismo collatus, quia habitus Charitatis in patria non crescit, quoad intensionem, sed manet in ea intensione, in qua erat in tempore immediato ad instans mortis, (nisi in casu prædicto de continuante opus bonum, vsque ad instans mortis, qui rarissimus est) & nonnulli Beati etiam ex his, qui mortui sunt adulti, non habuerunt in via tantum habitum Charitatis, quantum habent aliqui viatores ergo.

Illud ergo Matth. 11. *Qui minor est in Regno Cœlorum, maior est illo*: si in eo testimonio fiat compa-

ratio

ratio Beatorum ad viatores est verũ ratione ſtatus, quia ſtatus Beati, vtpotè iam tenentis Deũ perfectior est ſtatu viatoris peregrinantis à Deo, & in ſtatu beatitudinis cognitio Dei, vtpotè viſio clara ipſius, est multo perfectior, & actus etiam Charitatis quamuis aliquando ſit remiſſior, est tamen neceſſarius & perpetuus, nunquam ceſſans, quod est maioris æſtimationis, quam aliqua maior intenſio illius pro aliqua duratione; imò ratione ſuarum conditionum indiuidualium ſemper excludit peccatum adhuc veniale, quod non ſemper conuenit actui Charitatis viatoris, quia voluntas Beati, ita mouetur à bonitate Dei clare viſi ad dilectionem illius, vt ex vi huius nihil admittat, quod diſpliceat Deo quamuis tantum leuiter, quod non ſemper conuenit dilectioni viatoris, etiamſi aliquando conueniat; imò & quod excludat peccatum veniale habitualiter perſeuerans, quando ſcilicet talis est dilectio, vt ſi peccatum illud memoriæ occurreret, ſic diligens deteſtaretur illud ex complacentia Dei.

Ad rationem verò reſpondemus ex eo, quod Deus clarè videatur in patria, quo non magis, ſed melius applicatur quam obſcurè cognitus in via, tantum fieri Deum in patria neceſſariò amari, & toto conatu, quo voluntas ab habitu adiuta poteſt; & ex eo quod in via obſcure cognoſcatur, quo non minus, ſed imperfetius applicatur, tantum fieri Deum in via non neceſſario amari, non verò non poſſe toto conatu, iuxta proportionem habitus, in quo est diuerſa ratio ignis applicati, & Dei vt obiecti, quia ignis, magis applicatur & est cauſa efficiens, & ideò intenſius operatur, Deus verò non magis, ſed perfectius, & non vt cauſa efficiens, ſed vt obiectum, & quamuis non poſſet in via diligi toto conatu iuxta proportionem intenſionis habitus, magna tamen habitus intenſione, id poſſet ita ſuppleri, vt actus Charitatis in via intenſior eſſet quam in patria.

DIFFICVLTAS IIII.

Vtrùm dilectio Dei propter se, & dilectio proximi propter Deum sint eiusdem speciei?

DIFFICVLTAS Tantum procedit de dilectioni beneuolentiæ, qua Deus diligitur in seipso, ob suam bonitatem increatam, & de dilectione proximi qua diligitur, quia est aliquid Dei, ob eandem bonitatem increatam Dei ex complacentia ipsius Dei: quia dilectio proximi ob bonitatem creatam propriam ipsius, quamuis participatam à Deo ex complacentia ipsius proximi, & non ob bonitatem increatam Dei, est absque dubio diuersæ, & inferioris speciei à dicta dilectione Dei, quia habet motiuum, seu obiectũ formale diuersæ, & inferioris speciei à motiuo, seu obiecto formali dictæ dilectionis Dei in se ipso.

Circa difficultatem, ergo *Soar.* disput. 2. sect. 2. Lorca, disput. 26. & Ægid. disput. 24. dub. 1. docent: dilectionem Dei propter se, & dilectionem proximi propter Deum esse diuersæ speciei, quia quãuis vtraq; dicta dilectio habeat idẽ numero motiuum, seu idem numero obiectum formale, nẽpè eandem numero bonitatem increatam Dei, tamen diuerso modo applicatã obiecto materiali, quia ipsi Deo applicatur intrinsecè, quia est ipsi intrinseca, proximo verò extrinsecè, quia est illi extrinseca.

Turrianus verò disput. 73. dub. 3. Azor lib. 12. capit. 2. quæst. 7. & alij, docent dictas dilectiones Dei propter se & proximi propter Deum esse eiusdem speciei, & meritò, quia vtraque dilectio est vera dilectio beneuolentiæ Dei, & neutra est proximi, & habet idem numero motiuum, seu idem numero obiectum formale proximum, nempè bonitatem increatam Dei, & eodem modo applicatam, nempè intrinsecè ipsi Deo, qui solus vtraque dilectione ex beneuolentia diligitur, & neutra proximus nisi materialiter: quia quamuis dilectione ipsius proximi propter Deum, ipsi pro-

ximo velimus bonum, ſed non formaliter ex complacentia ipſius, ſed materialiter ex complacentia Dei, cui bonum quod proximo volumus, etiam eſt quodammodo bonum.

Quod autem bonitas increata, Dei extrinſecè applicetur proximo, & extrinſecè moueat ad diligendum materialiter ipſum proximum, qui eſt extra Deum, & cui bonitas Dei eſt extrinſeca, non variat ſpeciem dilectionis, quia obiectum formale exquo ſolo deſumitur ſpecies, non variatur, ſicut etiam quod bonitas Dei extrinſecè applicetur honori, quem dilectione beneuolentiæ Dei, ipſi Deo volumus, & moueat extrinſecè ad materialiter concupiſcendum ipſum honorem nõ diuerſificat ſpecie eam dilectionem à dilectione qua Deo volumus bona ipſi intrinſeca, nempè ſua attributa.

DIFFICTLTAS V.

In quo conſiſtat dilectionem Dei eſſe ſuper omnia?

SVPPONIMVS, Dilectionem beneuolentiæ Dei, quæ eſt verè actus Charitatis, & quæ extra *S*acramentum eſt ſufficiens ad iuſtificationem peccatoris, ſiue tanquam forma, ſiue tanquam vltima diſpoſitio, eſſe dilectionem Dei ſuper omnia: & contritionem perfectam peccati, quæ verè eſt actus Charitatis, aut quæ ſaltem ex eo oritur, & quæ etiam extra *S*acramentum eſt ſufficiens ad iuſtificationem peccatoris, ſiue tanquam forma, ſiue tanquam vltima diſpoſitio, eſſe deteſtationem peccati ſuper omnia.

Eſt ergo difficultas, in quo conſiſtat dilectionem Dei eſſe ſuper omnia, & contritionem perfectam peccati, eſſe deteſtationem peccati ſuper omnia.

Circa quam conueniunt communiter Theologi contra Adrianum, & Petrum Sotum, quod vt dilectio Dei ſit ſuper omnia, & deteſtatio peccati ſit ſuper omnia non ſit

necessarium, quod sit maxima intensiuè, vt falso dixit Adrianus: nec quod dilectio Dei sit intensior quam dilectio aliorum, nec quod detestatio peccati sit intensior quam detestatio aliorum malorum, vt falso dixit Petrus Sotus, quia neutrum horum requiritur ad id cum fundamento aliquo: imò vtrum vis contra rationem requiritur, quia eo ipso, quod quis in qualibet intensione ita diligit Deũ, vt ex vi talis dilectionis nullũ aliud bonum admittat, nec aliquam aliam personam, si necessarium sit vt non discedat ä dilectione Dei, eo ipso dicitur diligere Deum appreciatiuè super omnia alia bona, & super omnes alias personas, & in hoc sensu Christus Matth. 10. dixit: *qui amat patrem & matrem plusquam me non est me dignus*: quasi dicat, qui amore patris & matris non dubitat me Deum grauiter offendere non est me dignus, & qui ita detestatur peccatum, vt ex vi talis detestationis admittat, aut patiatur quodcumque aliud malum, si necessarium sit vt non incidat, in peccatum, eo ipso dicitur detestari peccatum appretiatiuè super omnia mala: dilectionem ergo Dei, & detestationem peccati esse super omnia, non est esse maximum, nec maiorem, quo ad intensionem, seu conatum, sed quoad pretium, seu æstimationem. In explicanda tamen hac maioritate, seu superioritate quo ad pretium non parum variant Theologi.

Omissis autem varijs explicationibus, nobis probatur, & placet explicatio quam adhibent Vazquez disput. 194. cap. 3. Pesantius in additionibus ad tertiam partem, quæst. 3. disput. 3. Turrianus 2. 2. disput. 74. dub. 1. & Adamus Tamuer. quæst. 3. dub. 3. nempè *dilectionem Dei esse super omnia appretiatiuè* in eo consistere, quod sit dilectio beneuolentiæ Dei, id est, qua Deo velimus bonum, aut nolimus malum ex complacentia ipsius Dei, quia dilectio beneuolentiæ erga Deum, eo ipso quod est beneuolentiæ, erga ipsum, dum perseuerat nullius alius boni dilectionem libere habitam admittit, quod ipsi Deo grauiter displiceat, quia cum dilectione beneuolentiæ, erga Deum non est compossibilis, in quo dilectio beneuolentiæ erga Deum distinguitur à dilectione beneuolentiæ, erga personam

crea-

creatam quod huius dilectio perseuerans, secum admittit dilectionem alius boni grauiter displicentis personæ creatæ dilectæ, dum non sit ex displicentia illius: imò dilectio beneuolentiæ erga personam creatam, non exigit respicere bonum aliquod, quamuis ei personæ grauiter displiceat: & eadem proportione contritio perfecta peccati (quæ est detestatio peccati quatenus est offensiuum Dei ex complacentia ipsius Dei) est detestatio peccati super omnia mala, quia perfecte contritus, quodcumque malum admittet, & patietur vt non incidat in peccatum quod detestatur.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrum actus Charitatis, seu beneuolentiæ erga Deum sit amor amicitiæ erga ipsum?

RATIO Difficultatis pro parte negatiua desumitur ex conditionibus requisitis ab Arist. 8. Ethic. ad verã amicitiam, quia non videntur conuenire actui Charitatis erga Deum, quia primò ad amicitiam ex Arist. cap. 3. requiritur æqualitas inter amicos, quæ non reperitur inter Deum & nos, ex cuius defectu Arist. ipse cap. 7. Negat amicitiam inter Deum & nos. Secundò ad amicitam ex Arist. cap. 4. requiritur mutua beneuolentia, qua vnus mutuo velit alteri, & è contra, bonum aliquod ex complacentia ipsius amici, sed quamuis nos velimus Deo bonum ex complacentia illius: ipse tamen non vult nobis bonum ex complacentia nostri, sed propter se ipsum. Quia vt dicitur Prouerb. 16. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus*, 3. ad amicitiam ex Arist. cap. 2. & 3. requiritur quod dicta mutua beneuolentia non lateat ipsos amicos, nos autem ignoramus, an diligamur à Deo quia vt dicitur Eccles. 9. *Nescit homo vtrum amore, an odio dignus sit.*

Nihilominus Theologi conueniunt inter Deum, & nos posse esse veram amicitiam (ac proinde actum Charitatis

erga

erga ipsum, posse esse, imò & de facto esse amorem amicitiæ erga ipsum) quod exprimitur Iudit. 8. illis verbis: *Abraham Dei amicus effectus est.* Et Psalm. 138. *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Luc. 12. *Dico autem vobis amicis meis.* Et Ioann. 15. *Iam non dicam vos seruos, sed amicos.* Quod etiam supponit Aristotel. 8. Ethic. capit. 10. & 14. & lib. 9. cap. 8.

Et id ratione probatur, & declaratur, quia inter Deum & nos reperiri possunt omnia, quæ ad veram amicitiam sunt requisita, Ergo amor beneuolentiæ nostri erga ipsum erit amor amicitiæ erga ipsum: Consequentia patet, quia ad amicitiam nihil aliud requiritur, quam *mutua beneuolentia inter amicos, ipsos non latens*, his enim solis verbis definit amicitiam Aristot. 8. Ethicor. cap. 2. & sane eos qui se mutuo diligunt amoræ beneuolentiæ, & id cognoscunt, amicos appellamus, sed inter Deum, & nos in primis potest esse mutua beneuolentia, quia nos possumus Deum diligere amore beneuolentiæ, vt patet & etiam Deus potest nos amore beneuolentiæ diligere, quia potest nobis vt fini *cui* proximo, & non vt vltimo, velle bonum aliquod siue efficaciter, siue inefficaciter ex complacentia nostri, quamuis etiam possit id velle sibi ex complacentia sui, & de facto velit tanquam fini cui immediato, & vltimo, quia omne bonum quod nobis est bonum, etiam est sibi aliquo modo bonum: vnde quod Deus omnia etiam nos, velit ex complacentia sui seu propter se ipsum, tanquam propter finem *cui* immediatum, & vltimum, non tollit, quin etiam aliqua velit ex complacentia nostri, seu propter nos, tanquam ob finem *cui* non vltimum. Deinde hæc mutua beneuolentia inter Deum, & nos, non latet ipsum Deum, vt patet, nec latet nos; quia in primis, non latet nos nostra beneuolentia erga Deum, quia quamuis id non sciamus certo metaphysicè, possumus, tamen id scire certitudine morali experimentali, vel quasi experimentali, & inde etiam morali certitudine scire possumus beneuolentiam Dei erga nos: *Quia Deus diligentes se diligit*, vt dicitur Prouerb. 8. hæc autem notitia moraliter certa sufficit ad omnem amicitiam; imò in amicitia humana nequit esse maior notitia beneuolentiæ amici

quam

quam moraliter certa: imò ad eam amicitiam ſufficit coniecturalis notitia beneuolentiæ amici, & naturaliter nequit eſſe maior.

Mutua verò beneficiorum, aut obſequiorum communicatio inter amicos non eſt eſſentialis amicitiæ, ſed eſt diſpoſitio inducens ad amicitiam quamuis nõ requiſita; & etiam eſt effectus amicitiæ quamuis non neceſſario dimanans; & quamuis eſſet eſſentialiter requiſita, etiam eſſe poteſt inter Deum, & nos; quia Deus nobis poteſt magna, & prætioſa donare, & nos illi honorem, & gloriam, & plura alia obſequia exhibere: nec æqualitas inter perſonas, quoad dignitatem, & gradum eſt neceſſaria ad amicitiam etiamſi inter æquales facilius contrahatur, & conſeruetur amicitia: quæ inter inæquales dicitur ſupereminentiæ, ſeu excellentiæ, quam Ariſtoteles 8. Ethic. cap. 7. diſtinxit ab amicitia inter æquales, quam æqualitatis appellat: & quamuis in hoc capite negare videatur inter Deum, & nos: & inter Regem, & inferiores amicitiam, non tamen negat eſſe poſsibilem inter eos: im\ tantum ſignificat de facto regulariter non reperiri, quia inter prædictos difficillime contrahitur, & conſeruatur.

Ex dictis conſtat amorem beneuolentiæ noſtri erga Deũ, & amorem beneuolentiæ Dei erga nos connotantes notitiam ipſorum amorum in nobis, & in Deo, eſſe integram amicitiam inter Deum, & inter nos, & actum noſtrum Charitatis erga Deum connotantem actũ beneuolentiæ in Deo, erga nos, & notitiam in nobis, & in Deo vtriuſq; dicti actus, ſeu affectus beneuoleutiæ eſſe partialem amicitiam ex parte noſtri cum Deo, qua ſumus amici Dei: ita tamen vt dum prædicti actus perſeuerãt, dicta amicitia, ſiue integra in vtroque, ſiue partialis in quolibet, dicatur actualis. Poſtquam vero ceſſant, dum non reuocantur, dicuntur amicitia habitualis, & quælibet tam habitualis quam actualis, eſt & dicitur ſimpliciter, & abſolute amicitia, quia homines non tantum dicuntur amici, dum ſe actu vicisſim diligunt, ſed etiam quando ceſſant ab actuali dilectione ſicut ab actu peccati præterito, nondum retractato homines dicuntur peccatores.

Vnde

Vnde habitus infusus Charitatis dici potest amicitia habitualis ex parte nostri ad Deum, quia est beneuolentia habitualis nostri erga Deum, & eo habitu in nobis existente, Deus nos diligit, & est in Deo notitia vtriusque nempe nostræ beneuolentiæ habitualis erga ipsum, & suæ actualis erga nos. Et etiam potest esse in nobis notitia vtriusque, quod si in nobis non sit hæc notitia, vt non est in paruulis baptizatis, & in aliquibus adultis, non erit dictus habitus amicitia plene partialis, ex defectu vnius connotati, nempè notitiæ in nobis. Erit tamen iustitia, & sanctitas, & filiatio adoptiua, & aliquo modo, amicitia partialis, sumpta amicitia pro eo quod nos præstare possumus ad amicitiam, & pro directo significato amicitiæ, ac proinde parnuli baptizati sunt iusti, & Sancti, & Filij adoptiui Dei, & aliquo modo amici.

Actus ergo noster Charitatis erga Deum, qui est beneuolentia erga ipsum, non est essentialiter amicitia erga illũ, sed est amicitia pro directo significato, & fundamentali, & initiatiue, quia ad eum actum consequuntur reliqua necessaria ad formalem, & plenam amicitiam.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrum actus Charitatis sit supernaturalis in sua substantia?

SVPPONIMVS Nullum actum Charitatis Theologicæ posse à nobis elici absque dono, seu auxilio gratiæ Dei (vt satis significatur, 1. Ioan. 4. *Charitas ex Deo est*, & definitur in Concilio Arausicano II. dum dicitur: prorsus donum Dei est diligere Deum. Ac proinde actum Charitatis Theologicæ esse aliquo modo supernaturalem.

Est tamen difficultas primò, an aliquis actus Charitatis Theologicæ sit supernaturalis in sua substantia.

Caietanus 2. 2. quæst. 171. art. 2. & Sotus 1. de natura & gratia, cap. 22. docent. Nullum actum Charitatis Theologicæ esse supernaturalem in sua substantia, sed tantũ quoadmodum, quia viribus naturalibus possumus diligere homi-

nem

nem ob ipſius bonitatē, ergo multo magis Deum, quia magis mouet bonitas Dei, & allicit quam bonitas hominis, ergo omnis dilectio Dei propter ipſum eſt ordinis naturalis cum omnis poſsit viribus naturæ elici.

Vazquez verò 12. diſp. 195. Ægidius diſp. 4. dub. 3. & Turrianus diſput. 77. docent eſſe aliquem actum Charitatis Theologicæ in ſua ſubſtātia ſupernaturalem, & meritò quia eſt aliquis actus Charitatis Theologicæ qui habeat pro motiuo ſeu obiecto formali bonitatem Dei in ſe, ſeu ſecundum ſe ſine reſpectu ad creaturas, quæ in ſua ſubſtantia eſt ſupernaturalis, ergo actus ille Charitatis eſt ſupernaturalis in ſua ſubſtantia: Conſequentia probatur, quia omnis actus volūtatis ſumit ſuam ſubſtantiam, & eſſentiam ex obiecto formali ſeu ex materiali prout ſubeſt formali.

Ad rationem ergo aduerſariorum, quidquid ſit de antecedenti negamus conſequentiam, quia quamuis bonitas Dei, qua eſt in ſe bonus magis moueat obiectiue quam bonitas hominis; tamen quia eſt ſupernaturalis, ideo tantum mouet ad affectum, qui nequeat ſolis viribus naturæ elici abſque auxilio gratię, & ſupernaturalis ordinis: imò vt connaturaliter, ſeu conformiter ad ſuam naturam eliciatur, nequit elici abſque habitu ſupernaturali.

Secundò eſt difficultas. An etiam ſit aliquis actus Charitatis Theologicæ in ſua ſubſtantia naturalis.

Soarez lib. 1. de gratia, cap. 30. & plures alij partem affirmatiuam tuentur, quam videtur tradere S. Thom. 1. 2. q. 109. art. 3. ad primum dum ait eſſe duplicem dilectionem Dei ſuper omnia: Alteram *Dei* finis naturalis, & alterā Dei finis ſupernaturalis. Et id definitum videtur à Pio V. & Gregor. XIII. in Bulla contra Michaelem Baium dum in ea damnatur Propoſitio 34. illius quæ ſic ſe habet. *Diſtinctio illa duplicis amoris naturalis, videlicet quo Deus amatur vt auctor naturæ, & gratuiti quo Deus amatur, vt beatificator, eſt vana, & commentitia.* Et ratione probatur quia lumine, & cognitione naturali cognoſcitur Deus, vt ſummę bonus in ſe, & propter ſe diligibilis dilectione beneuolentiæ, ergo poteſt diligi dilectione beneuolentiæ proportionata dictæ cognitioni, ac proinde dilectione naturali. & confirmatur

quia

quia cultus Dei, quamuis sit ob excellentiam Dei secundum se, est naturalis sicut cognitio qua Deus cognoscitur excellens, & dignus cultu est naturalis, ergo etiam dilectio beneuolentię Dei quamuis sit ob bonitatem Dei secundum se, est naturalis, sicut cognitio qua cognoscitur bonus in se, & propter se diligibilis.

Vazquez verò 1.2. disp. 195. & alij partem negatiuam tradunt, & meritò, quia bonitas Dei in se, & secundum se absq; respectu aliquo ad creaturas est motiuũ, seu obiectum formale cuiuscumque amoris beneuolentiæ quo ipsum diligimus, quia amore beneuolentiæ diligimus Deum propter ipsum, & vt est in se bonus, & non vt est nobis bonus nec naturaliter, vt conseruans naturam, nec supernaturaliter, vt donans gratiam & gloriam, quia vt sic tantum amatur amore concupiscentiæ, dicta autem bonitas qua Deus est in se bonus est supernaturalis in sua substantia, ergo omnis dilectio beneuolentiæ qua Deum diligimus est in sua substantia supernaturalis.

S. Thom. autem vbi supra dum admittit duplicem dilectionem Dei alteram Charitatis supernaturalem, & alteram Dei super omnia principij, & finis naturalis, quam ait esse naturalem, commode exponi potest quoad hanc posteriorem dilectionem de dilectione concupiscentiæ, qua nobis Deum vt finem naturalem concupiscimus super omnia alia bona.

In Bulla autem Pij V. & Gregorij XIII. damnatur propositio illa 34. ob seueritatem in ipsa contentam contra eos qui admittunt duplicem dictum amorem, & ob doctrinam quam continet in sensu ipsius Michaelis, qui negabat duplicem amorem, quia negabat supernaturalẽ, vt aduertit Vazquez vbi supra.

Et ad rationem concedimus Deum lumine, & ratione naturali cognosci, vt summe bonum, in se & propter se diligibile amore beneuolentię quia cognoscitur esse perfectum, & nihil ei deesse, nihilominus negamus posse diligi, amore beneuolentiæ proportionato tali cognitioni naturali, quia dilectio beneuolentiæ erga Deum, vtpote ob bonitatem Dei, qua est in se bonus, & propter se diligibilis nequit non

esse

esse supernaturalis: cognitio vero illa vtpote habita, vel ob testimonium humanum, vel abstractiue ex creaturis naturaliter abstracta, vel aliter lumine naturali habita, est naturalis, ob quod hæc cognitio non sufficit ad dictam dilectionem, vtpote ei improportionata, sed necessaria est cognitio Fidei diuinæ, aut alia supernaturalis eiusdem bonitatis. Et ad confirmationem respondemus, cultum Dei saltem aliquem esse naturalem, non quia cognitio qua cognoscitur excellentia Dei sit naturalis, sed quia ipse ex se est naturalis, vt adoratio, & sacrificium cruentum, quia excellentia Dei non est obiectum formale, seu motiuum proximum cultus Dei, sed tantum est ratio, seu quasi forma constituens Deum dignum cultu: imò affectus voluntatis colendi Deum, qui immediatè, & directè versatur circa cultum ipsum, tanquam circa suum obiectum materiale, & effectum moralem non habet pro obiecto formali excellentiam Dei (alias esset Theologicus) sed tantum bonitatem aliquam ipsius cultus, quæ sit bonitas ipsi colenti nempè, aut honestatem, aut commoditatem, aut vtilitatem aliquam: nihilominus religio, quæ est virtus, qua Deo vt excellenti exhibemus honorem, est duplex, altera naturalis, & altera supernaturalis non ex excellentia Dei, sed ex motiuo affectus colendi ipsum, quod potest esse naturale, nempè naturalis honestas, & potest esse supernaturale; nempè honestas supernaturalis.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrum primus actus Charitatis procedat efficienter ab habitu Charitatis?

SVPPONIMVS Habitum infusum Charitatis prius tempore præsuppositum ad actum Charitatis, vt quando quis fuit antea iustificatus virtute Sacramenti, efficienter

con-

concurrere ad actum ipsum Charitatis qui posterius tempore elicitur: imò concurrere, vt causam principalem (non minus quam habitum infusum Fidei, & habitum infusum Spei ad suos actus) quia ex vna parte habitus infusus Charitatis habet virtutem physicam; imò, & principalem ad efficiendũ actum Charitatis (non minus quam habitus infusi Fidei, & Spei ad suos) & ex altera ei habitui sic præsuppositio, nihil deficit ad id, nec ab aliquo impeditur. Ita tamen concurrere & necessarium esse ad eliciendum actum Charitatis, vt de potentia Dei absoluta, actus Charitatis possit absque habitu ipso elici, Deo supplente, efficientiam illius, vt de actu Fidei diuinæ diximus tract. de Fide disp. 5. dif. 3.

Hoc ergo supposito difficultas non procedit quando habitus infusus Charitatis prius tempore præsupponitur ad primum actum Charitatis elicitum post habitum sic præsuppositum, quia tunc absque dubio actus Charitatis procedit efficienter ab habitu sic præsuppositio ob rationem dictam. Sed tantum procedit difficultas quando habitus infunditur in eodem instante temporis in quo actus Charitatis elicitur, vt contingit quando quis iustificatur à peccato extra *Sacramentum* actu ipso Charitatis.

Circa difficultatem ergo Bonauent. in 4. dist. 17. 1. part. dist. art. 2. q. 2. Vega 6. in Trid. à cap. 28. Molin. in Concordia q. 14. art. 13. disp. 44. Ægid. disp. 6. dub. 7. & Petr. Hurt. disp. 127. docent primum actum Charitatis in casu dicto nõ procedere efficienter ab habitu Charitatis, sed à voluntate adiuta à Deo, siue extraordinario auxilio, siue peculiari concursu defectum habitus supplente.

Id autem potest probari primo, quia primus actus Charitatis est dispositio vltima ad habitum gratiæ per quem fit iustificatio a peccatis, ac proinde etiam ad habitum Charitatis; quia iste vel non distinguitur ab habitu gratiæ, vel si distinguitur est illo posterior, & eum supponit: Ergo primus actus Charitatis prius natura est existens quam habitus gratiæ, & Charitatis, quia non potest esse dispositio nisi existens, & prius natura: ergo nequit ab habitu Charitatis efficienter procedere, quia causa efficiens supponitur prius natura existens ad suum effectum, & idem nequit esse prius, & poste-

rius

rius existens respectu eiusdem. Primum autem antecedens, nempè quod sit dispositio vltima, probatur primò ex illo Lucæ 7. *Ideo dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Vbi dilectio assignatur causa remissionis peccatorum, quæ fit per habitum gratiæ qui est idem cum habitu Charitatis, aut saltem prior illo, & non est aliter causa quam disponendo. Secundò idem antecedens probatur ex Trid. sess. 6. cap. 6. & 7. vbi detestatio peccati, & dilectio Dei dicitur esse dispositio ad iustificationem, quæ fit per habitũ gratiæ, & sess. 14. cap. 4. idem dicitur de contritione.

Secundò eadem opinio probatur, quia si primus actus Charitatis procedit efficienter ab habitu Charitatis, habitus gratiæ & Charitatis infunditur nobis à Deo, absque nostro consensu, seu non intuitu illius; siquidem infunditur prius natura quam existat noster consensus ex quo etiam sequitur nos necessitari ad non peccandum pro eo instanti in quo habitus infunditur, quia ex vna parte in eo instanti non potest admitti peccatum mortale, quia non potest esse simul cũ habitu gratiæ & Charitatis; & ex altera parte, quod in eo infundatur non est in nostra potestate, quia absq; consensu nostro, & independenter ab eo infunditur.

S. Thom. verò 1. 2. quæst. 113. art. 8. & ibidem Medina Vazquez disp. 211. Valent. disp. 8. quæst. 5. punct. 6. & Turrian. 2. 2. disp 77. dub. 3. docent in casu difficultatis primum actum Charitatis efficienter procedere ab habitu Charitatis, qui est in eodem instanti cum ipso primo actu; & meritò, quia ex vna parte habitus Charitatis habet sufficientem vim, seu virtutem effectricem ad producendum actum Charitatis vt patet, & ex altera ad producendum illum non eget priori tate durationis, quia potest in eo primo instanti, in quo est, sicut sol, & aliæ causæ efficientes, agere, & producere; ergo primus actus Charitatis efficienter procedit ab habitu existente simul duratione cum illo.

Quod si respondeas primum actum Charitatis disponere ad habitum Charitatis, ac proinde esse priorem natura, & in genere causæ materialis ipso habitu, & id obstare vt procedat ab illo vt à causa efficiente, quia causa efficiens debet esse prior natura, & in genere causæ efficientis suo effectu.

Contra hanc responsionem est, quod in ea falsò supponitur primum actum esse dispositionem ad habitum gratiæ, & Charitatis, quia verè non est, quia si esset maximè ex mera voluntate Dei, & non physicè, & ex natura rei; quia non apparet quomodo possit physicè, & ex natura rei disponere: ex mera autem voluntate Dei esse non potest, si esse dispositionem ad habitum obstet, vt ab eo efficienter procedat, vt verè obstaret, quia credendum non est Deum pro sua mera voluntate ob solam congruentiam aliquam perpetuo impedire habitum Charitatis, vt non producat primum actum Charitatis ad quem producendum nihil illi deficit, ei perpetuam violentiam inferendo contra impetum internum actiuum ipsius, non minorem quam fuit violentia illata igni Babilonico impedito à Deo subtrahente suum concursum, ne igne faceret puenos illos in fornace ignis missos, quia habitus Charitatis non est minus actiuus, seu effectiuus ipsius actus Charitatis quam ignis sit caloris, & alterius ignis: quod autem si esset dispositio ad habitum obstaret, vt ab eo produceretur, constat quia impossibile est habitum gratiæ pendere in suo primo existere ab actu, & quod è contra actus in suo primo existere pendeat ab habitu adhuc in diuerso genere causæ, quia si habitus in suo primo existere pendet ab actu tanquam à causa dispositiua, pendet ab illo absolute, & simpliciter existere, ac proinde extracto, seu posito extra omnes suas causas, ac proinde habitus, qui deberet existere post actum extra omnes suas causas existentem, non posset esse causa actus in aliquo genere, quia actus esset existens extra omnem suam causam.

Ad primam ergo rationem aduersariorum negamus actum Charitatis esse dispositionum ad habitum: & ad primam probationem primi antecedentis desumptam ex illo Lucæ 7. *Ideo dico tibi remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Respondemus, non esse efficacem, vel quia, vt ait Iansenius capit. 48. concordiæ Euangelicæ, ibi tantum est sermo, aut de dilectione, quæ est post remissionem culparum, & est causa remissionis totius pœnæ, aut de dilectione, qua tanquam forma iustificante remittuntur peccata quoad culpas: & de quauis potest verificari illud re-

mit-

mittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Absque eo quod dilectio sit dispositio ad habitum gratiæ, per quem fit remissio peccati, ex eo quod dilectio sit causa formalis remittens culpã, aut causa formalis, aut quasi meritoria remittens pœnam: vel quia (vt ait Vazquez ex Augustino libr. 5. homiliarum homilia 23. & verius) ibi tantum est sermo de dilectione, quæ sequitur post remissionem peccatorum, consistente in gratiarum actione pro ea remissione, quæ non est dispositio, nec alio modo causa remissionis peccatorum, sed potius effectus occasionatus ex illa: quamuis sit causa, & occasio dicendi, & inferendi remissa esse peccata, quia signa gratitudinis, seu dilectionis indicant remissionem peccatorum, & debitorum factam, & signa eximiæ gratitudinis, seu dilectionis indicant remissionem multorum peccatorum, & debitorum factam, quia ille cui multum dimittitur exhibet, aut exhibere debet signa eximiæ gratitudinis, seu dilectionis, & cui minus dimittitur, signa minoris gratitudinis, seu dilectionis, illis ergo verbis: *Idco dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Non denotat Christus, remissionem peccatorum Magdalenæ factam fuisse dilectione tunc habita; sed eam dilectionem, seu gratitudinem eximiam, esse indicium remissionis multorum peccatorum illi factæ: imò non tunc factæ, sed antequam Christus illa verba proferret, imò & antequam Magdalena ad Christum veniret, ac proinde verbum illud *remittuntur* sumitur pro præterito, id est, *remissa sunt*, vt habetur in Græco, & solet in scriptura fieri.

Et ad secundam probationem dicti antecedentis desumptam ex Tridentino sess. 6. & 14. Respondemus nomine detestationis, & contritionis, & dilectionis ad quas consequitur iustificatio à peccatis, non intelligi à Tridentino detestationem, & contritionem perfectam, nec dilectionem Charitatis, sed nomine dilectionis intelligi dilectionem concupiscentiæ qua nobis diligimus Deum, vt fontem nostrorum bonorum, vt patet ex contextu: & nomine *detestationis*, & *contritionis*, detestationem, & contritionem prout disiunctim abstrahit à perfecta, & imperfecta, quæ

ratione imperfectæ præparat ad iustificationem, quæ fit medio Sacramento, tam baptismi, quam pœnitentiæ, & ratione eiusdem fuit omni tempore necessaria ad remissionem peccatorum etiam extra Sacramentum, non necessitate Metaphysica, sed morali, vt expendimus tractatu de pœnitentia disp. 2. dif. 7.

Ad secundam rationem pro aduersarijs adductam concedimus in casu difficultatis, habitum Charitatis prius natura infundi, & esse quam sit actus Charitatis; & independenter ab existentia actus Charitatis, quia actus existens nullo modo concurrit, nec conducit ad infusionem habitus quamuis à Deo infundatur occasione actus Charitatis quem scit futurum à voluntate in eo instanti, si ipse infundat habitum, non occasione actus tanquam meriti, sed tanquam finis, quia habitus infunditur, vt actus eliciatur connaturaliter, ac proinde infunditur absque nostro consensu positiuo existente antecedenter: ex eo tamen non sequitur nostram voluntatem necessitari ab habitu ad non peccandum pro eo instanti in quo infunditur habitus, quia habitus non determinat voluntatem ad non peccandum quamuis nequeat esse simul cum peccato mortali. Ex hoc tamen tantum fit, quod in eo instanti, in quo infunditur habitus nequeat esse peccatum mortale non impotentia antecedente, proueniente ab habitu, quasi ipse non faciat voluntatem peccare, seu illam impediat, sed impotentia comitante, qua omne quod est, quando est, seu ex suppositione, quod sit non potest non esse, quia in eo instanti voluntas non peccat, & in eo non peccat, quia quamuis potuit si alias fuit prædicta cogitationibus sufficientibus ad id, tamen non voluit, quia si voluisset peccare in eo instanti, & si peccaret non infunderet Deus habitum gratiæ, & Charitatis sicut quando postea Deus conseruat eum habitum voluntas non necessitatur postea ad non peccandum pro toto tempore, quo Deus illum conseruat, quia si eum conseruat est, quia voluntas non peccat in eo tempore in quo Deus eum conseruat, quem tunc non conseruaret si voluntas tunc peccaret vt potuit. Vnde voluntas quasi negatiue, seu non apponendo pecca-

tum quod est prohibens habitum gratiæ & Charitatis potest tunc dici causa infusionis, aut conseruationis habitus, & ipsum non peccare potest quodammodo dici prius natura infusione habitus, & conseruatione illius: hoc autem non peccare aliquando est liberum voluntati, quando scilicet habens omnia requisita ad peccandum non peccat, & tunc est in nostra potestate negatiue quod infundatur, aut conseruetur habitus, & aliquando non est liberum voluntati, quando scilicet ei deficit aliquid ex requisitis ad peccandum, & tunc non est in nostra potestate adhuc negatiue infusio, aut conseruatio habitus, & quamuis tunc simus necessitati ad non peccandum, tamen non necessitate proueniente ab habitu, sed proueniente ex defectu alicuius requisiti ad peccandum vt sæpè contingit, etiam in vigilia adhuc quando caremus habitu gratiæ, & Charitatis.

Ad secundam ergo rationem informa respondemus in casu difficultatis. Infusionem habitus Charitatis aliquando esse in nostra potestate negatiue, & aliquando non esse, & in neutro casu voluntatem nostram necessitari ad non peccandum, nec quia infunditur habitus, nec quia conseruatur, ac proinde etiam, si eo instanti in quo infunditur, aut conseruatur habitus adsit præceptum diligendi Deum, non necessitatur voluntas ad eum diligendum, quia etiam tunc ita diligit, vt potuerit non diligere, quia ob præceptum non mutatur virtus habitus ad efficiendum, quamuis si tunc non diligeret vt potuit non diligere, non infunderetur, nec conseruaretur habitus ille, quia primum esse malitiæ mortalis esset primum non esse habitus gratiæ, & Charitatis conseruati. Habitus ergo gratiæ, & Charitatis, ita subditus est nostræ voluntati, vt si Deus non impediat peccatum, nequeat illum infundere, nec conseruare in voluntate prædita cogitationibus sufficientibus ad peccandum: vnde si Deus infundit habitum illum est, quia voluntas non peccat, & non è contra nempe voluntas non peccat, quia Deus infundit habitum illum.

Ita tamen habitus Charitatis concurrit ad omnem actum Charitatis, etiam in eo in quo habitus non præsupponitur duratione ad actum, & ita est lege ordinaria

necessarius ad id vt qui carens eo habitu non elicit actum Charitatis, siue pro tempore quo est præceptus siue pro tempore, quo tantum est sub consilio, eum libere omittat si non desint alia requisita ad libertatem, quia ita concurrit, & ita est lege ordinaria necessarius ad actum Charitatis, vt sit in potestate non habentis illum eum habere, quia si homo quātum est ex se, esset actum Charitatis eliciturus, Deus habitum illum infunderet, sicut, qui omittit actum, quamuis eo ipso desit concursus diuinus necessarius ad eum actum omissum, libere illum omittit, si non desint alia requisita ad libertatem omissionis, quia in potestate omittentis est concursus diuinus, quia non deficeret omittenti, si iste quantū est ex se esset operaturus.

An autem actus Charitatis erga Deum sit forma sanctificans, & remissiua peccatorum, dicimus tractatu de pœnitentia disp. 2. dif. 7. & an de facto remittat peccata, seu ab eis iustificet dicimus difficultate 8. & an actus Charitatis sit ita honestus, vt nequeat fieri malus dicimus tractatu de bonitate, & malitia disp. 1. difficult. 7.

DISPVT. II.

De habitu Charitatis.

DIFFICVLTAS I.

Vtrum sit habitus Charitatis à solo Deo per se infusus: & in quo subiecto?

CIRCA Prius Magist. in primo dist. 17. existimat non esse in nobis formam aliquam creatam, & infusam Charitatis, qua tanquam principio Deum diligamus, sed dilectionem nostram immediate oriri à Deo, & per appropiationē ab Spiritu Sancto, quod indicari videtur, 1. Ioann. 4. *Deus*

Cha-

Charitas est, & qui manet in Charitate in Deo manet, & Deus in eo.

Nihilominus à tempore Concilij Vienensis sub Clemente V. à quo in Clementina vnica de summa Trinitate, & Fide Catholica opinio admittentium habitus virtutum; nempè Fidei, Spei, & Charitatis in baptismo à Deo infusos, electa est vt probabilior conueniunt Theologi, in hominibus iustis esse habitum Charitatis per se infusum, à solo Deo, & meritò, quia est maximè cõueniens & suaui prouidentię Dei maximè cõforme, vt ad actus Charitatis, qui verè in sua substantia sunt supernaturales, infundatur à Deo habitus supernaturalis, quo potentia informata, adiuta, & eleuata, illos connaturaliter eliciat, & quia nostris actibus Charitatis vtpote effectibus æquiuocis ipsius, vt causę principalis, ac proinde inferioribus in sua substantia, ipso habitu nequit generari, ideò à solo Deo potest infundi, ob quod dicitur per se infusus.

Addimus esse de Fide in iustis esse Charitatem permanentem à Deo infusam, quia quamuis id non constet ex Scriptura, quia quoties in ea fit mentio Charitatis sufficienter ei satisfit, nomine Charitatis intelligendo actum: id tamen constat ex Trid. sess. 6. c. 7. *Dum in eo dicitur in ipsa iustificatione hæc omnia infusa, accipit homo Fidem, Spẽ, & Charitatem.* Vbi quamuis per Fidem, & Spem possint etiam intelligi actus, quia semper reperiuntur in iustificatione adultorũ facta medio baptismo, de qua in eo capite est sermo, quamuis addita sit illa particula *infusa*, quia etiam actus dicuntur infundi ratione auxilij gratiæ prærequisiti, quod Deus in nobis, sine nobis libere operantibus operatur: tamen per Charitatem nequit intelligi actus, quia in dicta iustificatione adultorũ non semper reperitur actus Charitatis, vt quando iustificatio in baptismo fit media attritione: sed quãuis sit de Fide esse Charitatem permanentem, non tamen hanc esse habitum, quia id non constat ex dicta diffinitione, nec ex alia regula, Fidei, etiãsi hoc sit quodãmodo certũ certitudine assensus Theologici, & sit minus certũ quod sit habitus per se infusus à Deo: est tamen probabilissimũ, quia probabilissimè quamuis non euidenter deducitur ex doctrina de Fide.

Esse ergo in nobis habitum Charitatis à Deo infusum, est assensus aliquo modo Theologicus quia deducitur ex vna de Fide definita in dicto c. 7. sed non est assensus pure Theologicus, quia non omnes præmissę ex quibus deducitur sunt de Fide, sed est mixtus quia deducitur ex vna de Fide, & ex altera phylosophica; imò non est omnino perfectus, quia non deducitur euidenter, sed tantum probabilissimè, & quod dictus habitus sit per se infusus, ideſt, quod nequeat aliter produci nisi à solo Deo, est multo minus certum quam quod sit à Deo infusus, prout abstrahit ab infuso per se, & peraccidēs.

In adducto autem testimonio, 1. Ioan. 4. Deus dicitur Charitas, non qua nos diligimus Deum, nec tanquam principio, nec tanquam actu, sed qua ipse diligit nos, quia se ipso nos diligit, quia actus quo Deus nos diligit, non distinguitur ab ipso Deo; vnde sensus est, qui manet (quamuis tantum habitualiter) in Charitate qua diligit Deum, etiam manet in Charitate qua diligitur à Deo, quia Deus diligentes se diligit, Prouerb. 8. ac proinde manet in ipso Deo, qui est Charitas qua nos diligit.

Addimus præter dictum habitum Charitatis per se infusum, quo tanquam principio elicimus connaturaliter actum Charitatis quoad substantiam, etiam posse esse, & aliquando est alter habitus Charitatis nostris actibus supernaturalibus Charitatis acquisitus, quo actus Charitatis facile, & prompte elicimus, & est supernaturalis, quia est supra exigentiam cuiuscumque subiecti, & actibus supernaturalibus acquisitus, est tamen diuersæ speciei ab habitu per se infuso, quia quamuis ambo respiciant, & inclinent in eosdem actus dilectionis, modis tamen specie diuersis, quia habitus per se infusus respicit, & inclinat in eos, quoad substantiam, acquisitus vero in eosdem quoad facilitatem: ita tamen est diuersæ speciei ab habitu per se infuso, vt sit inferioris speciei: imò & inferioris speciei quam actus ipsi medijs quibus acquiritur, quia ipsi actus sunt causa æquiuoca principalis substantię ipsius habitus acquisiti, & ipse est causa similium actuum solum quoad facilitatem: habitus autem per se infusus est causa æquiuoca principalis, immediata dictorum actuum quoad substantiam, & mediata dicti habitus acqui-

siti,

ſti, ac proinde eſt ſuperioris ſpeciei quam actus ipſi, & quam habitus ipſis acquiſitus.

Circa poſterius Theologi etiam illi qui non diſtinguunt habitum Charitatis ab habitu gratiæ ſanctificantis conueniunt habitum Charitatis per ſe infuſum eſſe in voluntate, tanquam in ſubiecto proximo, ſeu immediato: quod indicat, Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. dum de Charitate habituali ſermonem inſtituens, ait eam diffundi in cordibus noſtris, nomine autem cordis voluntas intelligitur: & id ratione conſtat, quia actus Charitatis ad quos eliciendos iuuat, & eleuat ſunt in voluntate, vtpotè eliciti ob bonitatem Dei, quā vt ſic ſola voluntas attingit, habitus autem operatiuus ponitur in eadem potentia, à qua eliciuntur actus, ad quos iuuat, & eleuat, quod non efficeret ſi non eſſet in ea potentia, à qua eliciuntur: & idem ob eandem rationem dicendum eſt de dicto habitu Charitatis acquiſito.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm habitus infuſus Charitatis ſit virtus?

THeologi, qui habitū Charitatis per ſe infuſum admittunt, conueniunt eſſe verè virtutem: & idē dicunt de habitu acquiſito Charitatis, qui illum admittunt, & meritò, quia tàm habitus infuſus, quàm acquiſitus, eſt operatiuus bonæ operationis, nempè dilectionis beneuolentiæ, qua Deum beneuole diligimus: & eſſe virtutem Theologicam, quia vterque reſpicit, & inclinat in actum dilectionis beneuolentiæ Dei habentis pro obiecto formali Deum, prout in ſe bonum.

Addimus habitum Charitatis per ſe infuſum eſſe vnum habitum, & vnam virtutem ſecundum ſpeciem infimam, quia reſpecit & inclinat, eodem modo ſpecifico in actus dilectionis Dei, qui omnes ſunt eiuſdem ſpeciei infimæ, vtpote eliciti, quoad ſubſtantiam ab ipſo eodem habitu, & ob idem

obie-

obiectum formale, nempè ob bonitatem Dei, quia ipse in se est bonus, quasi physice, quæ est vna, & eadem omnino quâuis nostro modo concipiendi, coalescens ex omni ratione tàm absoluta, quàm relatiua in Deo reperta, vt dicimus disp. 3. diffic. 1. & etiam habitum Charitatis acquisitum esse vnum habitum, & vnam virtutem secundum speciem, quia eodem modo specifico respicit, & inclinat in actus dilectionis Dei, qui sunt eiusdem speciei infimæ ob rationem prædictam; esse tamen habitum & virtutem specie infima distinctam ab habitu per se infuso, quia diuerso modo specifico respicit, & inclinat in eosdem actus dilectionis Dei, in quos inclinat habitus personæ infusus, & esse habitum, & virtutem specificè inferiorem illo, quia inclinat in actus dilectionis Dei, modo specifico inferiore, vt dicebamus dif. præcedente.

Et non solum habitus per se infusus Charitatis est vnus habitus, & vna virtus secundum speciem infimam, sed etiam est indiuisibilis, quoad extensionem (quamuis sit diuisibilis quoad intensionem) quia habitus per se infusus Charitatis, & generaliter, quicumque habitus per se infusus non datur, seu infunditur ad facilitatem actus, sed tantum ad substantiam illius, in omnibus autem actibus Charitatis erga Deum circa quamcumque materiam est eadem substantia, secundum speciem infimam, ergo ad omnes actus circa quãcumque materiam sufficit habitus per se infusus absque varietate partiũ ad actus circa varia obiecta materialia. Habitus verò acquisitus Charitatis, ita est vnus habitus, & vna virtus secundum speciem infimam (quamuis non vnitate simpliciter iuxta ea, quæ dicimus tractatu de habitibus) vt non solum sit diuisibilis, quoad intensionem sicut generaliter quicumque habitus, sed etiam quoad extensionem, sicut generaliter quicumque habitus acquisitus, vt dicimus in dicto tractatu, quia generaliter quicumque habitus acquisitus, tantum acquiritur exercitio actuum; & ad facilitatem actus: Qui autem exercetur circa Deum, eum purè diligendo, absque alio obiecto materiali, & fit facilis ad sic purè diligendum Deum, non eo ipso exercetur circa proximum, eum diligendo ob Deum, nec fit facilis ad id, vt experientia constat, ergo in habitu Charitatis acquisito sunt variæ par-

tes extensionis ad actus, circa varia obiecta materialia, quæ acquiruntur varijs exercitijs, & actibus, circa varia illa obiecta materialia.

Et quia actus Charitatis erga Deum est amicitia actualis nostri ad Deũ, ideo habitus Charitatis infusus, qui est principium dicti actus quoad substantiam, est etiam amicitia habitualis ex parte nostri, vt diximus, & expẽdimus d. 1. dif. 6.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm habitus Charitatis sit virtus omnium perfectissima?

CONVENIVNT, Theologi habitum Charitatis esse virtutem omnium perfectissimam in esse, seu in genere moris, & actus Charitatis, cuius est principium esse, in eo esse, seu genere omnium actuum virtutum perfectissimum, quod passim significant Patres, & significatur in Scriptura 1. ad Cor. 13. vbi Charitas dicitur maior quam Fides, & Spes, quæ sunt virtutes omnibus purè moralibus perfectiores, & quarum actus sunt perfectiores actibus omnium virtutum purè Moralium. Et ad Colos. 3. *Super omnia autem hæc Charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*, & 1. ad Tim. 1. *Finis præcepti est Charitas*: & ratione constat, quia nihil est tàm honestum, quàm diligere Deum propter ipsum, seu quia in se est bonus, ergo actus dilectionis Dei est omnium actuum honestissimus; & habitus Charitatis est virtus omnium honestissima, habitus ergo Charitatis est virtus omnium perfectissima in esse moris (quod non solum conuenit habitui per se infuso, sed etiam ipsi acquisito) & actus ipsius, sunt in eo genere omnium actuum aliarum virtutum perfectissimi.

Addimus in quo, contra hæreticos præferentes Fidem in negotio iustificationis, conueniunt Catholici Charitatẽ pro actu, & suo modo pro habitu infuso esse vtiliorẽ, & maioris momenti, quam Fidem, vt indicatur in scriptura in adductis testimonijs. Et significatur 1. ad Cor. 13. illis verbis:

Charitatem autem non habuero, nihil sum, nihil mihi prod. st. & in Tridentino sess. 6. cap. 7. dum dicitur Fides, nisi Charitas accedat, nec vnit perfectè cum Christo, nec eius membrum viuum efficit. Et ratione cōstat, quia solus actus Charitatis inter omnes actus virtutum, vel est forma iustificans, vel saltem est vltima dispositio ad iustificationem, & solus ipse habitus infusus Charitatis inter omnes habitus virtutum, vel est forma iustificans, vel saltem passio inseparabilis à gratia iustificante, & etiam est principiū ipsius actus Charitatis, quoad substantiam.

Est tamen difficultas, an habitus Charitatis sit virtus omnium perfectissima in esse physico, seu naturali?

Circa quam supponimus, in quo nequit esse dubium, habitum Charitatis esse virtutem perfectiorem in esse physico, seu naturæ virtutibus purè moralibus, quia habet perfectius obiectum formale, quam illæ, nempè bonitatem Dei, in se, & esse perfectiorem virtute Spei, quia actus Charitatis, quem habitus, & virtus Charitatis elicit, & cuius est principium, est actus beneuolentiæ erga Deum, & non actus Spei, etiamsi respiciat Deum, tanquam eum à quo speratur: & aliquando eum etiam respicit respectu concupiscentiæ, tanquam bonum quod speratur, quia isti respectus sunt physicè imperfectiores respectu beneuolentiæ erga eundem Deum.

Hoc ergo supposito remanet difficultas, an etiam sit physicè perfectior virtute Fidei diuinę, & consequenter etiā alijs virtutibus intellectualibus, quæ sunt physicè imperfectiores virtute Fidei?

Soar. disput. 2. sect. 3. Lorca disput. 9. Ægid. disput. 21. dub. 5. Becan. & Petr. Hurt disput. 132. sect. 2. partem affirmatiuam tuentur; quia Charitas perfectiori modo respicit & attingit Deum, vt obiectum formale, quia eum attingit prout est bonus in se, quam Fides, quia hæc non attingit Deum prout est in se, sed prout nobis testificantem & loquentem.

Caiet. verò 1. part. quæst. 82. art. 3. Ferra. 3. contra Gentes, cap. 26. Vaz. 1. 2. disput. 11. num. 45. & plures recentiores docent, habitum Charitatis non esse physicè perfectio-

ctiorem Fide diuina, sed esse imperfectiorem & meritò, quia ex vna parte actus Fidei, & suo modo habitus non est minus supernaturalis, quàm actus Charitatis, & ex altera parte actus Fidei, & suo modo habitus perfectiori modo physico versatur circa Deũ, quam actus Charitatis, & suo modo quã habitus, quia generaliter intellectus suis actibus, & habitibus perfectiori modo physico versatur, circa suũ obiectum, quã voluntas suis actibus, & habitibus, quia hæc suis actibus, & suo modo, suis habitibus fertur in suũ obiectũ, intellectus verò suis actibus, & suo modo suis habitibus trahit obiectũ ad se faciendo illud sibi præsens mentaliter, trahere, autem perfectius est quam ferri.

Ad rationem ergo aduersariorum negamus Charitatem perfectiori modo physico attingere Deum, quam Fidem, vt nunc dicebamus: ex eo autem quod Charitas attingat Deum prout in se bonum, tanquam obiectum formale non attingit Deum perfectiori modo physico se tenente ex parte Charitatis, quod ad id erat necessariũ: imò nec attingit obiectum formale perfectius essentialiter, quamuis sit perfectius extensiuè, quia Deus vt in se sapiens, & verus intra se iudicans, seu dicens, qua ratione attingitur à Fide, vt obiectum formale nõ est minus perfectus essentialiter, quam Deus vt est in se bonus, imò etiam Deus vt verax, seu rectus in reuelando, seu loquendo nobis ad extra, qua etiam ratione potest intrare obiectum formale Fidei diuinæ, non est minus perfectus essentialiter, quam Deus vt in se bonus, quãuis vt sic sit magis extense bonus, quia bonitas physica Dei ob quam benenole diligitur, est coalescens ex omni ratione in Deo existente.

DIFFICVLTAS IIII.

Vtrùm habitus & virtus Charitatis sit forma aliarum virtutum, eis tribuens esse virtutis.

Supponimus virtutes Theologicas, ita se habere vt in

via

via Fides, & Spes possint esse absque Charitate, & Charitas non sit absque Fide, & Spe, & Fides possit esse sine Spe, & Spes non sit absque Fide: & virtutes morales per se infusas, ita se habere, vt non sint sine Charitate: nec Charitas sit sine illis, quia simul cum Charitate infunduntur, & simul cum illa amittuntur, quia infunduntur iustis, in quibus est Charitas, vt Comites ipsius Charitatis, & iustitiæ in ornamentum illius. Vnde quando peccator elicit affectum moralem ob honestatem supernaturalem, non elicit illum connaturaliter, quia non elicit illum medio habitu infuso, seu media virtute infusa, sed elicit illum supplente Deo vicem habitus: & virtutes morales acquisitas manere in peccatore absque Charitate.

Hoc ergo supposito, difficultas est, an omnes dictæ virtutes habeant veram, & propriam rationem virtutem absque Charitate; & quæ non sunt absque illa habeant veram rationem virtutum ab illa?

Circa hanc difficultatem conueniunt communiter Theologi, reliquas virtutes etiã acquisitas ratione sui habere veram, & propriam rationem virtutum, & non à Charitate, ac proinde eas, quæ existunt absque Charitate, etiam tunc esse verè, & propriè virtutes, & meritò, quia ratione sui, & independenter à Charitate sunt principia actuum verè, & perfectè bonorum, in quo consistit vera ratio & perfectio essentialis virtutis, & eis benè viuitur, & homines fiunt boni, quamuis non simpliciter absque Charitate, sed tantum secundum quid, quia absque ea non sunt sancti. Nihilominus actus earum, quando à Charitate medio suo actu dilectionis referuntur in Deum vltimum finem beneuole dilectum perficiũtur extrinseca perfectione, nempè ordinatione passiua in Deum, quæ in ipsis tantum est extrinseca denominatio, imò & quando non referuntur in Deum, adhuc perficiuntur extrinsecè à Charitate, nempè extrinseca ratione meriti, & dignitatis vitæ æternæ, quia ex eo solum, quod fiant ab homine iusto fiunt meritorij decondigno vitæ æternæ, fit autem iustus à Charitate, quamuis ex natura rei distinguatur à gratia habituali, & etiam ab hac, etiamsi distinguatur à Charitate, homo fit iustus, & consequenter e

tiam ab ea quamuis à Charitate distincta, dicti actus eo modo extrinseco perficiuntur.

Charitas ergo est forma reliquarum virtutum, etiam acquisitarum non physica, & intrinseca, sed moralis & extrinseca. Primò, quia suo actu dilectionis beneuolentiæ refert actus illarum in Deum vltimum finem, quod primario conuenit actui Charitatis, & aliarum virtutum, ipsis verò habitibus, & virtutibus secundario, quatenus sunt principia ipsorum actuum. Secundò, quia ex eo quod actus aliarum virtutum fiunt ab homine iusto, quamuis non ex imperio Charitatis, fiunt meritorij de condigno vitæ æternæ.

Quo autem alio modo Charitas sit forma, anima, & vite Fidei, dicimus tract. de Fide, disp. 6. dif. 3.

Patres verò dum indicant absque Charitate nullam esse virtutem perfectam: & opera absque Charitate nihil valere, tantum loquuntur quoad valorem, & dignitatem vitæ æternæ, & id tantum voluit Paulus 1. ad Corint. 13. dum ait, alia opera nihil prodesse absque Charitate.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm habitus infusus Charitatis reipsa distinguatur â gratia habituali iustificante.

SVPPONIMVS, In quo conueniunt Theologi nos formaliter iustificari habitu, qui dicitur gratia habitualis iustificans, est ergo difficultas, an habitus infusus Charitatis distinguatur reipsa ab eo habitu gratiæ iustificantis?

S. Th. 1. 2. quæst. 110. art. 3. & ibidem Caiet. Conradus, Medina, Curiel, Lorca, & Valent. disp. 8. q. 2. puncto, 2. & Sotus lib. 2. de natura, & gratia, capit. 17. & 18. partem affirmatiuam tuentur, quam indicare videntur Clemens Quintus, dum approbante Concilio Vienensi in Clement. vnica de sum. Trinit. & Fide Catholica eligit, vt probabiliorem opinionem admittentium, paruulis in baptismo in-

fundi

fundi gratiam, ac virtutes, quia his verbis videtur distinguere gratiam â virtutibus, ac proinde à Charitate, quæ est virtus: & Tridentinum sess. 6. cap. 7. dum ait: iustificationē fieri per susceptionem gratiæ, & donorum, & Can. 11. dum damnat asserentes iustificationem fieri per solam non imputationem exclusa gratia & Charitate. Et ratione probatur, quia forma, qua res constituitur in suo esse distinguitur re ipsa ab ea, quæ proximè tribuit facultatem, & vim ad operandum, sed gratia habitualis tribuit homini esse sanctum, & eum talem constituit; & habitus infusus Charitatis tribuit homini proximam facultatem, & vim ad operandum, nempè ad beneuole diligendum Deum, ergo habitus gratiæ iustificantis, & habitus infusus Charitatis reipsa distinguuntur. Et confirmatur, quia habitus infusus Charitatis est proximè operatiuus supernaturaliter, ergo reipsa supponit esse diuinum, & supernaturale sancti, ac proinde ab eo reipsa distinguitur.

Alexand. verò 3. p. quæst. 69. memb. 2. art. 4. Scotus in 2. distin. 26. quæst. vnica, Durand. & Maior. quæst. 1. Ægid. disput. 21. dub. 7. & Bellarm. 1. de gratia, capit. 6. docent, & meritò habitum infusum Charitatis non distingui reipsa ab habitu gratiæ iustificantis, sed esse vnum, & eundem habitū; quod satis indicat Tridentinum sess. 6. cap. 7. dum postquam dixit vnicam causam formalem nostræ iustificationis esse iustitiam Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, explicans quæ sit hæc iustitia ait: *Quanquam enim nemo possit esse iustus, nisi cui merita passionis Christi communicantur, id tamen in hac impij iustificatione fit, dum eiusdem sanctissimæ passionis merito per Spiritum Sanctum Charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificātur, atque ipsis inhæret*: Quibus verbis satis significat Charitatem diffusam in cordibus nostris esse iustitiam illam, qua dixerat nos iustificari; & id etiam indicat dum subdit: *Vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia, simul infusa accipit homo Fidem, Spem, & Charitatem, nam Fides nisi ad eam Spes accedat, & Charitas, nec vnit perfectè cum Christo, nec corporis eius vitum membrum efficit*: Vbi dum numerans ea, quibus iustificamur, non facit mentionem alius gratiæ, & iustitiæ, quam

Cha-

Charitatis satis indicat gratiam iustificantem, non esse id à quam Charitatem. In eo autem loco sermonem esse de Charitate habituali & permanente diximus d. f. 1.

Et ratione probatur, quia absque necessitate, & ratione aliqua vrgente non sunt entia distinguenda, nec multiplicãda ex natura rei, nulla autem est necessitas, nec ratio ad distinguendum ex natura rei habitum gratiæ iustificantis, & habitum infusum Charitatis, ergo, consequentia patet, & etiam maior, minor verò probatur, quia habitus infusus Charitatis verè iustificat hominem, quia eum efficit Deo Charũ, & amicum, & Filium Dei, & vt ait Triden. vbi supra, vnit perfectè cum Christo, & eum efficit membrum viuum illius, & tribuit esse supernaturale accidentale quale tantum, & non substantiale posset tribuere habitus gratiæ, si esset distinctus ab habitu infuso Charitatis: vnde quamuis esset possibilis aliquis habitus gratiæ iustificantis distinctus reipsa ab habitu infuso Charitatis (quod est incertum) non est admittendus de facto, quia non est necessarius.

In prædictis autem testimonijs Clementis Quinti, & Tridentini adductis pro aduersarijs tantum significatur in iustificatione infundi aliqua dona, & virtutes distinctas à gratia iustificante, quod est verisimum, quia verè infunduntur Fides, & Spes, & virtutes morales per se infusæ, quæ omnes sunt distinctæ à Charitate: nec illis verbis Tridentini Canone 11. *Excluſa gratia, & Charitate*: Tridentinum distinguit gratiam à Charitate, imò pro eodem sumit, quia ait *Excluſa gratia, & Charitate, quæ per Spiritum Sanctum diffunditur*, & non ait, *diffunduntur*, quod maximè confirmatur ex eo, quod ibidem pro eodem sumit gratiam, & Charitatem, vt vidimus, præsertim dum ait iustificationem fieri dum per Spiritum Sanctum diffunditur Charitas, & inhæret, nulla facta mentione gratiæ, vnde particula, *&* in illis verbis: *Excluſa gratia, & Charitate* sumitur pro particula, *seu*, vt sæpè sumitur.

Ad rationem verò respondemus, formam qua res constituitur in suo esse substantiali esse reipsa distinctam ab ea forma, quæ dat facultatem proximè operandi: *Quia hæc posterior*, est accidentalis, & illa prior est substantialis: non ve-

rò formam qua res constituitur in esse accidentali, quamuis supernaturali, & primo in eo genere. quia ab eadem potest tribui rei facultas proximè operandi, quia tàm illud esse, quàm facultas illa est quid accidentale, ac proinde ab eadem forma, & ab eodem habitu infuso Charitatis potest quis esse sanctus & potens, proximè diligere Deum.

Ad confirmationem, ergo negamus habitum Charitatis supernaturalem proximè operatiuum supponere reipsa aliquod esse supernaturale, quia cum creaturis nonsit aliquod esse supernaturale, substantiale, sed tantum accidentale, hoc potest prouenire, & prouenit ab habitu ipso proximè operatiuo supernaturali absque eo, quod supponatur, ad ipsum habitum proxime operatiuum. Iste tamen habitus, & illud esse supernaturale, quod ab ipso formaliter prouenit, supponit esse physicum, seu naturale animæ, & potentiarum ipsius, quod etiam supponitur ad ipsum supernaturale operari: vnde ad istud supernaturale operari, tantum supponitur ipsum esse supernaturale accidētale proueniens formaliter ab ipso habitu, & non aliud esse supernaturale, nec substantiale, nec accidentale.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm habitus infusus Charitatis possit augeri?

CONVENIVNT Theologi contra hæreticos Charitatem crescere, & augeri posse, quod Trident. sess. 6. c. 10. & Can. 24. & Can. 32. definit sub nomine iustitiæ, quā capit. 7. indicauerat esse ipsam Charitatem; & sub nomine iustificationis, quam significauerat fieri infusione Charitatis; & sub eodem nomine iustificationis significatur Eccl. 18. *Ne verearis vsque ad mortem iustificari*, & Apocalyps. vltimo: *Qui iustus est, iustificetur adhuc*: & sub nomine iustitię 2. ad Cor. 9. *Augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ*, & sub nomine Charitatis, ad Ephes. 4. *In Charitate crescamus*, & ad Ephes. 1. *Oro vt Charitas vestra magis, ac magis abundet*

Di-

Dictum autem augmentum Charitatis conuenire habitui infuſo Charitatis conueniunt Theologi, & de eo habitu, aut de Charitate permanẽte, quæ nequit eſſe niſi habitus ſermonem eſſe in Tridentino, cap. illo 7. diximus diſſ. 1.

Habitus ergo infuſus Charitatis poteſt creſcere, & augeri, non extenſiue, quia non eſt extenſiue diuiſibilis, vt diximus diff. 2. ſed tantum intenſiue (ſicut generaliter quicumque habitus, & quæcumque alia qualitas) non aduentu noui gradus perfectioris deſtruentis imperfectiorem aliquem præexiſtentem, vt falſo exiſtimauit Durandus, ſed aduentu, & additione noui gradus ad præexiſtentem ex natura rei diſtincti à præexiſtente, vt generaliter diximus tractatu de habitibus difficult. 6.

DIFFICVLTAS VII.

Quibus actibus Charitatis augeatur habitus infuſus Charitatis?

SVPPONIMVS Habitum infuſum Charitatis augeri ex opere operato medijs Sacramentis rectè ſuſceptis: & eo magis augeri, quo maior eſt diſpoſitio ſuſcipientiũ.

Hoc ergo ſuppoſito, difficultas eſt de augmento habitus infuſi Charitatis ex opere operãtis, ſeu medijs actibus iuſti, & preſertim medijs actibus ipſius Charitatis: & nõ procedit de habitu acquiſito Charitatis, quia hic quamuis ſupernaturalis ſit, augetur phyſicè actibus Charitatis (ſicut generaliter quilibet habitus acquiſitus augetur phyſicè actibus ſimilibus eis, quibus acquiritur) & actibus adhuc remiſsioribus ipſo habitu, vt generaliter dicimus tractatu de habitibus diff. 8. ſed procedit de habitu Charitatis per ſe infuſo, & eodẽ modo de habitu gratiæ habitualis, & iuſtitiæ, quo homo iuſtificatur, vel quia habitus per ſe infuſus Charitatis, & habitus gratiæ reipſa non diſtinguũtur, vt nos dicimus diſ. 4. vel quia ſi diſtinguuntur, tamen ſe habent quaſi eſſentia & propria paſsio, quæ concomitanter eodem modo infunduntur, augentur, & amittuntur.

Circa hanc difficultatem conueniunt Theologi, habitum infusum Charitatis nullis actibus physicè augeri, quia si aliquibus maximè actibus ipsius Charitatis, eis autem, quamuis habitu ipso intensioribus, nequit physicè augeri, sicut nec illis generari, non solum tanquam causis principalibus, quia actus ipsi sunt inferioris speciei quam habitus infusus, sed neque tanquam instrumentis, quia non vt instrumentis voluntatis creatæ illos elicientis, quia nequeunt à voluntate creata eleuari ad id, quia hæc est inferioris ordinis quam ipse habitus: imò & quam ipsi actus (ob quod existimamus voluntatem esse instrumentum ipsorum actuum ad productionem, & intensionem habitus acquisiti Charitatis, qui verè est supernaturalis, & inferioris speciei quam ipsi actus, quibus generatur & intenditur) nec vt instrumentis Dei, quia nequeunt assumi vt instrumenta à Deo ad id, quia non sunt ad id sua natura accommodati: & quamuis assumi possent absque fundamento dicetur de facto assumi; sed habitum infusum Charitatis augeri moraliter, & meritorie, aut saltem occasionaliter modo statim explicando, actibus ipsis Charitatis.

Est ergo difficultas, quibus actibus Charitatis augeatur & crescat intensiuè modo dicto.

Conueniunt Theologi habitum gratiæ, & Charitatis infusum augeri actibus Charitatis ipso habitu intensioribus (quia si augetur vt verè potest, & de facto augetur) nullis alijs actibus melius augebitur, & crescet.

Punctum ergo difficultatis in eo consistit, an non tantũ actibus Charitatis ipso habitu intensioribus augeatur, sed etiam actibus ipso remissioribus, quorũ quantũ adhoc eadẽ est ratio, ac actuũ æqualium. Actus autem tàm remissiores, quàm æquales, nomine actuum remissorum cõprehendemus?

S. Th. in 1. dist. 17. q. 2. art. 3. ad 2. Altisiodor. lib. 3. sum. tract. 16. cap. vnico, q. 3. & 5. Bonauen. in 2. dist. 40. art. 2. q. 3. & Bañ. 2. 2. q. 24. art. 6. docent, habitum infusum Charitatis non augeri actibus remissis: & id admittit Dur. q. 8. n. 7. quoad actus remissiores ipso habitu, non verò quoad æquales: opinio hæc probari potest. Primò, quia habitus acquisiti non augentur actibus remissis, sed intensioribus ipso

habitu, ergo nec habitus infusi, quia Deus in augendis habitibus infusis seruat proportionem ad augmentum habituũ acquisitorũ. Secundò, quia qui remisse diligit non est dignus augmento habitus infusi dilectionis, seu Charitatis ergo.

Authores tamen huius opinionis eam non eodem modo defendunt, quia alij dicunt habitum infusum Charitatis non augeri actibus remissis dilectionis, quia isti actus remissi non sint meritorij decondigno augmenti prædicti habitus. Alij verò qui admittunt actus remissos dilectionis esse meritorios decondigno augmenti habitus infusi Charitatis, dicunt, eis nõ augeri, quia de facto Deus non vult augmentum illud conferre ob eos actus remissos.

Idem verò S. Th. & Caiet. 2. 2. q. 24. art. 6. Scotus in 4. distin. 21. Soar. lib. 9. cap. 3. Ægid. disp. 8. dub. 9. Granado disp. 9. sect. 2. Vazq. 1. 2. disp. 220. & communiter Theologi, docent & meritò, habitum infusum gratiæ, & Charitatis moraliter, & meritorie, aut aliter quam physicè augeri, & crescere quocumque actu ipsius Charitatis, quamuis remissiore, quam sit ipse habitus. Quod in primis satis significat Tridentin. sess. 6. cap. 10. & Can 24. dum ait bonis operibus iustos magis iustificari, & crescere in iustitia & sanctitate, quia id tribuit absolutè operibus bonis ex auxilio gratiæ Dei per Christum factis absque distinctione operum remissiorum, aut intensiorum habitu gratiæ, & iustitiæ, id autem fieri moraliter, & meritorie, aut saltem occasionaliter significat, Can. 32. & constat, quia non augetur physicè, vt diximus in supra adducta suppositione.

Deinde opinio nostra ratione Theologica probatur, quia actus Charitatis remissus meretur augmentum gloriæ, & aliquando conferendum si homo qui sic diligit, in sanctitate, & iustitia moriatur, ergo etiam meretur augmentũ gratiæ, & Charitatis (quod est semen & ius augmenti gloriæ & aliquando conferendum, ergo habitus gratiæ, & Charitatis crescit actibus remissis Charitatis: quod autem actus Charitatis remissus mereatur augmentum gloriæ, & aliquando conferendum in primis satis significat Tridentinum sess. 6. cap. 16. dum ait operibus bonis hominis iusti ex auxilio gratiæ Dei per Christum factis, nihil deesse, vt illis

mereatur vitam æternam, & vt eam suo tempore consequatur, si in gratia decedat, actus autem Charitatis; quamuis remissus, est opus bonum factum ex auxilio gratiæ Dei per Christum, ergo nihil illi deest, vt mereatur gloriam suo tempore consequendam, & idem significat: Dum subdit: *Nec illud omittendum est, quod licet bonis operibus in sacris literis, vsque adeo tribuatur, vt etiam qui vni ex minimis suis potum aquæ frigidæ dederit promittat Christus eum non esse sua mercede carituram*, quia his verbis significat; quodlibet opus bonum saltem Charitatis quamuis minimum esse dignum mercede æterna. Idem quoque significat can. 26. & 32. dum omnibus operibus bonis iusti ex auxilio gratiæ Dei per Christum nullo excepto attribuit meritum augmenti gloriæ, & retributionis, quæ speràri possit: deinde idem antecedens: nempè; quod actus remissus Charitatis, mereatur augmentum gloriæ, & aliquando conferendæ, probatur ratione ab absurdo; quia aliàs iustus, qui in principio intensius diligit Deum esset peioris conditionis, quam iustus, qui in principio remissius diligit, quia ille non meretur augmentum gloriæ per actus remissiores illis, quibus in principio intensius dilexit Deum, & iustus, qui in principio remisse dilexit, meretur per alios actus sequentes intesiores illis, quibus in principio dilexit, & non intensiores, imò aliquando remissiores illis, quibus ille alter iustus, qui in principio intensius dilexit Deum, non meretur, quia in eo iusto sunt remissi comparatione ad actus antecedentes, & ad habitum infusum ob illos.

Addimus habitum infusum Charitatis, non tantum intendi actibus etiam remissis Charitatis, sed etiam quibuscumque alijs operibus bonis iusti etiam valde remissis, vt significat Tridentinum sess. 6. capit. 10. & Canon. 24. dum absque distinctione aliqua operum bonorum tribuit operibus bonis iustorum augmentum sanctitatis, & iustitiæ, & cap. 16. & Canon. 26. & 32. dum in eis tribuit operibus bonis iusti absque distinctione operum, meritum vitæ æternæ, & aliquando consequendæ.

Ad primam ergo rationem aduersariorum negamus, habitus acquisitos non intendi actibus remissis, vt dixi-

mus

mus tractatu de habitibus, & quāuis isti non intenderentur, nisi actibus intensioribus, quia physicè intenduntur per actus, posset tamen habitus infusus Charitatis intendi actibus remissis, quia tātum intēditur meritoriè, & aliquando etiam occasionaliter per actus, quod potest efficere quilibet actus Charitatis quamuis remissior ipso habitu.

Et ad secundam negamus, cum qui remisse diligit non fieri dignum intensione habitus infusi Charitatis, quia verè fit dignus sicut & intensione, & augmento gloriæ.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm habitus infusus Charitatis intendatur medijs actibus Charitatis, intensioribus, secundum totam latitudinem intensionis ipsorum actuum, an tantum secundum excessum, quo excedunt habitum?

QVI Docent habitum infusum Charitatis non augeri actibus remissis Charitatis, sed tantum actibus intensioribus ipso habitu consequenter docent habitum infusum Charitatis non augeri actibus intensioribus Charitatis, secundum totam intensionem horum actuum, sed tantum secundum excessum, quo actus excedit habitum, quia aliàs habitus infusus Charitatis creseeret plusquam credi potest.

Aragon verò quæst. 26. art. 6. Corduba lib. 1. quæst. 9. Vazquez 1. 2. disput. 220. capit. 9. Soarez de reuiuiscentia meritorum, sectione 3. Granado disput. 7. & communiter Theologi, docent habitum infusum Charitatis augeri actibus Charitatis secundum totā intensionem ipsorum, & meritò, quia ex vna parte habitus infusus Charitatis, non intēditur physicè medijs actibus Charitatis, sed tātū meritorie, aut occasionaliter, modo sit tim explicādo & ex altera parte

negari nequit quemlibet actū Charitatis, quoad totam ſuā intenſionem eſſe meritorium augmenti gloriæ, in eo qui tēpore præſupponitur iuſtus, & aliquando conferendi, ergo etiā augmēti gratiæ, & Charitatis, quod eſt ſemē & ius augmēti gloriæ, ergo habitus Charitatis verè intenditur mediis actibus Charitatis iuxta totā ipſorū intenſionem, & nō tātū ſecūdū exceſſum: & intēditur meritorie, excepta ea intēſione habitus, quæ additur habitui, vt cōnaturaliter eliciat actū, quoad totam ſuā intenſionē, quia hæc fit occaſionaliter.

Ita ergo habitus infuſus Charitatis intenditur actu intenſiori Charitatis ſecundū totam intenſionem ipſius actus vt intenſio, quæ defuit habitui, vt connaturaliter eliciat eum actum intenſiorem, ipſi habitui addatur occaſionaliter, & in eodem inſtante, in quo elicitur actus, vt connaturaliter eliciat ipſum actum, quoad totam intenſionem ipſius actus: Reliqua verò intenſio addenda habitui ob intenſionem reſtantem actus, addatur ipſi meritorie, & moraliter in præmium ipſius actus quoad eam intenſionem reſtantem: additur tamen in duratione, poſt eam in qua elicitur actus ille intenſior, quia ſi in eadem non poſſet non procedere ab habitu, ſi habitus non impediatur ſupernaturaliter, quia ex vna parte in habitu eſt ſufficiens virtus ad id, & ex altera agens in eodem inſtanti, in quo primo eſt poteſt agere & producere, ac proinde habitus quoad eam intenſionem non eſſet præmium, nec actus ſecundum eam intenſionem mereretur illam intenſionem habitus, quia principium meriti non cadit ſub ipſum meritum.

Et ita habitus infuſus Charitatis augetur actibus Charitatis, quoad totam intenſionem ipſorum, vt incertum ſit, an infundantur tot gradus habitus, quot ſint actus ob quē infunditur? Veriſimilius tamē eſt pauciores gradus ipſius habitus infundi, quia habitus eſt eſſentialiter perfectior quam actus, ac proinde veriſimilius eſt, quod minor intenſio habitus ſit ſufficiens premiū maioris intēſionis actus, & quod ſit ſufficiens ad cōnaturaliter eliciendum actum intenſiorem.

Quod autem habitus infuſus Charitatis poſt multum tēporis euadat valde intenſus non eſt mirum, nec eſt cenſendū incredibile ob rationem dictam.

DIF-

DIFFICVLTAS IX.

Vtrum intensio habitus infusi Charitatis, quæ confertur ob actus ipsius Charitatis, statim conferatur?

CONVENIVNT Theologi, augmentum intensiuum habitus infusi Charitatis quod confertur ob actus intensiores Charitatis, statim conferri, tam illud quod confertur in præmium, quam quod confertur ad connaturaliter eliciendum, actum quoad intensionem ipsius excedentem intensionem, & virtutem habitus præexistentis, quia ad hoc posterius conferendum statim, nulla melior occasio esse potest, quia absque eo non elicietur actus ille connaturaliter quoad dictam intensionem excedentem. Et ad augmentum illud prius, statim conferendum adest sufficientissima ratio, quia ex vna parte augmentum illud est præmium proprium viatorum, quod in statu viæ adipisci possunt, & ex altera parte, nulla potest esse melior dispositio ad illud adipiscendum quam actus Charitatis habitu illo præexistente intensior, ergo statim confertur.

Est tamen difficultas, an augmentum intensiuum habitus infusi Charitatis, quod confertur ob actus Charitatis æquales, & remissiores (qui nomine actuum remissorum comprehenduntur) detur statim.

Scotus in 4 dist. 21. & 22. quæst. 1. & plures Thomistæ docent, dictum augmentum non dari statim, sed dari, aut in ingressu gloriæ, vt volunt Scotus, & alij, aut quando elicitur actus Charitatis habitu ipso intensior, & aliter nunquam dari, vt non pauci volunt; imò ex his qui docent tantum dari in ingressu gloriæ, non conueniunt, quia nonnulli existimant dari in ingressu gloriæ si post actus remissos eliciatur aliquis actus intensior ipso habitu, & nunquam dari si non eliciatur talis actus, Scotus vero docet dari in ingressu gloriæ, quamuis non eliciatur actus habitu intensior.

Quod

Quod autem augmentum intensiuum habitus infusi Charitatis debitum actibus remissis Charitatis non detur statim. Probatur, quia actus supernaturalis respectu sui habitus infusi in hac vita non tantum se habet vt meritum illius, sed etiam vt dispositio ad illum, sed ad intendendum habitum requiritur dispositio intensior, sicut etiam ad intendendum aliàs qualitates; ergo augmentum intensiuum, habitus infusi Charitatis debitum actibus remissis Charitatis, non confertur in hac vita; quia in ea non sufficit meritum ad id, sed etiam requiritur dispositio, quæ in casu præsentis difficultatis deficit; sed tantum confertur in alia vita in qua sufficit quod præcesserit meritum, & non requiritur dispositio.

Gab. verò in 4. dist. 14. q. 3. art. 3. dub. 3. Maior. dist. 22. quæst. 1. Soarez opusculo de remissione meritorum disp. 2. sect. 3. Ægidius disp. 8. dub. 9. Turrian. disp. 68. dub. 4. & Vazquez 1. 2. disp. 220. docent: augmentum intensiuum habitus infusi Charitatis ob actus remissos statim confertur & merito; quia ex vna parte iustus eis actibus remissis Charitatis de condigno meretur augmentum illud, vt diximus dis. 7. & ex altera parte status viatoris est accommodatus ad dictum præmium obtinendum, ergo statim confertur à Deo absq; dilatione aliqua, quia non est causa aliqua ob quã differatur, quia si aliqua maximè quia deficeret dispositio ad id, ad id autem nulla deficit dispositio necessaria, quia ad recipiendum à Deo, qui liberalissimus est, præmium accommodatũ alicui statui, non est necessaria alia dispositio quã in eo statu mæreri illud de condigno, & absque fundamento aliud requiritur. Vnde falsò assumunt aduersarij ad intensionem habitus infusi Charitatis conferendum à Deo præter meritum de condigno requiri aliam dispositionem: imò ad intendendas alias qualitates non requiritur dispositio aliqua, quia sufficit capacitas subiecti, & virtus agentis potentis intendere eas qualitates, & ad subiectum applicati. Et ob rationem dictam, augmentum intensiuum habitus Charitatis infusi, ob actus aliarum virtutum, quamuis valde remissos statim à Deo confertur.

Ita tamen augmentum intensiuum habitus infusi Chari-

tatis

tatis statim confertur ob actus meritorios illius suæ Charitatis, siue aliarum virtutum, vt non conferatur in eo instanti, aut tempore, in quo fit opus, sed immediate post, quia in eo instanti, aut tempore collatum, esset principium ipsius actus meritorij, aut physicum ipsius actus Charitatis, quia haberet virtutem ad id, aut morale actuum aliarum virtutum conferendo eis valorem ad meritum, ac proinde non posset conferri vt præmium eorum; quia principium meriti nequit esse præmium talis meriti.

DIFFICVLTAS X.

Vtrum habitus infusus Charitatis possit à Deo augeri in infinitum?

SCOTVS In 3.d.13.§.ad 1.quæst.Ricard.art.1.quæst.2 Bonau.in 1.disp.17.2. part. dist 64. & Caiet. quæst. 24. art.7. docent habitum infusum Charitatis non posse in infinitum augeri de potentia Dei absoluta; sed habere terminum finitum, vltra quem augeri nequeat. Quod generaliter significare videtur Aristoteles 8. physicorum tex.74.dum ait motum alterationis non posse procedere in infinitum, & lib.2. de anima, cap.4.dum ait omnia, quæ natura constant habere terminum magnitudinis, & accretionis.

Dissentiunt tamen prædicti Doctores in explicando vnde proueniat quod dictus habitus nequeat in infinitum intendi: quia Scotus, & Caietanus existimant id illi conuenire ratione sui, seu ex sua natura; quia sicut habet determinatã, seu limitatam naturam, & speciem, ita & determinatam, & limitatam intensionem. Ricardus verò, & Bonauentura existimant id conuenire dicto habitui, ratione subiecti ipsius nempe voluntatis, quia voluntas est finita in essendo, ac proinde vtiam in capacitate, vt nõ possit recipere habitum, nec actum infinitum, quia capacitas est reipsa indistincta ab essentia, & natura voluntatis.

S. Thom. verò, quæst. 24. art. 7. & ibidem Bañez & Arag. Becan. cap. 22. quæst. 4. Vazq. 3. p. disp. 47. Soar. disp. 22. sec. 2. Aegid. disp. 22. dub. 5. & Granado tract. 3. disp. 2. docent habitũ infusum Charitatis posse de potentia Dei absoluta in

infi-

infinitum augeri absque termino, seu limite; & merito, quia ex nullo capite repugnat dictum habitum in infinitum absq; limite augeri imò fieri infinitum in actu, quia in primis non repugnat ex parte ipsius habitus quamuis sit finitus in essendo, seu in perfectione essentiali, quia augmentum quoad intensionem non extrahit illum à ratione finiti in essendo, seu in perfectione specifica, & essentiali, vt patet, quia intẽsio fit intra eandem naturam: nec repugnat quia habitus habeat gradus indiuidualiter subordinatos, & dissimiles, vel quia non habet hanc subordinationem, & dissimilitudinem, vel quia non obstat dicto augmẽto, vt de habitu gratiæ in Christo dicimus tract. de Incarnat. disp. 7. diff. 4. nec repugnat ex aliquo alio proprio ipsius habitus Charitatis, vt dicimus, in eodem tractatu, dif. 5. de habitu gratiæ, qui non distinguitur à dicto habitu Charitatis, vel si distinguitur, tamen quoad hoc, est eadem ratio vtriusque; nec repugnat ex parte voluntatis, quamuis sit finita in essendo, seu in perfectione essentiali, quia voluntatem posse maiorem, & maiorem gratiam absque limite recipere, imò infinitam in actu non extrahit ipsam voluntatem ab ea finitate (sicut nec ipse habitus extrahitur à sua finitate in essendo, ob infinitam intensionem sui) quia non requiritur maior capacitas essentialis, seu specifica ad recipiendos infinitos gradus quam ad vnum eiusdem speciei cum infinitis. Et sanè si habitui infuso Charitatis ratione sui non repugnat dictum augmentum nõ repugnabit ratione sui subiecti, nempe voluntatis, quia dictus habitus est accidens, quod in quocumque augmento possibili exigit esse in subiecto creato: vnde habitus infusus Charitatis non solum extra subiectum potest in infinitum crescere: imò fieri infinitus in actu, sed etiam in subiecto, imò magis connaturaliter quam extra subiectum.

Quod autem voluntas, & intellectus vt instrumenta Dei possint elicere actus intensiores, & intensiores sine limite, imò intensos infinite in actu, constat ex dictis à nobis, diffi. illa 4.

Aristoteles ergo 8. physicorum tex. illo 74. dum ait. Motum alterationis non posse procedere in infinitum, tantum loquitur de alteratione proueniente ab agente naturali, vt

causa

causa principali, secus est de proueniente à Deo, & lib. 2. de Anima cap. illo 4. Etiam loquitur de aumento, & accretione quantitatiua viuentium proueniente à principio intrinseco ipsorum.

DIFFICVLTAS XI.

Vtrum habitui infuso Charitatis præfixus sit aliquis terminus in hac vita ex lege Dei?

BEGARDI, Et Beguinæ errarunt existimantes hominem posse in hac vita ad tantam perfectionem gratiæ, & Charitatis peruenire, vt nequeat amplius in ea proficere, quod significare videtur Augustinus in Enchir. cap. 121. dũ ait: *Minuetur autem cupiditas Charitate crescente donec veniat hic ad tantam magnitudinem, qua maior esse non possit.* Quod etiam ratione probant, quia alias purus homo posset peruenire, ad tantam gratiam, & Charitatem quantam habuit Christus: imò, & ad maiorem, quia gratia, & Charitas Christi fuit finita, vt diximus tract. de incarnat. disput. 7. difficult. 4.

Nihilominus Catholici conueniunt hominem in hac vita semper posse proficere in gratia, & Charitate, quod definiuit Clemens V. in Concilio Viennensi, & refertur in Clementina ad *nostrum* de hæreticis: & significatur in Scriptura dum in ea excitamur ad augmentum perfectionis, & Charitatis, Ecclesiastici 18. *Ne verearis vsque ad mortem iustificari.* Et ad Philip. 3. *Quæ retro sunt obliuiscens, ad ea, quæ priora sunt extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis in Christo Iesu. Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus;* & Apocal. vltimo. *Qui iustus est, iustificetur adhuc.* Quod etiam aperte docet Augustin. serm. 15. de verbis Apostoli sub finem. In Enchirid. autẽ capit. illo 121. vbi indicare videtur Charitatem posse ad tantam perfectionem peruenire vt maior esse non possit, loquitur de perfectione extrinseca quoad ostensionem videlicet, seu quo ad

ex-

exhibitionem operis externi, quando scilicet omnia, etiam vitam, propter Deum contemnimus, iuxta illud Ioann. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.*

Et ratione Theologica constat, quia nullus est purus viator, qui quantumuis perfectissimus, sit non possit amplius, & amplius bene operari, & Sacramenta recipere si ei non deficiant auxilia diuina, quæ nulli, quia perfectissimus sit, deficiēt, bonis autē operibus in statu iustitię factis, & Sacramētis in eo receptis, sanctitas, & Charitas crescit, ergo nullus est viator, qui ex eo quod perfectissimus sit, non possit amplius crescere, etiamsi aliquando nequeat ex defectu auxilio rum, quia aliquando pro vltima vitæ periodo non conferantur auxilia, quia non semper conferuntur vsq; ad instās mortis, accretio tamen, seu intensio gratiæ, & Charitatis ad quā lege ordinaria peruenire potest, est finita, quam nō excedet, etiamsi non raro posset excitatus diuinis auxilijs sufficientibus, quibus non respondet.

Habitui ergo infuso Charitatis in quolibet iusto præfixus est lege Dei aliquis terminus in hac vita, quem iustus non excedet, etiamsi aliquando possit antecedenter excedere.

Ad rationem autem Begardorum, & Beguinarum Respondemus, quod etiamsi de potentia Dei absoluta ab omni lege, & decreto purus viator posset ad tantam gratiam habitualem, & Charitatem, quantam habuit Christus, imò, & ad maiorem, peruenire, vt diximus tract. de Incarnat. disp. 7. dif. 6. Nihilominus suppositā breuitate vitæ, & suppositis limitatis auxilijs, quæ de facto Deus confert puris viatoribus, nullus quantumuis continue crescat in gratia, & Charitate perueniet, nec peruenire poterit ad tantam, quantam habuit Christus, vt ibidem diximus: imò nec ad tantam, quā tam habuit Beatissima Virgo.

DIFFICVLTAS XII.

Vtrum habitus infusus Charitatis possit minui quoad intensionem?

CONVENIVNT Theologi, habitum infusum Charitatis posse de potentia Dei absoluta minui quoad inten-

sionem

sionem, seu remitti, sicut etiam potest ab ipso augeri quo ad intensionem, seu intēdi; quia habitus iste habet suos gradus intensionis, ex quibus Deus potest aliquos corrumpere, & reliquos conseruare.

Est ergo difficultas, an de facto minuatur, seu remittatur circa quam conueniunt Theologi non minui per peccata mortalia, quia per hæc, omnino corrumpitur, siue physice, siue moraliter de quo postea.

Punctū ergo difficultatis in eo est, an habitus infusus Charitatis minuatur, seu remittatur defacto per peccata venialia.

Glos. in can. *tres sunt* de pœnitentia d. 1. & Dionis. Carthusianus in 1. dist. 17. q. 9. partē affirmatiuā tuentur: quam Victoria in relectione de augmento Charitatis p. 2. probabilē existimat; & id significare videntur Aug. ser. 41. de Sanctis, & Greg. p. 3. Pastor. admonit. 34. dum plura peccata venialia cōparant pluribus guttis, aut arenis implentibus, ac mergē tibus nauim. Et indicari videtur Eccles. 19. dum dicitur. Qui *spernit modica paulatim decidet*. Nempè *ex gratia, & Charitate Dei*. Et Apoc. 2. dū accusatur Episcopus Ephes & admonetur quod sit memor vnde exciderit quod dictum videtur de casu ab intensione Charitatis.

Et ratione probatur quia quilibet actus bonus iusti quāuis leuis auget habitum infusum Charitatis, vt diximus dif. 8. Ergo quilibet actus malus illius, quamuis leuis, seu venialis diminuet habitum infusum Charitatis, quia contrariorum eadem est ratio.

S. Th. 2. 2. q. 24. art. 10. & ibidē eius interpretes, & cōmuniter scholastici in 1. dist. 17. partem negatiuam tradunt, & merito, quia peccata venialia non diminuunt habitum infusum Charitatis, & gratiæ physicè, quia physicè non opponūtur illi, quia habens peccatum veniale potest habere habitū infusū Charitatis, & gratiæ, & in eo amplius, & amplius crescere absq; destructione illius venialis: nec illum diminuunt moraliter, seu demeritorie, quia diminutio dicti habitus est pœna excedens culpas veniales, quia dictus habitus est ius ad gloriam, ergo Deus, qui non punit vltra condignum, non diminuit dictum habitum ob peccata venialia. Et confirmatur, quia si peccata venialia diminuerent habitū infusum

Cha-

Charitatis, & gratiæ, tandem illũ omnino destrueret quod est absurdum, antecedens autem constat in primis, à simili in alijs qualitatibus, quæ si à contrario remittuntur possunt ab eo tandem destrui: deinde quia habitus infusus gratiæ, & Charitatis est finitus quoad gradus aliquotos, seu determinatos, ergo si per quodlibet peccatum veniale auferetur aliquis gradus determinatus qualis auferri debet per peccatũ veniale, si per illud aliquid auferetur, quia est malum determinatum, tandem per aliquod peccatum veniale poterit omnino corrumpi.

Quod si respondeas peccatũ illud aliàs veniale, quo omnino destrueretur habitus gratiæ, & Charitatis fieri mortale, quia priuat hominem omni gratia, & vita animæ, ac proinde sola peccata venialia non destruere omnino habitum gratiæ, & Charitatis. Contra responsionem est, quod si illud peccatum alias est veniale non fieret mortale, quia priuaret omni gratia, quia esse in gratia saltem extra articulum mortis non est sub præcepto, ac proinde peccatum alias veniale non fieret mortale ex eo quod omnino destrueret gratiam, quia ex eo non fieret aliquid contra præceptum: & quamuis fieret mortale non destrueret gratiam ratione malitiæ grauis, sed ratione malitiæ leuis, quam alias ex obiecto, aut aliũde haberet, quia ratione huius destrueret, & quia destrueret, ab hac destructione tanquam ab effectu acciperet malitiam granem, vnde malitia veniali, seu leui, omnino destrueretur gratia, quod est absurdum. Accedit quod iustus quolibet peccato alias veniali peccaret mortaliter, quia iustus ignorat, an habeat maiorem gratiam, quam per vnum veniale possit omnino destrui, ac proinde quolibet peccato veniali se exponeret periculo amittendi omnem gratiam, quo peccaret mortaliter.

Augustinus verò, & Gregorius vbi supra dum plura peccata venialia comparant pluribus guttis implentibus, & mergentibus nauim, tantum significant quod sicut plures guttæ implent formaliter nauim, & eam formaliter, aut potius efficienter mergunt, ita etiam plura peccata venialia nos mergunt, & occidunt spiritualiter non formaliter, nec efficienter, sed dispositiue (quamuis non infallibiliter) quia

dispo-

disponunt ad mortale (quamuis non infallibiliter) quo anima formaliter mergitur, & occiditur. Quomodo autem disponãt ad mortale dicimus tractatu de peccatis, disp 9. dif. 4 & eodem modo intelligitur illud Ecclesiastici 19. *Qui spernit modica paulatim decidet.* Et in altero testimonio Apoc. 2. est sermo de casu non ab intensione Charitatis, sed à feruore qui impeditur venialibus.

Et ad rationem concedimus antecedens, & negamus consequentiam, est enim dispar ratio inter opus bonum iusti, & inter peccatum veniale, siue iusti, siue peccatoris, quia quodlibet opus bonum iusti, vtpote obsequium Filij Dei, est dignum augmenti gloriæ, ac proinde etiam gratiæ, & Charitatis, quæ est ius ad gloriam. Peccatũ verò veniale ex eo quod sit iusti non eleuatur ad dignitatem altioris pœnæ, nempè diminutionis habitus gratiæ, & Charitatis, quia nunquam est, nec fit dignum tanta pœna, diminutione videlicet iuris ad gloriam, & ipsius gloriæ.

DIFFICVLTAS XIII.

Vtrum habitus infusus Charitatis possit amitti?

IOVINIANVS, Vt refert Hieronymus lib. 1. contra ipsum Iouinianum, cap. 2. errauit docens, iustitiã, & Charitatem numquam amitti, quem secutus est Caluinus lib. 3. instit. cap. 2. § 11. quod indicari videtur in variis Scripturæ testimonijs. Cantic. 8. *Aquæ multæ non poterunt extinguere Charitatem.* Ioan. 10. *Oues meæ vocem meam audiunt, & nemo rapiet eas de manu Patris mei.* Ad Rom. 8. *Certus sum quia, nec mors neque vita, nec creatura alia poterit nos separare a Charitate Dei,* 1. ad Cor. 13. *Charitas nunquam excidit,* 1. Ioan. 3. *Qui natus est ex Deo non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.*

Conueniunt tamen Catholici gratiã, & Charitatem posse amitti, & de facto amitti per peccatum mortale, quod diffinitur in Trident. sess. 6. cap. 15. & 16. & can. 23. & idem supponitur cap. 14. & significatur Ezechiel. 18. *Cum auerterit*

si iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem morietur in illa. Ad Galat. 5. *Euacuati estis à Christo, à gratia excidistis.* Et ad Hebræos 6. *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, & participes facti sunt Spiritus Sancti, & prolapsi sunt.* Et in Scriptura supponitur, id contigisse multis, nempè Adamo, Dauidi, Salomoni, Iudæ, Petro, & alijs, qui aliquando fuerunt iusti, & postea ceciderunt à iustitia, & Charitate.

In eo ergo testimonio Cantic. 8. adducto pro Iouiniano, & Caluino, tantum significatur efficaciam Charitatis esse tantam, vt nullæ tribulationes eam possint destruere si eam habens non succumbat libere. Et in testimonio Ioan. 10. sermo est de prædestinatis quos Deus ita fouet auxilio gratiæ suæ, vt tandem sint saluandi, quod non tollit eos antecedenter posse amittere gratiam, & Charitatem, & damnari. Et in testimonio ad Roman. 8. idem fere continetur sensus quod scilicet prædestinati non possint consequenter separari à Charitate Christi, quamuis possint antecedenter quantum est ex parte ipsorum. Et in eo testimonio 1. ad Cor. 13. tantum significatur Charitatem etiam in statu Beatitudinis perseuerare, & non Fidē nec Spem. Et in eo testimonio 1. Ioan. 13. tantum continetur sensus compositus, quasi Ioannes dicat iustum dum perseuerat iustus, non posse peccare mortaliter, quia quolibet peccato mortali amittitur iustitia, & Charitas.

DIFFICVLTAS XIV.

Vtrum habitus infusus Charitatis destruatur quolibet peccato mortali?

MICHAEL Bains damnatus in Bulla Pij V. & Gregorij XIII. docuit gratiam, seu Charitatem posse esse simul cum peccato mortali: & Lutherus, tantum amitti peccato quo quis non credit certo se esse iustum.

Catholici tamen conueniunt, gratiam, seu Charitatem destrui quolibet peccato mortali, quod diffinit Tridentina sess. 6. c. 13. & Can. 27. & oppositus error damnatur, in Bulla dicta. Et id significatur Iacobi 2. dum dicitur: *Quicumque*

totam legem seruauerit, offendat autem in vno factus est, omnium reus, id est, absolute, & simpliciter fit transgressor legis, & consequenter inimicus Deo, & dignus æterno supplicio. Et 1. ad Corint. 6. dum exclusio à Regno cœlorum tribuitur cuilibet ex varijs criminibus, quæ ibi assignantur, reliquorum autem est eadem ratio, & id amplius constabit ex dicendis difficultate sequenti.

DIFFICVLTAS XV.

Quomodo habitus infusus Charitatis expellatur per peccatum mortale?

CONVENIVNT Theologi, habitum gratiæ, & Charitatis, moraliter, seu demeritorie expelli per peccatum mortale, quia peccatum mortale, vt potè offensiuum grauiter Dei dignum est destructione gratiæ, & Charitatis, quæ efficit Dei amicum, & ipsi charum.

Est tamen difficultas an etiam expellatur physicè, seu ex natura rei.

Bonau. in 3. d. 31. art. 1. q. 1. Dur. q. 1. Lorca sect. 3. disp. 22. A Egid. disp. 22. dub. Adamus quæst. 2. dub. 6. & Becan. cap. 22 quæst. 6. Partem negatiuam tuentur, quia ratio formalis peccati est moralis: imò & rationis, ergo nequit physicè, & à parte rei expellere gratiam, & Charitatem, sed tantum moraliter, & demeritoriè: & confirmatur, quia peccatũ mortale, & veniale sæpe sunt eiusdem speciei, & rationis in esse naturæ, & in esse malitiæ, vt contingit in peccato mortali, & veniali furti, sed peccatum veniale non expellit gratiã, & Charitatem ex natura rei, ergo nec mortale.

Caiet. ver. & Aragon quæst. 34. art. 2. Turrianus disp. 7. dub. 4. Granado tract. 4. disp. 3. Medina & Zumel. 1. 2. q. 113. art. 2. & Vaz. disp. 91. & 204. partem affirmatiuam tradunt, & meritò, quia gratia, seu Charitas sua natura efficit iustũ, & amicũ Dei, vt late dicitur in tractatu de gratia, & peccatũ mortale suapte natura efficit iniustũ, & inimicũ Dei, impossibile autẽ est aliquẽ esse simul iustũ, & iniustum, amicum, & inimicũ Dei, quia quodammodo inuoluunt contradictionẽ

sicut effectus formales quos præstant modus existendi per se, & modus existendi in alio, & relatio æqualitatis, & relatio inæqualitatis respectu eiusdem, ergo gratia seu Charitas, & peccatum mortale sua natura, seu physicè pugnant, & sunt incompossibilia, ergo gratia, seu Charitas ex natura rei, seu physicè expellitur per peccatum mortale, & è contra peccatum mortale per gratiam, seu Charitatem.

Ita tamen gratia, seu Charitas expellitur ex natura rei per peccatum mortale, vt non expellatur efficienter, seu in genere causæ efficientis per illud, quia peccatum mortale non producit efficienter aliquid, quo expellat gratiam, seu Charitatem, sed tantum expellitur formaliter, seu in genere causæ formalis per illud, quia tantum expellit illam, quia est incompossibile formaliter cum illa in eodem subiecto: ipse tamen peccator suo peccato mortali expellit illam efficienter, quia peccatum mortale quo expellitur formaliter est effectus, aut effecto ipsius peccatoris tanquam efficientis, si peccatum est commissionis, aut quasi efficientis si peccatum est omissionis.

Ad rationem ergo aduersariorũ concedimus rationẽ formalem peccati esse moralem, imò & rationis, negamus tamẽ peccatũ mortale, seu graue non expellere physicè, & à parte rei gratiã, seu Charitatem, quia non expellit media ratione formali peccati, sed medio fundameto ipsius rationis formalis, seu media malitia fundamentali, nẽpè medio actu cõtra rationẽ aduertenter facto (nomine actus etiã cõprehendendo omissionẽ) quia medio isto fit quis formaliter obiectũ displicentiæ Dei, ipsi inimicus, & iniustus, vt dicimus tract. de peccatis, disp. 1. dif. 5. & ad confirmationẽ concedimus, peccatum mortale, & veniale sæpè esse eiusdem speciei, & concedimus peccatũ veniale, non expellere ex natura rei (imò nec demeritorie) gratiã, seu Charitatẽ; negamus tamen peccatũ mortale non expellere illã ex natura rei, ob discrimen inter mortale, & veniale, quia mortale ob sui grauitatem fundamentalem, est forma efficiens Deo inimicũ, & iniustũ, qualis non est peccatũ veniale, quamuis eiusdem speciei cũ mortali, & ideo mortale est ex natura rei incõpossibile cũ gratia, & Charitate, & eã expellit, & non peccatum veniale.

Quod

Quod autem peccatum mortale sit forma physicè, seu ex natura rei expellens gratiam, & Charitatem non obstat, vt etiam eam expellat demeritorie (sicut in principio difficultatis diximus expellere) quia quod sit talis forma, non tollit quod sit actio libera grauiter offensiua Dei, quæ eo ipso est demeritoria conseruationis cuiuscumque boni à Deo facti, præsertim gratiæ, & Charitatis efficientis formaliter amicum, & charum Deo.

DIFFICVLTAS XVI.

Vtrum peccatum mortale possit esse simul cum habitu Charitatis, & gratia?

CONVENIVNT Theologi (contra Michaelem Baium damnatum in Bulla Pij V. & Gregorij XIII. contra eũ edita) peccatum mortale de facto non esse, & ex lege ordinaria non posse esse simul tempore cũ gratia, & Charitate; quod satis significat Trid. sess. 6. c. 7. dũ iustificationẽ tribuit Charitati, & ait: iustificationẽ esse remissionẽ peccati, & sanctificationẽ esse renouationẽ interiorem. Et id significatur in scriptura dum in eadicitur: quod diligens Deum diligetur ab ipso, si autem diligens Deum perseueraret in peccato mortali non diligeretur à Deo.

Est tamen difficult. 1. an peccatum mortale & gratia, seu Charitas possint ex lege ordinaria esse, & de facto sint simul in eodem instanti temporis.

Lorca 1. 2. sect. 6. disp. 40. & 2. 2. sect. 6. disp. 22. docet de facto peccatum mortale, & gratiam, seu Charitatem esse simul in eodem instanti temporis, quia prius est hominẽ peccare mortaliter, quàm spoliari gratia, & Charitate, quia peccatum mortale est causa physica, & etiam moralis ipsius spoliationis gratiæ, & ipsa spoliatio est effectus formalis physicus, & etiam moralis efficiens, quia spoliatio illius est in pœnam ipsius peccati mortalis, causa autem physica formalis, & causa moralis efficiens prior est quam effectus, ergo peccatum mortale prius est in anima quam quod spolietur gratia, ergo pro instanti, in quo fit, aut consummatur peccatum mortale sunt simul gratia, & ipsum mortale.

Reliqui verò Theologi, dum absolutè docent peccatum mortale, non esse, nec ex lege ordinaria posse esse simul cum gratia, & Charitate, significant non esse, nec ex lege ordinaria posse esse simul in eodem instanti temporis cum gratia, & Charitete, & id exprimunt Turrian. disp. 72. dub. 6. & Lessius disp. 22. dub. 11. & meritò quia ex vna parte peccatum mortale & gratia, seu Charitas vere opponuntur, & sunt incomposibilia, imò non tantum demeritoriè, sed etiâ physicè, & ex natura rei, vt diximus dif. 15. & ex altera parte vt vnum oppositum expellat alterum, sufficit, quod expellens existat in eodē subiecto, absq; eo quod sit necessariū quod pręexistat in instāti, aut in duratione, sicut agens vt agat, & producat non est necessariū quod pręexistat in instanti, aut in duratione ante effectū: sol enim, in eodem instanti in quo est producit lumen, & lumen productū in instanti in quo est expellit tenebras, absq; eo quod sit necessarium quod sol præexistat ante lumen in instanti lumen ante tenebras, ergo peccatum mortale non est, nec ex lege ordinaria esse potest in eodem instanti cum gratia, & Charitate in eodem subiecto.

Ad rationem ergo Lorcæ respondemus concedendo peccatum mortale esse causam formalem physicam, & efficientē moralem expulsionis gratiæ, & Charitatis, & expulsionem ipsam, esse effectum illius: ex eo tamen solum fit peccatum mortale esse prius natura, quam dictam expulsionem, non tamen præexistere in instanti, sed potius esse in eodem cum ipsa expulsione, quia causa, & effectus possunt esse simul in eadem duratione, & in eodem instanti, quamuis causa semper sit prius natura, quā effectus, quia esse prius natura aliquo, nihil aliud est quam esse id à quo illud aliquid dependet.

Secundò est difficultas, an peccatum mortale de potentia absoluta possit esse cum gratia, seu Charitate.

Scot. in 4. d. 16. q. 2. Gab. d. 14. Ocham. q. 3. Soar. tom. 4. in 3. part. disp. 9 & Ægid. disp. 21. dub. 8. partem affirmatiuam tuentur, quia peccatum mortale non expellit physicè, & ex natura rei gratiam, seu Charitatem, sed tantum demeritoriè, ergo Deus pro sua voluntate potest conseruare gratiam, & Charitatem quamuis adueniat peccatum mortale; imò quamuis peccatū mortale physicē, & ex natura rei ex-

pellat

pellat gratiam, seu Charitatem poterunt esse simul de potentia Dei absoluta, quia etiam calor vt octo expellit ex natura rei frigus, & è contra, & tamen de potentia Dei absoluta possunt esse simul.

Aureolus verò in 1.d.17.q.1.art.2. Capreol.art.3. Turr. disp.72.dub.6.& Vazq.1.2.disp.204.partem negatiuã tradunt, & meritò, quia ex vna parte peccatũ mortale physicè, & ex natura rei est incompossibile cum gratia, seu Charitate, & ex altera Deus nulla potentia potest efficere, nec conseruare peccatum mortale, ergo peccatum mortale adhuc de potentia Dei absoluta, nequit esse simul cũ gratia, & Charitate: consequẽtia patet, quia vt esset simul necessariũ erat, aut quod peccatum mortale adueniens gratiæ præexistenti introducatur à Deo, quia ipsũ sua naturâ nequit introduci, nec â creatura perseuerante gratia, aut quod peccatũ mortale præexistens ante aduentum gratiæ conseruetur â Deo, adueniente gratia, quia ipsum ex se nequit conseruari nec â creatura adueniente gratica, in quo peccatum mortale, & gratia ex vna parte differunt â calore, & frigore ex altera, vt hæc possint esse simul de potentia Dei absoluta: quamuis ex natura rei sint incompossibilia, & nõ possint peccatũ mortale, & gratia, quia scilicet Deus potest producere, & cõseruare calorem, & frigus non vero peccatũ mortale, quamuis possit gratiam, ex quo constat ad posteriorem partem rationis aduersariorum: & ad priorem constat, eius antecedens esse falsum nempe peccatum mortale non expellere physicè, & ex natura rei gratiam, seu Charitatem.

DISPVTATIO III.

De obiecto Charitatis.

QVAMVIS Nomine Charitatis in hac disputatione comprehendamus actum, & habitum, præcipue tamẽ intelligimus actum, quia ipsi soli conuenit immediate habere obiectum: habitui vero ratione ipsius actus, ex eo quod habitus est principium actus.

Obiectum autem actus, & habitus voluntatis est duplex alterum formale, seu *quo* nempe motiuum formale, ob quod diligitur obiectum materiale: alterũ materiale nẽpe, id quod diligitur actu ipso volũtatis, & obiectũ materiale est duplex: alterũ *cui*, nempè persona *cui* concupiscimus bonũ, siue ex beneuolentia ipsius, siue ex beneuolentia alterius personæ, & alterũ *quod* nempe bonũ ipsum quod personæ concupiscimus, & sicut in actu voluntatis est duplex respectus, alter beneuolentiæ ad personam, cui ex beneuolentia, concupiscimus bonum, & alter concupiscentiæ ad bonum concupitum personæ, ita etiã in eo est duplex obiectum materiale, & duplex obiectum formale, seu motiuum, quia idem actus voluntatis prout habet rationem beneuolẽtiæ habet pro obiecto materiali personam beneuole dilectã, & pro formali bonitatem ipsius personæ: & prout habet rationem cõcupiscentiæ, habet pro obiecto materiali rem ipsam personæ concupitã, & pro formali bonitatẽ ipsius rei: ideo enim beneuole diligimus personam quia est bona, & ideo concupiscimus illi rẽ aliquã, quia ea est ei bona: obiecto verò materiali *cui*, quod non diligitur beneuole, vt quando homini concupiscimus aliquod bonum, quia homo est aliquid Dei, ob bonitatem Dei non correspondet aliquod proprium motiuum, seu obiectum formale, sed tantum illud quod est proprium personæ, ob cuius bonitatem ei aliquid concupiscimus, vt in exẽplo adducto obiectum formale correspondens homini est, non bonitas ipsius hominis, sed bonitas Dei, ob quam ipsi homini concupiscimus bonum.

DIFFICVLTAS I.

Quod sit obiectum formale Charitatis?

CONVENIVNT Theologi Deum, vt summe bonum, seu perfectum in se, seu integrum non defectuosum in ratione entis, & quasi physicè, seu summam Dei bonitatem, & perfectionem, & integritatem in ratione entis, & quasi physicam coalescentem ex omni ratione entis tam absoluta quã relatiua, qua Deus est summe perfectus in se, & integer nõ defectuosus quasi physice, esse motiuũ, seu obiectũ formale Charitatis Theologicę, quia Charitate Theologica

dili-

diligimus Deum, non vt nobis bonum, seu amore concupiscentiæ, sed amore beneuolentiæ, & vt in se bonum, seu perfectum, seu integrum, & propter ipsum: summa ergo Dei bonitas, seu integritas est obiectum formale, seu motiuũ Charitatis Theologicæ, non summa bonitas, vt ea est nobis bonus, quia vt sic est motiuum, seu obiectum formale amoris cõcupiscentiæ, sed vt ea est in se summe bonus & perfectus, & integer physice omni ratione entis in eo reperta, tàm absoluta quàm relatiua; non quod omnis ratio in Deo reperta semper expressè concepta moueat ad amorem Dei, quia rarò aut nunquam id contingit, sed in confuso concepta, vt scilicet est integritas, & perfectio Dei, à qua Deus est in se perfectus Deus, seu qua Deus Hispane, *Es lo que es.*

Non negamus actum virtutis gratitudinis elicitum ob beneficia à Deo accepta posse extrinsecè imperare actum Charitatis Theologicæ erga Deum (sicut actus Charitatis potest imperare actum martyrij, qui est virtutis fortitudinis) beneficia tamen à Deo accepta non sunt motiuum immediatum, & quasi intrisecum actus Charitatis Theologicæ, de quo disputamus, sed tantum dicta bonitas quasi physica Dei, est autem hæc bonitas Dei motiuum, seu obiectum formale actus Charitatis Theologicæ, vt actus iste habet rationem beneuolentiæ respectu Dei, quæ in ipso actu, est secundum rationem nostram principalior, & vltima, & constitutiua illius: motiuum verò eiusdem actus, vt habet rationem concupiscentiæ est bonitas rei quam Deo, siue mediate, siue immediate concupiscimus, quia bonitate ipsius rei mouemur ad eam concupiscendam Deo, quem beneuole diligimus: vnde in quocumque actu Charitatis Theologicæ est duplex motiuum, seu obiectum formale, sicut in eo est duplex respectus, alter beneuolentiæ respectu Dei, & alter concupiscentiæ respectu rei volitæ. Ita tamen bonitas diuina est obiectum formale Charitatis Theologicæ, vt habet rationem beneuolentiæ, quæ in actu ipsius, est vltima, & constitutiua, vt ipsa sola sit obiectum formale, quia Charitate Theologica solus Deus diligitur dilectione beneuolẽtiæ, ad quam sola bonitas diuina absque consortio alterius mouere potest.

Ita

Ita tamen bonitas physica Dei coalescens ex omni ratione entis in Deo reperta, tàm absoluta, quàm relativa; qua Deus est in se physicè integer perfectus, seu cõpletus, & physice bonus, non defectuosus, est obiectum formale, seu motiuum actus Charitatis (& mediate etiam ipsius habitus) vt nulla ratio Dei seorsim, verbi gratia, omnipotentia, aut veracitas sit obiectum formale sufficiens illius, quia quamuis quælibet ratio Dei iuuet nostro modo concipiendi ad bonitatem, seu integritatem physicam. Dei, & ideo quælibet possit dici perfectio, quasi partialis, nulla tamen est integritas, seu bonitas Dei, qua Deus sit physice integer & perfectus, seu quasi completus, & bonus non defectuosus, actus autem Charitatis, seu beneuolentiæ Dei, quo Deus beneuole diligitur est ob bonitatem physicam, seu ob perfectionem, seu quasi completionem physicam Dei, Hispane: *Por quien Dios es, ò por lo que Dios es*: & non est ob quamlibet rationem seorsim ad id conducentem, imò nec ob omnes aliàs vna defficiente, quia Deus vna ratione deficiente non esset physice bonus, sed malus, seu defectuosus: omnipotentia enim diuina absque alijs non mouet ad beneuole diligendum Deum, sed ad sperandum aliquod donum ab ipso, & veracitas diuina non mouet ad beneuole diligendum Deum, sed ad credendum ei loquenti.

DIFFICVLTAS II.

Quod sit obiectum materiale Charitatis Theologicæ?

CONVENIVNT Theologi obiectum materiale Charitatis Theologicæ esse id, quod actu ipsius, & ob diuinam bonitatem diligitur, nempe res quam concupiscimus personæ, & persona ipsa, cui rem illam concupiscimus, vt quando Deo concupiscimus honorem ex complacentia ipsius Dei, tunc honor concupitus est obiectum materiale dicti actus Charitatis, & Deus ipse: honor obiectum mate-

riale

riale, *quod* & Deus obiectum materiale, *cui*: & quando proximo concupiſcimus rectam vitam, quia proximus eſt factura Dei ex complacentia Dei, recta vita eſt obiectum materiale huius actus, & proximus ipſe; recta vita obiectũ materiale, *quod* & proximus obiectum maie *cui*.

Vnde in quocumque actu Charitatis Theologicæ (ſicut in quocumque alio actu voluntatis) eſt duplex obiectum materiale: alterum ipſe Deus, cui benevole concupiſcimus aliquid, ſiue in ſe, ſiue in proximo: eſt enim Deus obiectum materiale, *cui*, ipſius actus Charitatis Theologicæ, vt habet rationẽ beneuolentiæ, & bonũ Deo concupitũ, ſiue cõcupitũ Deo in ſeipſo, ſiue in proximo eſt obiectũ materiale, *quod* ipſius actus Charitatis, vt habet rationem concupiſcentiæ; & quando bonum concupiſcitur Deo in proximo, vt quando immediatè concupiſcitur proximo, quia proximus eſt aliquid Dei, etiam proximus eſt obiectum materiale *cui* non formaliter, ſicut eſt Deus, ſed materialiter, quia ei concupiſcitur, non ob ſuam bonitatem, ſed ob bonitatem Dei.

Obiectum ergo materiale Charitatis Theologicæ, eſt Deus, & quæcumque creatura; Deus obiectum materiale *cui*, quia ipſe ob ſuam bonitatem beneuole diligitur ei aliquid concupiſcendo: & creatura quæcumque illa ſit, ſiue rationalis, adhuc peccatrix, & damnata, ſiue irrationalis tàm ſubſtantialis adhuc proprium corpus, quàm accidentalis, adhuc ipſa Charitas, eſt, aut eſſe poteſt obiectum materiale *quod*, quia exiſtentia cuiuſcumque creaturæ poteſt concupiſci Deo, ſeu in obſequium ipſius, quia eſſe, ſeu exiſtentia cuiuſcũq; cedit in gloriã Dei: imò creatura ſatẽ rationalis etiam eſt, aut eſſe poteſt obiectum materiale *cui*, quamuis tantum materialiter, quia ei poteſt concupiſci aliquod bonum ob bonitatem Dei, quia creatura rationalis eſt aliquid Dei, & ideo bonum illud, eo ipſo quaſi concupiſcitur Deo. Deus ergo non eſt obiectum materiale adæquatum Charitatis Theologicæ, ſed in adæquatum, principale tamen, ſeu primarium: & Deus, & quæcumque creatura eſt obiectum adæquatum illius.

Vnde proximus poteſt diligi Charitate Theologica, in

quo

quo Doctores conueniunt, & quia esse proximi potest cedere in gloriam Dei, ac proinde potest amari ob bonitatem Dei, ex complacentia ipsius Dei, & quia proximus est aliquid Dei, ac proinde bonum proximi, est quodammodo bonum Dei, & illud potest amari proximo ob bonitatem Dei, ex complacentia Dei: vtrouis autem titulo, & modo dilectus proximus diligitur Charitate Theologica, quia diligitur amore, quo Deus beneuole, & amicabiliter diligitur, qui est Charitatis Theologicæ.

At quando amatur proximo bonum aliquod ex complacentia ipsius, hic amor proximi non pertinet ad Charitatem Theologicam, quia non habet pro obiecto formali, seu motiuo bonitatem Dei in se, sed pertinet ad aliam virtutem inferiorem, seu inferioris speciei, quia habet pro obiecto formali, seu motiuo bonitatem creatam ipsius proximi, quæ est infinite inferior bonitate increata Dei: quæ virtus erga proximum potest dici Charitas erga proximum, & beneficentia, quod etiam contingit in adoratione, qua adoramus sanctos, qui si adorentur, quia sunt aliquid Dei, ob excellentiam Dei, talis adoratio pertinet ad religionem, qua adoratur Deus, quia dicta adoratione Deus adoratur in sanctis. Si verò adorentur ob propriam sanctitatem, & excellentiam, vt est propria ipsorum, talis adoratio pertinet ad virtutem obseruantiæ sacræ, quæ est inferior religione, vt diximus tractatu de Incarnat. disput. 20. d. sic. 8. sicut excellentia propria sanctorum vtpotè creata, & finita, est infinite inferior, quam excellentia Dei, vtpotè increata, & infinita.

(.?.)

DISPVT. IIII.

De præceptis Charitatis.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm sit speciale præceptum diligendi Deum?

SVPPONIMVS Esse præceptum diligendi Deũ, vt constat ex illo Deuteronom. 6. *Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*, quod etiam refertur Matth. 22. & additu: *Hoc est maximum, & primum mandatum.*

Hoc ergo supposito, circa difficultatẽ conueniunt. Doctores esse speciale præceptum negatiuum, non habendi odio Deum, quod est præceptum Charitatis Theologicæ: & est naturale, & diuinum: & etiam esse præceptum generale diligendi Deum sumpta dilectione, non pro affectu beneuolentiæ erga Deũ, quæ dicitur affectiua, sed sumpta pro effectu ipsius affectus beneuolentiæ, nempẽ pro obseruatione mandatorũ, quę ex se est placita Deo, & dicitur dilectio actiua, seu operũ, in quo sensu sumitur Ioan. 14. *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me*: & ad Roman. 13. *Plenitudo legis est dilectio.*

Est tamen difficultas, an etiam sit præceptum speciale affirmatiuum diligendi Deum dilectione affectiua Charitatis Theologicæ?

Expositores sancti Thomæ quæst. 44. Soar. disp. 5. sect. 1. Vazq. de pœnitentia, q. 90. art. 1. dub. 4. Lorca disput. 57. & Ægid. disp. 24. dub. 2. quibus fauet sanctus Thomas art. 2. partem affirmatiuam tuentur: quod significare videtur Christus Matth. 22. dum de præcepto diligendi Deum tradito Deuter. 6. dixit esse maximum, & primum mandatum,

quod

quod non esset verum, si non esset speciale & distinctum præceptum à reliquis, quia maximum & primum est in ordine ad reliqua.

Auctores tamen huius sententiæ non conueniunt in assignando tempus, pro quo dictum præceptum obliget, quia alij dicunt obligare pro primo instanti, vsus rationis perfecti: alij pro initio morali vsus rationis perfecti: alij pro diebus festis: alij semel in vita pro tempore ad arbitrium ipsius diligentis: alij semel pro quolibet anno: alij pro tempore, in quo adultus baptizatur: alij pro tempore, in quo sumitur Eucharistia: alij pro tempore quo quis subiturus est martyrium, aut aggressurus est opus aliud bonum difficile: alij pro tempore, in quo quis aliquod magnum beneficium à Deo recipit: alij pro tempore, in quo quis audit aliquem blasphemantem contra Deum, & alij pro articulo mortis.

Maldonatus verò in Matth. 22. versu 39. Iansenius in concordia Euangelica cap. 81. & Ioannes Sanctius disput. 1. num. 21. partem negatiuam, & non absque probabilitate tradunt, quibus maximè fauet Sanctus Thomas quæst. 44. art. 1. ad 3. & art. 4. ad 2. nec eis contrariatur in art. 2. quia in eo tantum intendit præcepta dilectionis Dei, & dilectionis proximi tradi, quasi specialia ob vulgus non percipiens ea esse inclusa in alijs præceptis, & non minus fauet Bernar. serm. 50. in Cantica, in illa verba: *Ordinauit in me Charitatē*: dum ait: *Est Charitas in actu est etiam in affectu, & de illa, quæ operis est putò datā esse legem hominibus, mandatique firmatum*, & id significatur Ioann. 14. & ad Roman. 13. dum dicitur, quod obseruatia mandatorum est dilectio Dei, quia eo ipso significatur præcepto diligendi Deum vbicumque traddito tantum præcipi dilectionem actiuam, seu obseruatiuam mandatorū, quæ ex se est Deo placens, seu quod idem est præceptum diligendi Deum, non distingui à collectione præceptorum operū. Et confirmatur quia nullo fundamento cogimur admittere dictum præceptum speciale affirmatiuum dilectionis beneuolentiæ Dei ob ipsum actum dilectionis in eo sistendo, quia si aliquo, maximè verbis quibus Deut. 6. traditur præceptum dilectionis Dei, & quibus refertur Matth. 22. & Lucæ 6. eis tamen non cogimur ad id,

quia

quia eis satisfit dilectione actiua operum, seu obseruantia præceptorũ aliorum operum, quia Deus actiue diligitur, quia id non incongruit contextui dicti cap. 6. Deut. quia in eo est sermo, & sæpè repetitus, de obseruantia omnium mandatorũ Dei, nullius alius operis præcepti mentione facta, nisi dilectionis Dei, quo denotatur prædictis verbis, præcepti dilectionis, tantum præcipi dilectionem actiuam, seu obseruãtiã omnium præceptorũ: nec id incongruit contextui Matt. 22. vbi dictũ præceptũ dilectionis Dei, & præceptũ dilectionis proximi referuntur; dum post eorum relationẽ subditur: *In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ*: quasi Christus dicat, tota lex reducitur ad opera præcepta in seruitiũ Dei, & in gratiam proximi, seu quasi dicat, in tota lege non sunt alia præcepta, nisi operum cedentium in seruitium Dei, & in gratiã proximi, & ideo præcetum dilectionis Dei, dicitur à Christo Matth. 22. maximum, quia scilicet est Compendium omnium præceptorũ, quia omnia etiam, quæ traduntur in fauorem proximi, traduntur in obsequiũ, & seruitium Dei: & præceptũ dilectionis proximi dicitur simile præcepto dilectionis Dei, quia etiam est Compendiũ aliorum (quamuis non omnium) eorum videlicet, quæ traduntur in gratiam proximi: & præceptum dilectionis Dei, dicitur primum comparatione præcepti, dilectionis proximi, & hoc dicitur secundũ cõparatione præcepti dilectionis Dei, quia hoc est dignius præcepto dilectionis proximi.

Dicitur autẽ Deus diligi dilectione actiua ex toto corde quando nihil admittitur, quod ipsi Deo displiceat.

Addimus, quod quamuis non sit præceptum speciale affirmatiuum dilectionis beneuolentiæ Dei, ob ipsum actum dilectionis in eo sistendo: est tamen obligatio eliciendi actum dilectionis beneuolentiæ Dei, orta ex præcepto negatiuo non habendi odio Deum, quando adest periculum succumbendi vrgenti tentationi odij Dei, nisi eliciatur actus dilectionis beneuolentiæ Dei; vt contingere potest, quia tunc ex eo præcepto negatiuo oritur obligatio eliciendi actum dilectionis beneuolentiæ Dei, non ob ipsum actum dilectionis, sed ob non habendum odio Deum, ad quod actus ipse est tunc necessarius, quia ex præcepto alicuius finis,

non

non tantum oritur obligatio obtinendi finem, sed etiam apponēdi medium necessārium ad illum finem, prædicta autem obligatio eliciendi actum dilectionis benevolentiæ Dei, est propria, & per se virtutis Charitatis Theologicæ, quia oritur ex dicto præcepto negatiuo, quod est proprium, & per se virtutis Charitatis: & quia hæc obligatio eliciendi hunc actum dilectionis benevolentiæ Dei oritur ex eo præcepto negatiuo, tanquam effectus, & non ex aliquo affirmatiuo: ideò tunc omissio dilectionis benevolentiæ Dei, quāuis non sit odium Dei, erit tamen formaliter peccatum cōmissionis odij Dei habens malitiam odij Dei, & non erit formaliter peccatum omissionis Charitatis erga Deum, sed tantū materialiter, quia adhuc tunc non est præceptum eliciendi actum Charitatis Dei, sed tantum est obligatio, quæ non est præceptum (quamuis à nonnūllis præceptum dicatur) sed est effectus ortus ex dicto præcepto negatiuo, peccatum autem omissionis est omissio, aut actus contra præceptum affirmatiuum, & non contra negatiuum, aut quod idem est non est contra obligationem ortam ex præcepto negatiuo.

Et non solum est obligatio eliciendi actum dilectionis benevolentiæ Dei in casu dicti periculi orta ex dicto præcepto negatiuo, quod est naturale, seu ex natura rei obligans, sed etiam est obligatio eliciendi actum dilectionis benevolentiæ Dei in articulo mortis, quando quis non est iustificatus, & non potest medio Sacramento iustificari, orta ex præcepto affirmatiuo & naturali Charitatis Theologicæ, quo quis ordinatus à Deo in amicitiā ipsius Dei, tenetur exire ex hoc mundo in amicitia Dei, quia omissio huius est contra rationem, & contra Charitatem Theologicam.

Et non tantum est obligatio eliciendi actum dilectionis benevolentiæ Dei orta ex dictis præceptis negatiuo & affirmatiuo Charitatis Theologicæ, sed etiam est obligatio ad eum actum dilectionis, orta ex præceptis aliarum virtutum, quando ad eorum impletionem sit necessarius actus ille, quod non rarò contingit, v. g. quando quis existens in peccato mortali vult Sacramentum administrare, & nequit

iusti-

iustificari medio Sacramento, tunc tenetur elicere actum dilectionis beneuolentiæ Dei, (siue doloroſum, ſiue non) vt iuſtificetur: tenetur autem ad id non obligatione orta ex præcepto virtutis Charitatis Theologicæ, ſed ex præcepto negatiuo virtutis religionis, ne indigne adminiſtret Sacramentum, ac proinde tunc omiſsio dicti actus dilectionis non eſt peccatum contra Charitatem, ſed contra religionem: & quamuis materialiter eſt omiſsionis, formaliter tamen eſt commiſsionis iuxta ſupra dicta. Et eadem proportione diſcurrendum eſt circa obligationem dilectionis beneuolentiæ Dei, ortam ex præceptis aliarum virtutum, quando ad earum impletionem, & ad vincendas tentationes vrgentes contra eas ſit moraliter neceſſarius dictus actus beneuolentiæ.

Hanc autem poſteriorem opinionem ſic explicatam, & auctam, etiam abſque dubio tradduntThomas Sancius lib. 2. ſummæ, capit. 35. Vazq. & alij ex eis, qui exiſtimant eſſe præceptum ſpeciale affirmatiuum dilectionis Charitatis Theologicæ Dei, quia nomine dicti præcepti intelligunt dictam obligationem ortam ex alijs præceptis; & eam quia ortam ex alijs præceptis, appellant præceptum per accidens quamuis ea, quæ oritur ex præcepto affirmatiuo, & ex negatiuo Charitatis debeat ab ipſis conſequenter dici præceptum per ſe, & proprium Charitatis reſpectu ipſius habitus, non tamen reſpectu ipſius actus, quia hic non præcipitur propter ipſum proprio præcepto affirmatiuo.

Obſeruandum eſt non ſolum deſiderare adhuc efficaciter longam vitam non eſſe peccatum (in quo Doctores conueniunt) ſed nec deſiderare in æternum, & ſine fine viuere (vt contra Sancium & Bonac. exiſtimantes id eſſe peccatum mortale contra præceptum dilectionis Dei, aduertit Caſtro Legionenſis, diſput. 6. punct. 2. in fine) quia id deſiderare non eſt aliud, quam deſiderare non priuari vita, quod non eſt illicitum, præſertim, ſi id deſideras, quia neſcis, an ſis ſaluandus, an condemnandus?

(2.)

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm sit speciale præceptum diligendi proximum?

NOMINE Proximi intelligitur, quæcumque creatura intellectualis nobiscum particeps, & consors gratiæ, & gloriæ, nempè Angeli, & homines beati, & homines viatores, & animæ purgatorij, non dæmones.

Supponimus autem esse præceptum diligendi proximum, vt constat ex illo Matth. 22. *Secundum autem mandatum simile est huic diliges proximum tuum sicut te ipsum*, & ex illo Ioannes 13. & 15. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem*, & ex illo primæ Ioann. 4. *Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat, & fratrem suum.*

Hoc supposito circa difficultatem, conueniunt Doctores esse speciale præceptum negatiuum non habendi odio proximum: quod est præceptum Charitatis, seu beneuolentiæ erga proxumum: & esse præceptum naturale, & diuinũ; & ex eo præcepto aliquando per accidens oriri obligationẽ eliciendi actum beneuolentiæ proximi, quando scilicet sit necessarius ad vitandum odium illius: & etiam aliquando per accidens oriri ex alijs præceptis, erga proximum, quando scilicet sit necessarius ad eorum impletionem, ea proportione, qua diximus de obligatione actus dilectionis beneuolentiæ Dei: & etiam esse generale præceptum diligendi proximum, dilectione actiua sumpta pro opere exteriore cedẽte in gratiam proximi: & non solùm negatiuum non nocẽdi illi, v.g. non occidendi illum, & non furandi bona illius, sed etiam affirmatiuum, nempè ei benefaciendi, aut succurrendi, occurrente præcepto, aut eleemosynæ, aut correctionis, aut alio.

Est tamen difficultas, an etiam sit præceptum speciale affirmatiuum diligendi proximum dilectione affectiua beneuolentiæ, ob ipsum actum dilectionis?

Bañez quæſt. 44. artic. 7. dub. 2. Valent. punct. 2. Lorca diſput. 58. Turrian. diſput. 98. dub. 2. & Granado controuerſia 3. partem affirmatiuam tuentur; quæ in primis ratione Theologica probatur, quia ſcriptura eodem modo loquitur de præcepto diligendi Deum, & de præcepto diligendi proximum, quia Chriſtus Matth. 22. poſtquam adduxit præceptum diligendi Deum, & de eo dixit eſſe maximum, & primum mandatum; addidit: *Secundum autem ſimile eſt huic diliges proximum tuum, ſicut te ipſum*, & 1. Ioan. 4. dicitur: *Mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat, & fratrem ſuum*: ſed præceptum diligendi Deum obligat ſpecialiter, & per ſe ad dilectionem affectiuam beneuolentiæ Dei, ergo præceptum diligendi proximum obligat ſpecialiter, & per ſe ad dilectionem affectiuam beneuolentiæ proximi. Deinde ratione naturali probari poteſt, quia mutuus conuictus, & ſimilitudo in natura, & communicatio in fine, & in medijs obligat ad impendendũ mutuum amorem quia abſque eo nequit eſſe conuictus, & rationalis Societas.

Authores tamen huius ſententiæ non conueniunt in aſsignando tempus pro quo obliget dictum præceptum.

Vazq. verò tract. de pœnitentia, quæſt. 90. artic. 1. dub. 4. Soar. diſput. 5. ſect. 4. Molin. 1. par. quæſt. 63. artic. 2. & 3. diſput. 11. memb. 2. Maldonat. in Matth. 22. verſu 39. Ianſenius in concordia Euangelica cap. 81. & Ioannes Sancius diſputat. 1. partem negatiuam meritò tradunt, quibus conſentire videntur Ægid. diſputat. 24. dub. 4. Caſtro tract. 6. punct. 5. & Petrus Hurtado diſput. 174. ſect. 6. quod ſignificat Paulus ad Roman. 13. dum ait: *Nemini quidquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis, qui enim diligit proximum legem impleuit: nam non adulterabis: non occides; non furaberis, non falſum teſtimonium dices: non concupiſces: & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur, diliges proximum tuum ſicut te ipſum*: quia his verbis verè ſignificat dilectionem debitam proximo, non diſtingui ab obſeruatione mandatorum erga illum. Idem ſignificat Ioannes epiſtola 1. capit. 3. dum explicans quomodo diligendus ſit proximus ait: *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, &*

viderit fratrem suum necessitatem habentem, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo Charitas Dei manet in eo; filioli mei non diligamus verbo, nec lingua, sed opere, & veritate. Quibus verbis Ioannes significat debito diligendi proximum satisfieri opere externo beneficentiæ, aut misericordiæ: quod etiam significat Bernardus sermo. 50. in Cantica.

Et id ratione probatur: quia præceptum dilectionis proximi absque dubio est, & traditur in gratiam ipsius proximi, sed actus internus beneuolentiæ proximi, ratione sui non cedit in bonum proximi, sed tantum actus externus beneficentiæ, aut misericordiæ erga illum: ergo dilectio affectiua beneuolentiæ proximi ratione sui non præcipitur iure naturali, nec diuino, sed tantum actiua, seu externa beneficentiæ, aut misericordiæ. Et confirmatur, quia præcepto diligendi proximum non tenemur diligere affectu interno beneuolentiæ omnes proximos, quia si id esset faciendum expresse, esset impossibile, & si confuse actu aliquo confuse versante circa omnes, non videtur tam vtile vt ad id tradditum sit præceptum à Deo, nec eo præcepto tenemur diligere aliquos, quia non est maior ratio, cur eo præcepto teneamur diligere hos potius quam illos, ergo præcepto diligendi proximum non tenemur eum diligere dilectione affectiua beneuolentiæ, sed actiua obseruatione præceptorum, erga illum.

Ad priorem autem rationem Theologicam aduersariorum concedimus maiorem, negamus tamen minorem, nempè præcepto diligendi Deum præcipi omninò absolutè dilectionem affectiuam beneuolentiæ Dei, sed dilectionem actiuam, vt dicimus difficultate prima.

Et ad posteriorem rationem negamus mutuum conuictum, & similitudinem in natura, & in communicatione in fine, & in medijs obligare, ad impendendum mutuum amorem beneuolentiæ: & etiam negamus absque eo amore non posse esse societatem rationalem, quia hæc sufficienter erit si inter proximos adsit mutua officiorum externorum

ex-

exhibitio: & ſanè ea ratione ſi efficax eſſet, probaretur dilectionem beneuolentiæ proximi per ſe, ſeu ratione ſui eſſe ex natura rei, ſeu iure naturali præceptam, quod eſt falſum, etiamſi aliquando per accidens poſsit eſſe obligatio illius, vt diximus in initio difficultatis.

Et eadem proportione dicendum eſt; non eſſe ſpeciale præceptum per ſe diligendi ſe ipſum dilectione beneuolentiæ, quod docet Auguſtinus 1. de doctrina Chriſtiana cap. 23. & ex ipſo, S. Th. quæſt. 44 art. 3. ad 1. Et ratione conſtat, quia nullo fundamento oſtendi poteſt eſſe præceptum ali quod non ſolùm naturale, ſed nec poſitiuum: & ſanè poſitiuum eſſet ſuperfluum, ſeu ſuperflue traditum, quia in tota vita fere in nullo alio occupamur niſi in nos beneuole diligendo, quia nullus eſt amor, qui reipſa non ſit beneuolentiæ alicuius perſonæ, ac proinde quando non eſt Dei, aut alicuius perſonæ creatæ diſtinctæ eſt ipſius diligentis. Eſt tamen præceptum generale diligendi ſeipſum dilectione actiuâ obſeruandi videlicet præcepta, quæ in ſui bonum occurrunt, tam negatiua, vt non ſe occidendi, nec ſe infamandi, nec bona ſua dilapidandi, quàm affirmatiua, vt ſibi aliquando proſpiciendi, tàm quoad bona temporalia, quàm quoad ſpiritualia: imò etiam eſt negatiuum non ſe odio interno, quaſi inimicitiæ inordinato habendi: ſi haberi poteſt ex diſplicentia propriæ perſonæ ſecundum ſe: & aliquando etiam eſt obligatio ſeipſum beneuole diligendi, orta per accidens ex hoc dicto negatiuo, quando ſcilicet talis dilectio ſit moraliter neceſſaria ad vitandum dictum odium inordinatum ſui: & etiam orta per accidens ex alijs præceptis, tàm negatiuis, quàm affirmatiuis, quando etiam ad eorum impletionem ſit neceſſaria dilectio beneuolentiæ ſui.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm præcepto diligendi proximum etiam teneamur diligere inimicos?

CONVENIVNT Primò Doctores nos præcepto diligendi proximum etiam teneri diligere inimicos, quia ex vna parte inimici sunt verè proximi nostri, & ex altera parte inimicitia non est causa sufficiens ad excusandum nos ab obligatione huius præcepti. Vnde iuxta prædicta in diffi. præcedente tenemur inimicos diligere dilectione actiua sicut reliquos proximos.

Conueniunt secundò, nos non teneri aliquid speciale præstare inimicis, quia inimici sunt, quia inimicitia non est titulus ob quem inimici fint digni maiori obsequio, vt patet: imò facti sunt digni minore.

Conueniunt tertiò, nos teneri præcepto negatiuo non habendi inimicos odio inimicitiæ, quia est intrinsece malum nulli honesto fini deseruiens (est enim odium inimicitiæ affectus, quo alicui volumus malum, aut nolumus bonum ex displicentia personæ illius) ac proinde dictum præceptum est naturale, ex quo aliquando, imò etiam ex præceptis aliarum virtutum, erga proximos oritur per accidens obligatio diligendi inimicos dilectione affectiua beneuolentiæ, sicut & diligendi alios proximos, quando scilicet ad eorum impletionem ea dilectio sit moraliter necessaria.

Quod si obijcias illud Matth. 5. *Audistis quia dictum est antiquis diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum*: ergo odium inimicorum non est iure naturæ, & intrinsecè malum, quia non potuisset antiquis præcipi. Respondemus antiquis nullibi fuisse præceptum: imò nec permissum odium affectiuum maleuolentiæ, seu inimicitiæ, sed tantum odium actiuum consistens in externa illatione mali

ad-

aduerſus Hethæos, Amorræos, Cananeos, Pherezeos, Heuæos, & Iebuſæos, & aduerſus alios idolatras: quod Chriſtus generaliter reuocauit, dum ſubdidit: *Ego autem dico vobis diligite inimicos veſtros, & benefacite ijs, qui oderunt vos*: Quibus verbis Chriſtus non ſolum illud reuocauit, ſed etiam oppoſitum præcepit, aut ſaltem commendauit, nempè dilectionem externam beneficentiæ, aut miſericordiæ, erga omnes, & ideò in lege gratiæ nulla Natio, adhuc Chriſtianorum poteſt alij, adhuc Iudæorum niſi iure belli male facere.

Vnde obligatio eſt, & ſub mortali remittendi ex corde iniuriam iniurianti quamuis non petat veniam, ideſt, obligatio eſt abſtinendi ab affectu vindictæ, quatenus iniurianti eſt mala elicito ex diſplicentia illius, & etiam eſt obligatio non imprecandi inimico malum, quia ei eſt malum ex diſplicentia perſonæ, quia tunc hæc imprecatio oritur ex odio inimicitiæ, & affectus ille vindictæ eſt odium inimicitiæ, quod ex ſuo genere eſt peccatum mortale.

Addimus non tantum eſſe obligationem remittendi ex corde iniuriam iniurianti: ſed etiam eſſe obligationem, non præbendi occaſionem prudenter ſuſpicandi, quod habeas odium contra illum, quia ex ea ipſe excitabitur, ſeu inducetur paſsiue, vel ad concipiendum odium contra te, vel ad perſeuerandũ in eo iam concepto: & ſi eam occaſionem præbeas coram alijs, peccabis aliquando eo modo, quo quãdo peccas coram alijs, iuxta ea, quæ dicimus diſp. 9. dif. 10. ad iudicandum autem, quando dicta occaſio præbetur nulla certa regula præſcribi poteſt, Sed id arbitrio prudentis diſcernendum eſt: aliquibus tamen exemplis, quæ ſubijcimus poterimus, quid in alijs caſibus dicendum ſit, iudicare.

In primis ergo, quando iniurians (qui eo ipſo veniam petere tenetur) petit veniam proportionatam iniuriæ ſignificans ſe dolere de iniuria à ſe irrogata, iniuriatus tenetur ſignificare ſe eſſe placatum: quia omiſsio huius ſignificationis eſt ſignum odij contra iniuriantem, ex quo iniurians ſuſpicabitur iniuriatum habere odium contra ipſum, quo iniurians ſcandalizabitur, ſeu inducetur ad odium contra iniuriatum: ſed non tenetur id ſtatim poſt

grauem iniuriam significare, quia pro tunc excusatur dolore illius: imò nec tenetur id significare ille, qui graui dolore, aut alio graui incommodo afficiendus est, si id significet, nec ad id tenetur superior saltem pro tempore aliquo, quia id potest omittere, aut differre in pœnam iniuriæ, vel vt subditus expendat quid fecerit, & sic fugiat id iterum committere: Nihilominus iniuriatus non tenetur cedere iuri, quod habet exigendi vindictam apud iudicem, nec remittendi satisfactionem sibi debitã, si aliqua debeatur. Addidimus, quia eo ipso *veniam petere tenetur*, quia iniurians saltem contumelia, tenetur veniam petere, nisi offensus censeatur remittere eam venię petitionem, vel de ea petitione parum curare, vt censeri potest quando facilè potest veniam exigere, & non exigit, vel quando tractat cum iniuriantæ, quasi iniuriæ oblitus, aut nisi quando inter vtrumque adest longa distantia, quia non est obligatio petendi veniam per literas; aut nisi timeatur iniuriatus grauiter exasperandus, si ab ipso petatur venia, aut nisi alia rationabilis causa subsit.

Quando verò duo se mutuo iniuriarunt, tunc cæteris paribus, qui prius iniuriauit tenetur petere prius veniam, quia fuit agressor, & prius contraxit obligationem petendi veniam. Addimus cæteris paribus, quia si qui prius iniuriauit, minorem iniuriam intulit, & qui posterius iniuriauit, intulit maiorem sensibiliter, tunc iste tenetur petere prius veniam, quia ratione excessus iniuriæ est agressor, qui prius intulit illum excessum, imò ipse solus & non alter.

Secundò iniuriatus tenetur non excludere iniuriantem, seu inimicum ab externis beneficijs communibus, id est factis pro aliqua communitate, v. g. pro collegio aliquo excipiendo, aut excludendo solum iniuriantem, qui est pars illius communitatis, nisi ad eum excludendum adsit rationabilis aliqua causa cognita, quia quando talis causa non adest, dicta exceptio, aut exclusio est signum odij contra exceptum, aut exclusum.

Tertiò, iniuriatus tenetur resalutare inimicum, seu eum, qui ipsum iniuriauit sibi occurrentem, qui ipsum salutauit (nisi aliàs ob nimiam inferioritatem inimici respectu

in-

iniuriati non fit contra vrbanitatem eum non re ſalutare) quia tunc omiſsio reſalutationis attribuetur odio, ſeu erit ſignum odij in iniuriato contra inimicum: tamen non tenetur illum prius ſalutare (niſi antea ſolitus fuiſſet illum prius ſalutare, aut niſi inimicus ſit ſuperior) quia tunc omiſsio prioris ſalutationis attribuetur odio in omittente.

DIFFICVLTAS IIII.

Vtrum dilectio amici ſit melior, & magis meritoria quam inimici?

DVRAND. In 3.d.30.quæſt.2.Carthuſian.quæſt.1.& AEgidius diſp.24. num.154. docent dilectionem inimici cæteris paribus ex parte intenſionis, & durationis eſſe meliorem, & magis meritoriam, quod indicare videntur Auguſt. Greg. Bernard. & alij Patres. Et ſignificare videtur Chriſtus Matth.5.dum vt hortetur nos, vt ſimus perfecti, ſicut Pater cœleſtis perfectus eſt ait: *Diligite inimicos veſtros, vt ſitis Filij Patris veſtri.* Et ſubdit: *Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis.* Et ratione poteſt probari, quia dilectio inimici difficilior eſt, & ab omni humano motiuo purior quam dilectio amici, ergo eſt melior, & magis meritoria.

Caiet. verò, Bañez, & Lorca quæſt.27.art.7. Valent q.3. puncto 3. Soar. diſp.2. ſect.3. & Turria. diſp.78. dub.2. docent è contra, & meritò dilectionem amici, cæteris paribus eſſe meliorem dilectione inimici, & magis meritoriam. Et in primis, quod ſit melior quia magis conforme eſt rationi quod diligatur amicus quam inimicus, quia eſt magis coniunctus, ergo id eſt magis bonum, quia bonitas conſiſtit in conformitate, ſeu conſonantia ad rationem, ergo dilectio amici eſt melior dilectione inimici: quod non tantum eſt verum de dilectione beneuolentiæ non Theologica, quia non ſolum obiectum materiale illius, nempè amicus, ſed etiam formale, nempè bonitas amici eſt obiectiue melius, ſed etiã eſt verum de dilectione Theologica amici, & inimici, ob Deum, quia ſunt aliquid Dei, quia etiamſi tunc obiectum formale vtriuſq; dilectionis ſit idem. Nempè Deus, ſeu boni

tas

tas Dei, obiectum tamen materiale dilectionis amici est obiectum melius, quia amicus est magis coniunctus diligenti, & quia vtrumq; obiectū dilectionis beneuolentiæ, non Theologicæ est obiectiuē melius vtroque obiecto similis dilectionis inimici, & non vtrumque, sed tantum materiale dilectionis Theologicæ est melius ideo dilectio non Theologica amici, magis excedit in bonitate dilectionem non Theologicam inimici, quam Theologica.

Quod si dilectio beneuolentiæ amici tā Theologica, quā nō Theologica est melior, etiā erit magis meritoria, quia ratio meriti, est passio bonitatis, nō difficultatis, & pœnalitatis, erit tamen minus satisfactoria, quia ratio satisfactionis est passio pœnalitatis operis, vt diximus tract. de Pœnitentia, disp. 13. dif. 6.

Patres ver , & Scriptura proaduersarijs adducti, dum indicant dilectionē inimici, esse perfectiorem dilectione amici nō comparāt dilectionē inimici seorsim cū dilectione amici, quia sic hæc dicitur perfectior illa, sed cōparāt dilectionē inimici, vt etiā supponentē dilectionē amici, quia qui inimicū diligit etiā regulariter supponitur diligere amicū, & sic dilectio inimici est perfectior extensiue dilectione amici seorsim sumpta, & arguit in diligēte maiorē perfectionē, & virtutē, raro enim, qui nō est perfectus diligit inimicū: illis autē verbis Christi: *Si enim diligitis eos, qui vos diligūt, quā mercedem habebitis.* Tantū significatur non habituros extraordinariā aliquā mercedē, quia id etiā faciūt peccatores, & Publicani, qui raro efficiunt opera digna mercede extraordinaria.

Et ad rationē concedimus, dilectionē inimici esse difficiliorem, negamus tamen ex eo esse meliorē, ob rationem dictam, & concedimus regulariter esse puriorem, quia dilectio inimici regulariter est Theologica, seu ob Deum, & non dilectio amici, nihilominus quando dilectio amici est Theologica cæteris paribus, est melior dilectione Theologica inimici, & magis meritoria, & quando vtraque non est Theologica, sed tantum beneuolentiæ erga illos ex complacentia ipsorum, & absque mixtione mali motiui, etiam cæteris paribus dilectio hæc amici est melior, & magis meritoria quam similis dilectio inimici.

DISP.

DISPVT. V.

De Eleemosyna.

DIFFICVLTAS I.

Quid sit misericordia?

QVAMVIS Vox *misericordia* dicta sit ab affectu appetitus sensitiui, quo dolemus de malo inuoluntario alterius (in quo miseria consistit) quod quasi proprium reputatur ob naturæ similitudinem cum illo, qui affectus dicitur compassio, & supponit cor miserans in compatiente, & ad eum affectum, & ad alium similem in voluntate significandũ imposita sit: id tamẽ ad quod præcipuè significãdũ imposita fuit, & quod præcipuè significat est volitio efficax subleuãdi miseriam alienã, & subleuatio ipsa exterior miseriæ alienę.

Tres ergo sunt actus misericordiæ, nẽpè dolor, seu tristitia tam appetitus, quã voluntatis de miseria aliena, & volitio efficax eã miseriã subleuandi, seu ei subueniendi, & actio ipsa exterior qua miseria subleuatur, v.g. elargitio pecuniæ: inter hos autẽ tres actus hoc est deserimen quod primus, nẽpè dolor de miseria aliena non est actus perfectus misericordiæ, nec necessarius ad actũ perfectũ illius, etiamsi in personis capacibus dicti doloris regulariter præsupponatur, & ad eum inducat. Secundus verò actus nẽpè volitio efficax subleuãdi miseriã alterius, seu ei subueniendi, est actus verę misericordiæ. Et etiã tertius nẽpè actio ipsa exterior qua miseriæ, seu necessitati alterius subuenitur, facta vt subuẽtio, seu animo subueniendi, & non solo animo soluendi debitũ aliquod, nec solo alio animo; imò actus iste, tertius est ita perfectus misericordiæ, vt in eo consummetur, seu perficiatur bonitas misericordiæ iuxta id quod dicimus tract. de Bonitate, & Malitia, disp. 3. dif. 2.

Vnde quãuis in Deo, & in Beatis non possit esse affectus ille doloris de miseria alterius, adhuc in eorũ volũtate, potest tamẽ esse volitio efficax subueniẽdi miseriæ alienæ, & actio ipsa externa ex eo affectu facta, quæ sunt actus veræ misericordiæ.

Est

Est autem materia, aut obiectum actuum virtutis misericordiæ miseria alterius, quia propria miseria non est materia alicuius virtutis, quia etiamsi subleuare propriam miseriam possit esse actus honestus, & rationi consentaneus, nō tamen alicuius virtutis non solum acquisitæ, quia ad eam subleuandam nulla est in nobis difficultas, ad quam vincendam tantum acquiritur in nobis habitus, & virtus, sed nec infusæ quia nulla virtus moralis infunditur à Deo, nisi circa materiam circa quam potest esse virtus acquisita.

Obseruandum est, quod quamuis actio ipsa exterior qua subuenitur miseriæ proximi facta ex intentione ei subueniendi, si fiat ex complacentia ipsius subleuantis, quia ipsi est honestum, aut iucundum sit sufficienter actus honestus, & virtutis peculiaris, quæ peculiariter dicitur misericordia: si tamen fiat ex complacentia ipsius proximi cuius miseriæ subuenitur erit elicitiue actus misericordiæ, & imperatiuè beneuolentiæ, seu Charitatis erga proximum: & si fiat ex complacentia Dei, quia proximus est aliquid Dei, erit elicitiuè misericordiç, & imperatiue Charitatis Theologicæ erga Deum, sicut pati mortem à Tyranno ex complacētia Dei est elicitiue virtutis fortitudinis, & imperatiue Charitatis erga Deum.

Misericordia ergo pro actu est actio, qua subuenitur miseriæ proximi ex intentione ei subueniendi facta, & pro virtute est habitus inclinans in eam actionem ex dicta intentione factam. vnde obiectum materiale virtutis misericordiæ est dicta actio, & obiectum quasi formale est ipsa vt subuencio, id est, facta dicta intentione.

Ita tamen actio exterior subueniendi miseriæ proximi facta ex intentione ei subueniendi est actus virtutis, & peculiaris, vt etiam facere bonum proximo, ex intentione benefaciendi illi si fiat ex complacentia ipsius benefacientis sit actus virtutis, & peculiaris, imò eiusdem omnino virtutis, ac actio subueniendi miseriæ proximi facta ex intentione ei subueniendi ex complacentia ipsius subuenientis, quia eandem honestatem habet velle proximo benefacere, & id exterius efficere ex intentione benefaciendi, ac nolle proximo pati malum & illud propellere ex intentione illud propellen-

di:

dis: hæc tamen virtus quatenus inclinat ad benefaciendum proximo potest dici beneficentia, & quatenus inclinat ad subueniendum miseriæ proximi dicitur misericordia, & sicut actio externa subueniendi miseriæ proximi, facta ex ea intentione, & ex complacentia ipsius proximi est elicitiue misericordiæ, & imperatiue beneuolentiæ erga proximum: & facta ex dicta intentione, & ex complacentia Dei est elicitiue misericordiæ, & imperatiue Charitatis erga Deum: ita etiã actio exterior benefaciendi proximo facta ex intentione benefaciendi ei, & ex complacentia ipsius est elicitiue beneficentiæ, & imperatiue beneuolẽtiæ, seu Charitatis erga proximos, & quia actio subueniendi miseriæ proximi ex ea intẽtione facta, & actio, qua proximo fit bonum ex intentione ei benefaciendi, non raro imperantur, & fiunt ex complacentia Dei, ideo dicuntur actus Charitatis Theologicæ: benefacere tamen proximo ex intentione ei benefaciendi, & eius miseriæ subuenire ex ea intentione, ex complacentia ipsius benefacientis, & subuenientis, tantum est vnius virtutis, & elicitiue ob respectum ad proximum, quæ dicitur beneficentia, & misericordia, & non est etiam alterius virtutis ob respectum ad ipsum benefacientem, & subuenientem, quia actus prout præcise dicit respectum beneuolentiæ ad propriam personam, secluso respectu ad obiectum volitum, & ad motiuum ob quod concupiscitur, aut non est honestus, aut saltem non est virtutis ob rationem supra adductam, sed tantum & sufficienter prout est actus benefaciẽdi proximo, aut ei subueniendi absque dicto respectu beneuolentiæ, quamuis isti in eo affectu benefaciendi, aut subueniendi, sit idem realiter cum respectu ad benefactionem, aut ad subuentionem.

Sed an misericordia sit perfectior reliquis alijs virtutibus nequit nunc commode examinari: credimus tamen esse imperfectiorem omnibus virtutibus Theologicis, & virtute Religionis, & iustitiæ; perfectiorem tamen multis alijs virtutibus.

DIF-

DIFFICVLTAS II.

Quid, & quotuplex sit eleemosyna?

CIRCA Prius, vt à nomine ipso exordiamur, nomẽ eleemosyna à verbo Græco deriuatur, quod est idem, ac misereri, ob quod actus elemosynæ nõ raro nomine *misericordia* significatur: significat autem nomen eleemosyna exercitium ipsum, seu actum externum quo miseriam proximi subleuamus Lucæ 12. *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam*, & Actor. 3. rogabat autem, vt eleemosynam acciperet.

Ad rem ergo accedendo, eleemosyna est actus quo tribuimus aliquid indigenti, quo eius indigentiam, seu miseriam subleuamus: vnde eleemosyna ex se est actus virtutis misericordiæ, quamuis extrinsecè possit à virtute Charitatis erga Deum, & à virtute beneuolentiæ erga proximum imperari.

Circa posterius eleemosyna est duplex, altera corporalis, & altera spiritualis, sicut & miseria quam media eleemosyna subleuamus, etiam est duplex, altera corporalis, & altera spiritualis; & quælibet eleemosyna ex eis in septem, quæ magis communiter fiunt, & ad quas aliæ facile reduci possunt, diuidi solet. Septem autem eleemosynæ corporales, seu septem opera misericordiæ corporalis, in quæ eleemosyna corporalis diuiditur hæc sunt. Primum esurientes pascere. Secundũ potum dare sitienti. Tertium nudos operire. Quartum captiuos redimere. Quintum ægrotos inuisere. Sextum peregrinos hospitio suscipere. Septimum mortuos sepelire. Septẽ vero eleemosynæ spirituales, seu septem opera misericordiæ spiritualis hæc sunt. Primum peccantes corrigere. Secundũ ignorantes docere. Tertium dubitantes consulere. Quartũ pro salute proximi orare. Quintum afflictos consolari. Sextum patienter ferre iniurias illatas, ne proximus anxius, sed potius securius nobiscum degat. Septimũ offensam remittere, ne proximos onere offensæ quam intulit, grauatus viuat.

Circa opus sepeliendi mortuos, quod inter septem eleemosynas corporales numeratur, conueniunt Catholici contra hæreticos esse opus misericordiæ, ac proinde honestum,

raudabile,& Deo gratum,& vt tale commendari in Scriptura,& â Sanctis Patribus,de quo Bellarm. lib.2.de Purgatorio,cap.vlt.& Lesius disp.27. dub.3.& merito, quia corpus defuncti insepultum manere, est quædam indigentia peraccidens redundans in dedecus animæ, & non raro in defectum precum,quæ pro anima funderentur, si corpus sepultũ esset, ergo sepelire corpus defuncti opus est misericordiæ corporalis,& quodammodo etiam spiritualis,quia eius sepultura subuenitur dictis miserijs corporali,videlicet,& etiam quodammodo spirituali : imò est obligatio,& grauis sepeliendi illud quando non adest rationabilis causa ad id omittendũ, quia omissio illius est quędam inhumanitas, impietas, & in misericordia erga naturam humanam, vel erga animam.

DIFFICVLTAS III.

Quomodo eleemosyna operetur remissionem peccatorum, & reliquos alios suos effectus spirituales?

CONVENIVNT Catholici eleemosynam corporalem operari remissionẽ peccatorum. Daniel 4. *Peccata tua eleemosynis redimi.* Et Luc. 11. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Et etiam operari conseruationem in gratia,& sanctitate, Tob.4.eleemosyna ab omni peccato,& â morte liberat,& non patietur animã ire in tenebras, quod etiam exprimunt plures Patres.

Est tamen difficultas quomodo eleemosyna corporalis operetur dictos effectus.

Circa hanc difficultatem negari non potest eleemosynam factam ex vero amore beneuolentiæ Dei, seu imperatam â Charitate Theologica operari ex opere operantis, & infallibiliter remissionẽ peccatorum,quia dilectio beneuolentię Dei operatur illã,vel tanquam vltima dispositio ad illam, vt cõmuniter docent Doctores,vel tanquâ forma,seu causa formalis illius,vt nos dicimus tract.de Pœnitẽtia,disp.2.dif.8.

elee-

eleemosynam vero ratione sui, vt est actus tantum misericordiæ non imperatus à Charitate Theologica operari dictos suos effectus ex opere operantis, quia eleemosyna vt sic honeste facta impetrat à Deo auxilia efficacia ad contritionem, siue formalem, siue virtualē media qua modo supra dicto remittuntur peccata, vel ad receptionem Sacramenti remittentis peccata: & etiam impetrat auxilia efficacia ad perseuerandum in gratia: eos tamen effectus non impetrat infallibiliter, alias, qui semel elargiretur eleemosynam, infallibiliter iustificaretur si erat in peccato, & si erat in gratia, in ea infallibiliter conseruaretur, sed eos impetrat vt in plurimum, quia eleemosyna vtpotè opus misericordiæ habet vim singularem impetrandi misericordiam à Deo: iuxta illud Matth. 5. *Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

DIFFICVLTAS IIII.

Vtrum eleemosyna corporalis sit sub præcepto?

CONVENIVNT Thelogi esse præceptum dandi eleemosynam ex suo obiecto graue, quod satis significat Christus. Matth. 25. illis verbis: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* Vbi iustæ damnationis non aliam assignat causam quam omissionem operum misericordiæ, qui autem iuste in æternum damnatur, quia omittit actum misericordiæ verè omittit præceptum, & graue. Quod etiam tradūt Nazianz. orat. de pauperū amore, Cypria. tract. de opere, & eleemosynis, & Amb. lib. 1. offici.

Et id ratione constat, quia contra rationem, est, & ipsi, & ex obiecto grauiter dissonum, proximo saltem extreme oppresso corporali necessitate non subuenire, saltem quando facile fieri potest, & quando nihil obstat ad illi subueniendum ergo aliquando iure ipso naturali rationis, seu naturæ rationalis tenemur ad elargiendam eleemosynam corporalem, & graui ex suo obiecto.

Vnde

Vnde præceptum aliquando elargiendi eleemosynam corporalem est naturale, & satis in Scriptura diuina significatum, quod reduci potest ad quintum decalogi *non occides*, quia præsertim obligat quando eleemosyna est necessaria ad sustentationem vitæ: & ita vt qui tunc non elargitur eleemosynam, ob quod extreme indigens moritur, dicitur occidi à non elargiente illam iuxta vulgare illud dictum Ambrosij, *si non pauisti, occidisti.*

DIFFICVLTAS V.

Vtrum præceptum eleemosyna obliget in communibus necessitatibus?

SVPPONIMVS Primò necessitatem, seu indigentiam corporalem, esse triplicem nempe communem, & grauẽ, seu vrgentem, & extremam, communis est, quæ reperitur in pauperibus communibus, seu quotidianis, quia facile inueniunt sibi necessaria: grauis, seu vrgens est, quæ reperitur in eo qui patitur, aut cui imminet graue, seu notabile, & vrgens detrimentum, aut in salute, aut in honore, aut in bonis fortunæ: extrema necessitas est indigentia eorum, quæ necessaria sunt ad vitæ sustentationem, vel ad ei æquiualens moraliter, aut indigentia eorum, quæ necessaria sunt ad vitandũ grauem, & perpetuum morbum.

Supponimus secundò bona corporalia quibus subueniri potest prædictis necessitatibus esse in triplici differentia: quia alia sunt necessaria vitæ, seu naturæ, aut ei, quod moraliter æquialet vitæ sine quibus vita, aut ei æquialens esse, aut conseruari non potest: alia sunt necessaria statui, seu personæ, sine quibus status conseruari nequit, vel simpliciter, quia absq; illis persona cadet à suo statu, vel secundũ quid, quia absque eis nequit status commode, & absq; labore aliquo conseruari (nomine autem status intelligitur non solum præsens, sed etiam ille quem quis potest honeste acquirere.) Alia sunt superflua vitæ, & statui, vel omnino, quia nullomodo sunt necessaria vitæ, nec statui, nec simpliciter, nec

secundum quid, vel tantum sunt superflua secundum quid, quia tantum sunt necessaria ad commode conseruandam vitam, & statum.

His ergo suppositis conueniunt Theologi ex necessarijs simpliciter statui non obligare dictum præceptum, & multo minus ex necessarijs vitæ ad subueniendum ei, qui tantum patitur communem necessitatem, quia misericordia non obligat ad subueniendum miseriæ alienæ communi, seu ordinariæ non vrgenti cum tanto detrimento proprio: imò etiam communiter conueniunt dictum præceptum non obligare in communibus necessitatibus ex bonis quamuis tantum secundum quid necessarijs adhuc soli statui, & non omnino superfluis, quia in communibus necessitatibus non obligat, cum considerabili incõmodo, seu detrimento, qualis est defectus eorum, quæ sunt necessaria ad commode cõseruandum statum, & ad commode in eo viuendum, quia cõmunibus necessitatibus aliunde facile, & sine considerabili incommodo potest subueniri.

Est tamen difficultas, an in communibus necessitatibus præceptum eleemosynæ obliget ex bonis omnino superfluis etiam statui.

Caiet. in sum. verbo eleemosyna, Nauar. cap. 24. num. 5. Valent. disp. 3. q. 9. puncto 4. Lorca disp. 39. memb. 2. AEgidius disp. 27 dub. 8. & Adamus quæst. 5. dub. 2. docent vere obligare, & sub mortali, quod significari videtur, & in Scriptura dum in ea significatur diuites difficile saluari, & etiam illis verbis Lucæ 11. *Quod superest date eleemosynam.* Et à Patribus dum reprehendunt diuites, qui de superfluis non elargiuntur eleemosynam, loqui autem videntur in communibus necessitatibus, quia solum istæ regulariter occurrunt.

Et ratione probatur, quia contra rationem, & contra misericordiam videtur non subuenire miseriæ, seu indigentiæ proximi, quamuis communi, seu non vrgenti, quando ei potest subueniri, absque detrimento aliquo, ergo quando ei potest ex bonis omnino superfluis.

Alexand 4. p. quæst. 34. memb. 1. Gab. in 4. d. 16. quæst. 4. art. 2. Palud. d. 15. quæst. 3. artic. 1. Medina Cod. de eleemosyna, quæst. 3. Sotus de iustitia, quæst. 8. art. 1. Vazq. tract.

de

de eleemoſyna, cap. 1. dub. 3. & Petrus Hurtado diſp. 159. ſect. 4. docent præceptum eleemoſynæ non obligare in communibus neceſsitatibus ex bonis adhuc omnino ſuperfluis (quibus fauent S. Thom. 2. 2. quæſt. 32. artic. 5. & Dur. in 4. d. 15. quæſt. 6. ad 2.) & meritò, quia abſque fundamento, imò & contra rationem dicitur communes, & quotidianas indigentias, & neceſsitates obligare ad ipſarum ſuccurſum, & ſubuentionem media elargitione eleemoſynæ cum non vrgeant, alias nullus, aut rarus eſſet diues, qui bona vitæ, & ſtatui ſuperflua retinere poſſet, quia nũquam, aut raro deficiũt huiuſmodi indigentiæ, quæ occurrant diuitibus: imò non poſſet ea bona inſumere in ædificandis Templis non neceſſarijs, nec in alijs operibus pijs non neceſſarijs, nec deſeruientibus ad ſuccurſum pauperum, nec in efficiendis liberalibus donationibus amicis, & conſanguineis: id autem eſt duriſsimum, & contra communem vſum fidelium nunquam reprehenſum.

Quod autem diuites difficile ſaluentur, vt in Scriptura ſignificatur, non tam prouenit ex occaſione obligationis elargiendi eleemoſynam, quam ex alijs magnis occaſionibus peccandi quas diuitiæ ſolent afferre. In illo verò Lucæ 11. *Quod ſupereſt date eleemoſynam.* Potius continetur conſilium quam præceptum. Patres autem dum reprehendunt diuites, qui de ſuperfluis non elargiuntur eleemoſynas, tantum loquuntur in neceſsitatibus grauibus, ſeu vrgentibus, quamuis non extremis, quæ aliquando illis occurrunt, non verò in communibus, & quotidianis.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrum præceptum eleemoſynæ obliget in grauibus neceſsitatibus?

CONVENIVNT DD. præceptũ eleemoſynę non obligare ad faciendã eleemoſynã patienti grauẽ neceſsitatẽ

ex bonis omnino, seu simpliciter necessarijs aut vitæ, aut statui, quia non est contra rationem, & misericordiam, quod quis non subueniat grauiter indigenti, quando nequit illi subuenire nisi cum proprio detrimẽto graui, qualis est amissio aut vitæ, aut status.

Est tamen difficultas primo, an obliget in grauibus necessitatibus ex bonis omnino superfluis vitæ, & statui.

Caiet. 2.2.q 71.art.1.Gerson Alphabeto 24.lit.V. Rosella verbo eleemosyna, nũ. 1. Panormit. in cap. *Si vero* de iure iurando, Medina Codice de Pœnitentia, tract. 5. quæst. de necessitate dandi eleemosynam, partem negatiuam tuentur (quibus fauent S. Th. & Dur. vbi supra) Primò, quia nemo tenetur magis prospicere proximo quam sibi, sed nemo tenetur se à graui necessitate liberare, sed potest eam propter Deum pati, ergo nec tenetur proximo in ea subuenire. Secundò, quia nemo tenetur procurare, vt proximus melius se habeat, sed sufficit procurare quod viuat, & sit. qui autem nõ est in extrema necessitate quamuis sit in graui, habet quid quid ei est necessarium, vt viuat, & sit, ergo non est obligatio subueniendi ei, qui non est in extrema necessitate quamuis sit in graui.

Idem verò Caiet. in sum. verb. eleemosyna, Nauar. Sotus, Valen. Vazq. Lorca, Ægidius, vbi dif. præcedenti, & communiter Doctores, partem affirmatiuam merito tradunt, quod indicatur in Scriptura dum in ea Matth. 25. à Christo attribuitur damnatis pro causa damnationis ipsorum quod esurienti non dederint cibum, & sitienti non dederint potũ, & nudo non dederint vestitũ, & tamẽ in his materijs rarissime contingit extrema necessitas, ergo sententia Christi etiam habet locum in graui necessitate proximi. Et id indicant plures Patres quos refert Valent. dum damnant diuites grauis peccati, quia non elargiuntur eleemosynam, & tamen non loquuntur solum respectu extremæ indigentium, vt ex eorũ contextu constat, alias eorum reprehensio esset inutilis, aut fere inutilis, quia extrema necessitas aut nunquam, aut ferè nunquam occurrit diuitibus.

Et ratione probatur, quia contra rationem, & contra misericordiam est proximo grauiter miserabili, & indigenti

non

non ſubuenire, abſque proprio detrimento, ergo contra rationem, & contra miſericordiam eſt, ei non ſubuenire ex bonis non neceſſarijs, ſed omnino ſuperfluis, quorum defectus non nocet vitæ nec ſtatui.

Ita tamen eſt obligatio ſubueniendi grauiter indigenti ex bonis omnino ſuperfluis, vt non ſit obligatio ei ſubueniendi cum magnis expenſis: imò nec extreme indigenti, vt dicemus difficultate ſequenti.

Ad priorem ergo rationem reſpondemus: minorem illius non eſſe vniuerſaliter veram, quia abſque dubio tenemur mala aliqua grauia propria vitare, ſi poſſumus vt graue morbum, aut abſciſsionem alicuius membri quamuis hæc non ex miſericordia, ſed ex fortitudine: alia vero mala grauia, quæ pati poſſumus propter Deum, non tenemur vitare in proximo volente illa pati propter Deum: Tenemur tamé omnia mala grauia in eo vitare quando rationabiliter non vult, aut non eſſet voliturus illa pati ſi id aduerteret, & tunc ſolum habet locum miſericordia, quia ſolum tunc malum proximi habet rationem miſeriæ, circa quam ſolam verſatur miſericordia ad eam expellendam.

Ad poſteriorem negamus nobis ſufficere procurare proximo quod viuat & ſit: ſed eſſe nobis obligationem procurandi quod non patiatur rationabiliter inuitus graue aliquod malum, & quod in hoc ſenſu melius ſe habeat ob rationem dictam.

Secundo eſt difficultas an præceptum eleemoſynæ obliget in grauibus neceſsitatibus ex bonis ſtatui, non ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid neceſſarijs, nempè ad commode, & abſque labore conſeruandum ſtatum.

Bañez quæſt. 32. art. 2. dub. 4. Lorca diſp. 39. num. 63. Valen. diſp. 3. quæſt. 9. puncto 4. Ægidius diſput. 27. dub. 8. partem affirmatiuam tuentur, quia contra miſericordiam ſit aliquem non ſuccurrere proximo grauiter indigenti quando abſque graui incommodo poteſt illi ſubuenire, ſed qui habet bona tantum ſecundum quid neceſſaria ad ſtatum id poteſt facere abſque graui incommodo, quia ei reſtant bona ſufficientia ad illum, ergo ad id ex miſericordia obligatur.

Nauar. verò cap. 24. nu. 7. Corduba libr. 1. q. 26. prop. 2. Granad. tract. 11. disp. 2. sect. 5. partem negatiuam tradunt (quam etiam à fortiori tradunt qui docent præceptum eleemosynæ tantum obligare ex bonis omnino superfluis, & extreme indigenti) & meritò quia absque firmo fundamento, imò, & contra rationem est obligare aliquem ad subueniendum necessitati nec physicè, nec moraliter extremæ, quãuis graui, quando id nequit fieri absque graui incõmodo ipsius, vnde enim est obligatio viuendi cum incommodo considerabili, ne alter patiatur grauem necessitatem? Cum humana conditio sit, vt alij commodius viuant quam alij, sed qui ex bonis necessarijs quamuis tantum ad commode, & decenter viuendum subuenit considerabiliter alteri (vt regulariter est necessarium ad subueniendum graui necessitati alterius) subuenit cum graui, seu cõsiderabili incommodo, quia non est leue incommodum viuere cum notabili defectu cõmoditatis, & decentię, etiamsi sufficienter ad statum viuatur: ex quo constat minorem aduersariorum esse falsam.

Addimus in minore nostræ rationis: *Considerabiliter, vt regulariter est necessarium ad subueniendum graui necessitati alterius.* Quia quando ad ei subueniendum sufficit modicũ, vt potest aliquando quamuis raro contingere, vt pauci argentei, tunc credimus præceptum eleemosynæ obligare, iuxta ea quæ supra diximus, quia tunc modicum illud pro nihilo reputatur, & potest tanquam omnino superfluum statui reputari, ex omnino autem superfluo obligatio est subuenię di grauiter indigenti.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrum præceptum eleemosynæ obliget in extrema necessitate?

DIFFICVLTAS Hæc procedit de necessitate tam physicè, quam moraliter extrema.

Conueniunt ergo primo Doctores præceptum eleemo-

synæ

ſynæ non obligare in extrema neceſsitate ex bonis vitæ neceſſarijs, quia vita propria præponi poteſt vitæ alienæ: excipimus quãdo vita aliena eſt maxime vtilis Reipublicæ, quia tunc etiam obligat ex bonis neceſſarijs vitæ, quia propria vita priuata poſtponenda eſt bono magno Reipublicæ.

Conueniunt ſecundò obligare ex bonis ſuperfluis vitæ, & ſtatui, quia vita proximi præponenda eſt neceſſario bonis proprijs omnino ſuperfluis, quod ratio ipſa manifeſte dictat: imò obligare ex bonis non omnino ſuperfluis ſtatui, ſed neceſſarijs ſecundum quid, quia vita proximi etiam eſt præponenda his bonis proprijs: excipimus quando ad ſubueniendum extreme indigenti ſunt neceſſaria magna bona, ſeu extraordinariæ expenſæ, vt ſtatim dicimus.

Eſt tamen difficultas, an obliget ex bonis ſimpliciter neceſſarijs ſtatui, ſine quibus ſtatus amittitur.

Valent. puncto 4. Vazquez cap. 1. dub. 3. Adamus quæſt. 3. dub. 2. Granado diſp. 2. ſect. 1. Beca. capit. 21. dub. 4. & Layman. lib. 2. tract. 3. capit. 6. partem affirmatiuam tuentur, quia vita proximi videtur neceſſario præponenda bonis proprijs inferioris ordinis, ac proinde conſeruationi proprij ſtatus, qui eſt inferioris ordinis quam vita proximi.

Bañez verò quæſt. 32. art. 6. dub. 2. Lorca diſp. 39. Turria. diſp. 82. dub. 4. A Egid. diſp. 27. dub. 8. (quibus fauet S. Th. quæſt. 32. artic. 6.) partem negatiuam tradunt, & meritò quia quamuis vita proximi ſit phyſicè altioris ordinis quam proprius ſtatus, amiſsio tamen proprij ſtatus eſt malum adeo magnum, vt durum ſit, & rigidum cum tanto damno proprio obligari ad proſpiciendum vitæ alienæ, quamuis altioris ordinis (ex quo conſtat ad rationem aduerſariorum) imò, & obligari ad proſpiciendum vitę propriæ, vt aduertunt communiter Doctores, & non ſolum non eſt obligatio proſpiciendi vitæ alienæ, nec propriæ cum amiſsione ſtatus, ſed nec cum magnis, & extraordinarijs expenſis, quamuis omnino ſuperfluis vitæ, & ſtatui accerſendo, videlicet vndequaq; expertiſsimos Medicos, & prætioſiſsimas medicinas emendo: quia quãuis vita ſit phyſicè altioris ordinis

quam proprius ſtatus, & quam magna bona fortunæ, moraliter tamen, & quoad æſtimationem non multum admodum diſtant, quia vita eſt breuis, ſtatus verò & diuitiæ in fama, & in ſucceſſoribus quodammodo perpetuant hominem, ita vt multi potius eligant ſuo ſtatu integro mori quam eo amiſſo viuere, ac proinde non eſt admittenda obligatio proſpicien di vitę non ſolum alienæ, ſed neq; propriæ cũ amiſsione ſtatus, aut cũ magnis expenſis.

Ita tamen eſt obligatio ſubueniendi extreme indigenti, & etiam grauiter tantum indigenti modis prędictis, vt non ſit obligatio inquirendi illos niſi quando ſe offert prudens aliqua dubitatio exiſtentiæ alicuius indigentiæ ex dictis duabus, & quando facile poteſt inueniri.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrum præceptum eleemoſynæ non tantum oriatur ex miſericordia, ſed etiam ex iuſtitia?

CONVENIVNT Doctores obligationem ſubueniendi ei, qui non indiget extreme non eſſe ex iuſtitia, quia nullo fundamento id poteſt affirmari.

Eſt tamen difficultas, an obligatio ſubueniendi extreme indigenti ſit etiam ex iuſtitia.

Caiet quæſt. 118. art. 3. & 4. Sarmien. lib. de redditibus, Eccleſiaſt. 3. p. cap. 4. Turrecr. in cap. ſi fœneraueris diſt. 86. & Aragon quæſt. 32. art. 5. Partem affirmatiuam tuentur quã indicant Ambr. ſerm. 81. Baſilius oratione in diuites, Aug. in Pſalm. 47. dum dicunt diuites non dantes ſuperflua pauperibus retinere aliena, & peccare, ac ſi aliena raperent. & ratione poteſt probari, quia in extrema neceſsitate omnia ſunt communia ſicut erant ante ipſorum diuiſionem, ergo extreme indigens habet ius ad ſibi neceſſaria, & ſibi ex iuſtitia debentur.

Sotus verò lib. 5. de iuſtitia, quęſt. 3. art. 4. Nauar. cap. 24 num. 7. Molina diſp. 144. Vazq. cap. 1. dub. 5. Lorca diſp.

39.memb.4 Ægid disp. 27. diub. 7.& communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & meritò, quia ad obligationem adeo strictam iustitiæ ad subueniendum pauperi quamuis extremè indigenti nullum est sufficiens fundamentum, ergo admittenda non est, patet consequentia, antecedens autem probatur, quia propositio illa: *In extrema necessitate omnia sunt communia*: non est vera in eo sensu, quod dominium omnium fiat commune, quia verè non fit, quia tantum manet apud eundem Dominum, quia in principio non est facta diuisio, seu distributio eorum sub conditione indigentiæ extremè proximi, quia huius nullum adest inditium, sed facta fuit absolutè, sed tantum est vera propositio illa in eo sensu, quod misericordia, aut Charitas, quæ non quærit quæ sua sunt, ita facit bona esse communia extremè indigenti, vt Dominus eorum teneatur medijs illis ei subuenire, & quod sic indigens possit ea licitè ad sui subuentionem accipere, adhuc inuito Domino, quia tunc Dominus non erit inuitus rationabiliter, Domino autem non rationabiliter, sed irrationabiliter inuito non fit iniustitia in acceptione rei illius; ex quo constat ad rationem aduersariorum. Patres verò pro aduersarijs adducti, eo modo loquendi vtuntur hyperbole ad exagerandam obligationem elargiendi eleemosynam, non quia id sit in rigore verum.

Ex dictis constat diuitem non elargientem eleemosynã extremè indigenti non teneri ad restitutionem eleemosynæ non collatæ, nec ad recompensationem damnorum, quæ ex ea omissione orientur, quia scilicet obligatio restitutionis, & recompensationis tantum oritur ex iustitia non ex misericordia: nihilominus quamuis in paupere extremè indigentè non sit actio, seu ius iustitiæ contra diuites, vt sibi subueniant: potest tamen implorare officium iudicis ad id, & iudex ipse potest ex officio compellere diuites ad illi subueniendum, quia iudex Reipublicæ, cui eo ipso incumbit prospicere Reipublicæ, potest: imò, & tenetur compellere ad actus debitos, non solùm ex iustitia, sed etiam ex alijs virtutibus, quando necessarij sunt Reipublicæ. Et quia actus eleemosynæ est pius, ideò quando est debitus, non tantum com-

petit

petit iudici sæculari ad eum actum compellere, sed etiam Ecclesiastico: & id non tantum competit iudici in casu extremæ necessitatis, vt falso existimat Sotus, sed etiam quoties actus eleemosynæ est sub præcepto, vt optimè Sylvester, verbo, eleemosyna, quæst. 6. Caietan. & Lorca, quia Respublica pauperibus prouidere tenetur, vt ipsis subueniatur, quando est obligatio eis subueniendi.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm quando est obligatio eleemosynæ, sit gratis danda?

CONVENIVNT Doctores, ei qui non est absolutè indigens, sed tantum secundum quid, aut quia indiget in hoc loco, alibi tamen habet sibi sufficientia, aut quia in hoc tempore non habet, est tamen in Spe paulo post habendi, nõ esse obligationem ei subueniendi gratis, quamuis extreme indigeat, sed sufficere, si ei succurratur, vel dando illi ad mutuũ, vel ei vendẽdo rem, qua indiget dilata solutione.

Est tamen difficultas, an ei, qui simpliciter indiget, quia nullibi habet sibi sufficientia, nec ea sperat, si extreme indigeat, subueniendum sit liberali donatione, seu omninò gratis, an possit muto, vel quasi mutuo cum onere, videlicet restitutionis?

Sotus 4. de iustitia, quæst. 7. art. 1. Bañez quæst. 32. art. 6. dub. 3. Valent. puncto 3. Ægid. disput. 27. & Bonaci. disp. 3. quæst. 4. puncto 6. dub. 9. docent; dandam esse illi omninò gratis: quod indicari videtur in scriptura, & à Patribus: dum absolutè dicunt, dandam esse eleemosynam, quod ad minus habet locum in extrema necessitate simpliciter. & ratione probatur, quia in ea extrema necessitate omnia sunt cõmunia, ergo in ea danda est eleemosyna absolutè, & absq; onere aliquo; quia quod in ea necessitate datur pertinet ad ipsum, qui eam necessitatem patitur. Et id nõnulli limitant, vt tantum sit verum, quando eleemosyna facienda est ex omninò superfluis.

Adria-

Adrianus verò in quarto, de restitutione, quæst. quæ incipit: *Quia dictum est de lucro*: Couarr. in regula *peccatum*, p. 2. §. 1. n. 4. Nauar. cap. 17 num 61. & Tolet. lib. 8. cap 37. docent non esse necessarium dare illi eleemosynam omninò gratis, sed sufficere si ei detur sub mutuo. Et meritò, quia misericordia & præceptum eleemosynę tãtum obligat ad succurrendum necessitati, sed mutuo absque liberali donatione sufficienter succurritur necessitati quamuis simpliciter extremæ, ergo non obligat ad succurrendum liberali donatione, sed sufficit mutuo: & quia dicto modo indigens nequit absolutè offerre solutionem, & ad eam obligari nisi sub conditione, si fortè venerit ad pinguiorem fortunã, ideò succurrendum est non mutuo absolutè collato: si mutuo succurritur, sed sub dicta conditione collato, siue expressa, siue implicita, quod non impediet sic indigentem ingredi religionem, dum non adsit probabilis Spes, quod temporis decursu veniet ad pinguiorem fortunam, in qua possit soluere: nec poterit à sibi succurrente emi in seruum, quia obligationi misericordiæ non satisfit cum tanto incommodo indigentis, hanc nostram conclusionem amplectuntur Lessius c. 16. dub. 1. & Adam. disp. 2, q. 5. dub. 2. quando res erogãda, est magni momenti.

Si ergo extreme, & simpliciter indigenti non est ex præcepto succurrendum omninò gratis, sed sufficit mutuo, multo melius sufficiet sic succurre grauiter indigenti, quod non nulli, qui id negant respectu extremæ, & simpliciter indigentis, concedunt respectu grauiter indigentis.

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm pauper cui est obligatio succurrendi possit alienum, quo indiget arripere?

SVPPONIMVS, in quo Doctores primò conueniũt, paupe. ẽ cui non est obligatio succurrendi (vt diximus de paure, qui tantum indiget cõmuniter) non posse bona aliena arripere: nec eis ante necessitatem, siue licitè, siue illicitè habitis, vti ad sibi subueniendũ, quia tunc Dominus rei erit rationabiliter inuitus, quia nec Dominus rei est obligatus

ad

ad illi subueniendum, nec ipse est in necessitate adeo stricta, vt ob eam sibi liceat rem alienam vsurpare.

Conueniunt secundò Doctores: pauperem extreme indigentem posse arripere rem alienam, qua indiget ab eo, qui tenetur ipsi succurrere, aut posse re illius antea habita vti; quia tunc nec vsurpatio illa, nec vsus ille habet rationem furti, & iniustitiæ, quia non fit inuito Domino saltem rationabiliter: Tùm, quia Dominus rei est obligatus ad succurrendum illi quamuis non ex iustitia, sed tantum ex misericordia: Tùm etiam, quia pauper ille est in extrema necessitate constitutus, ne sinat se mori: quod si commode potest rogando rem obtinere, & non roget, sed arripiat peccat contra iustitiam, ad restitutionem tamen non tenetur. Et non solùm ipse extreme indigens potest, vt sibi subueniat alienum arripere: sed etiam alius tertius pro ipso, si iste tertius non habeat vnde possit illi subuenire, quia quando causa principalis licite potest, etiã potest causa instrumentalis pro principali operans saltem in materia iustitiæ: addimus; *Si iste tertius non habeat vnde possit illi subuenire*; quia si habeat sufficiens ad subueniendum, nihil potest arripere pro illo ab altero quamuis potente ac proinde etiam obligato quia quãuis sint alij, qui etiam possint integre, & teneantur: Nihilominus etiam ipse tenetur integre, quia tunc ipse, & quilibet ex alijs potentibus, tenetur integre, & in solidũ, si alij omittant quomodocumque omittant adhuc, quia nolunt subuenire, & nullus satisfacit obligationi, dando partem, si alij nihil dent, & si nullus subueniat, quilibet integre peccat, ac si solus teneretur: ergo si quilibet, qui integre potest, tenetur integre, quamuis sint alij, qui etiam possint & teneantur; si illi omittant, nullus qui potest integre & tenetur, potest ab altero, quamuis obligato ad subueniendum arripere ad id, quia quando subueniri potest absque vsurpatione alieni nõ debiti ex iustitia, est subueniendum absque vsurpatione. Vnde etiam quando sunt plures, qui possunt & tenentur subuenire extreme indigenti, ipse extreme indigens potest a quolibet si velit totum sibi necessarium arripere, quia quilibet tenetur ad totum, quando alij omittunt quomodocumque omittant: potest autem arripere quando commode nequit

peten-

petendo accipere, & si petat, & non sibi detur potest Domino inuito arripere, imò & vim vi repellere.

Quod si alius tertius non habeat sufficiens ad subueniẽdum extreme indigenti, poterit pro eo partem sibi defficiẽtem ab altero potente, arripere ob rationem dictam, & non totum, quia ei potest partialiter subuenire, ac proinde tenetur sic subuenire absque vsurpatione quantitatis, quam ipse potest subuenire. Et quia non est obligatio, ex quibuscumque bonis succurrendi extreme indigenti, nisi ex bonis, quæ non sunt simpliciter necessaria vitæ, nec statui, vt vidimus diffic. 7. ideo nec ipse extreme indigens, nec alius pro eo potest arripere nisi bona, quæ non sunt necessaria simpliciter vitæ nec statui Domini earum.

Est tamen difficultas, an pauper grauiter indigens possit aliena arripere ad sibi subuenendum ab eo, qui obligatur ei subuenire?

Sotus 5. de iustitia quæst. 3. art. 4. Valent. disp. 5. quæst. 10. puncto 3. & Adamus disp. 2. quæst. 6. dub. 2. partem negatiuam tuentur: quæ significari videtur in *cap. si quis*, 3. de furtis. Dum dicitur: *Si quis propter necessitatem famis, aut nuditatis, iuratus fuerit cibaria, vestem, vel pecus peniteat hebdomadas tres*, quibus verbis supponitur eum, qui in graui necessitate arripit aliena peccare, dum ei ob id imponitur pœnitentia. Et ratione potest probari, quia extra extremã necessitatem bona non fiunt communia ipsi indigenti, quãuis grauiter, ergo absque iure proprio contra ius Domini pauper quamuis grauiter indigens arripit bona illius, vt sibi subueniat; & multo minus alius tertius poterit assumere bona aliena ad subuenendum grauiter indigenti.

Nauarr. verò cap. 17. num. 4. Vazq. dub. 7. & Ægid. dub. 10. partem affirmatiuam tradunt, & merito, quia tunc Dominus rei non erit inuitus rationabiliter, quia est obligatus, vt supponimus quamuis tantum ex misericordia ad subueniendum ei pauperi, ac proinde arreptio illa non erit furtũ, seu iniustitia, sed erit licita, & non solum ipsi grauiter indigenti, sed etiam alij tertio ad subueniendum illi, quia quod licitè potest causa principalis, etiam potest causa instrumẽtalis illius, seu pro illo, quod etiam intelligitur quando ipse

ter-

Tertiùs non habet vnde subueniat grauiter indigenti, eo modo quo diximus respectu extreme indigentis, ob eandem omnino rationem.

Et quia non est obligatio subueniendi grauiter indigenti, nisi ex bonis omnino superfluis vitæ, & statui, vt diximus diffi. 6. ideò ex his solis potest grauiter indigens arripere, aut alius pro ipso.

In eo autem capit. *si quis*, ab aduersarijs adducto (præterquam, quod tantum est desumptum ex pœnitentiali Theodori, & non est aliquo Concilio, nec ex aliqua Decretali Pontificia) vel est intelligendum de eo, qui quamuis grauiter indigeat, arripuerit tamen rem alienam indebite, quia rogando, aut alia via potuerit rem illam obtinere: vel intelligendum est de eo, qui non sit in graui necessitate, sed tantum in communi, quia non omnis qui patitur famem, aut nuditatem est in graui necessitate.

Obseruandum est, vt optimè Vazquez, quod quando sunt plures in extrema, aut in graui necessitate, & non potest quis omnibus subuenire possit prolibito, huic aut illi subuenire: quilibet tamen ex extreme indigentibus possit ob suam extremam necessitatem ne finat se mori, arripere rem illius quamuis ille nulli extreme indigenti sit determinate obligatus: ex grauiter verò indigentibus nullus potest arripere rem illius, quia ex vna parte nulli ex illis est determinate obligatus, & ex altera parte necessitas tantum grauis, non est adeo stricta, vt ratione sui absque vi obligandi determinate aliquem, sufficiat ad tantam licentiam: credimus tamen in ea graui necessitate posse indigentem consumere rem illius antea possessam, præsertim licitè possessam, vt ex depositò, aut ex cõmodato possessa.

(?.)

DIF-

DIFFICVLTAS XI.

Vtrùm pauper cui eſt obligatio ſubueniendi, qui rem alienam ad ſibi ſubueniendum arripuit, & conſumpſit, teneatur illam reſtituere ſi ad pinguiorem fortunam veniat?

CONVENIVNT Doctores obligationem reſtituẽdi rem alienam conſumptam ante neceſsitatem, adhuc extremam, & obligationem ſoluendi debitum ortam ante dictam neceſsitatem non extingui, ſed ſopiri, quia neutrius dictæ obligationis extinctio, eſt requiſita ad ſubueniendum ei neceſsitati, ac proinde ſic indigentẽ, ſi veniat ad pinguiorem fortunam teneri ad reſtitutionem illius rei conſumptę, & ad ſolutionem illius debiti.

Eſt tamen difficultas, an extreme & ſimpliciter indigẽs, qui arripuit rem alienã, & eam conſumpſit ad ſibi ſubueniẽdũ, teneatur ad reſtitutionẽ illius ſi ad pinguiorẽ fortunam veniat, & idẽ eſt de re aliena quã ante eam neceſsitatem habebat ſiue furto, ſiue ex depoſito, ſiue aliter, ſi eam ad ſibi ſubueniendum conſumpſit?

Sot. & alij quos dif. 9. retulimus affirmantes eleemoſynã eſſe ex obligatione dandã omnino gratis, extreme & ſimpliciter indigenti, cõmuniter docent eũ nõ teneri ad reſtitutionem rei arreptæ, & conſumptæ ad ſibi ſubueniendũ, quia ſicut Dominus rei tenebatur illam abſq; onere reſtitutionis illi gratis donare, ita etiam ipſe pauper potuit illam abſque eo onere arripere.

Adrian. verò, & alij quos in ea dif. 9. retulimus affirmãtes eleemoſynã non eſſe ex obligatione omnino gratis donandã adhuc ei, qui extreme, & ſimpliciter indiget, ſed ſatisfieri eã dando ſub mutuo conditionato, ſub cõditione videlicet: *Si fortè fit indigens ad pinguiorẽ fortunã veniat*: cõmuniter docent eũ teneri ad reſtitutionẽ rei arreptæ, & conſumptæ ad ſibi ſubueniendum ſi ad eam fortunam veniat, & meritò, quia ſicut Dominus non tenebatur rem illam omnino

gra-

gratis donare, sed satisfaciebat eâ dando sub onere retributionis dicto modo conditionato, ita etiam pauper non potuit illam absque eo onere arripere, nec consumere.

Quod si extreme, & simpliciter indigens tenetur ad restitutionem rei arreptæ & consumptæ ad sui subuentionem, multo melius tenebitur pauper grauiter tantum indigens: quia Dominus rei multo minus tenetur rem illi omnino gratis donare, quam extreme, & simpliciter indigenti.

Si tamen quis licitè arripuit rem alienam aut eam anteà habens concessit pauperi extremo, aut grauiter indigenti ad illius subuentionem, ipse arripiens, aut concedens non tenetur ad restitutionem, sed ille ad cuius subuētionem fuit arrepta, & à quo fuit consumpta.

Et ob rationem dictam extreme, aut grauiter indigens re sua necessaria ad solutionem debiti, eam consumens ad sibi subueniendum, adhuc manet obligatus ad solutionem debiti sub conditione si veniat ad pinguiorem fortunam, etiam quando illam dedit alteri indigenti: iste tamen indigens manet debitor ipsi debitori sibi danti sub eadem conditione, nempè si veniat ad pinguiorem fortunam.

DIFFICVLTAS XII.

Utrùm debitor extreme & simpliciter indigens re quam debet, teneatur eam soluere creditori, ea etiam extreme & simpliciter indigenti?

SCotus in 4. disp. 15. quæst. 2. Gab. quæst. 2. art. 2. concl. 2. & Sotus lib. 4 de iustitia quæst. 7. art. 4 docent, quod si debitor prius incidat in extremam necessitatem, quam creditor non teneatur soluere debitum creditori: quia tunc debitor ante extremam necessitatem creditoris acquisiuit ius ad retinendam solutionem: si verò è contra creditor prius

inci-

incidat in extremam neceſsitatem quam debitor, tunc hic teneatur ſoluere creditori, quia extrema neceſsitas creditoris prius contingens impedit, ne debitor ob ſuam extremã neceſsitatem acquirat dictum ius.

Quando verò debitor & creditor ſimul incidunt in extremã neceſsitatẽ (ſeu quod in idẽ recidit, quando non conſtat vter eorum prius in eam inciderit) eſt controuerſia interdictos, & inter alios authores, quia *Scotus*, & Gabriel (quos plures ſequuntur, alij abſolutè, & alij cum limitatione) exiſtimãt, tunc debitorem teneri ſoluere creditori: quia tunc in creditore eſt duplex titulus, vt ſibi ſoluatur: nempè & quod ſibi debeatur, & etiam quod ſit in extrema neceſsitate, in debitore verò tantum eſt vnus, vt non ſoluat. nempè extrema neceſsitas. Sot. verò, & Caie. 2. 2. q. 63. art. 5. (quos etiam plures ſequũtur, alij abſolute, & alij cum limitatione) exiſtimant è contra quod ſcilicet, tunc debitor non teneatur ſoluere, quia durum ſit ſe expoliare re quam poſsidet, & qua ſibi extreme indigenti poteſt ſuccurrere, vt alteri quamuis creditori ſuccurrat.

Nos tamen exiſtimamus, quod quando debitor & creditor in eodem tempore occurrunt in extrema neceſsitate, ſi res qua facienda eſt ſolutio ſit ſub dominio ipſius debitoris & non creditoris, vt quãdo debitor debet creditori, vel quia damnificauit rem illius, vel quia ab eo furatus eſt rem quam conſumpſit, vel quia contractu vſurario accepit à creditore pecunias, quas expendit, vel quas confudit cum ſuis, vel aliter, tunc debitor extreme indigens non tenetur ſoluere creditori quamuis extreme indigenti, vt ei ſuccurrat ſi ipſe ad ſibi ſubueniendum egeat re debita, quia durum eſt debitorẽ in extrema neceſsitate conſtitutum, ſe ſpoliare re ſua, & propria, & quam poſsidet, quamuis ſit debita alteri exiſtenti in ſimili neceſsitate: ex quo ad rationem Scoti & Grabrielis adductam contra hanc noſtram priorem partem conſtat, quod in debitore ſit triplex titulus. Nempè & dominij rei & poſſeſsionis illius, & extremæ neceſsitatis: in creditore verò tantum ſit duplex: nempè extreme neceſsitatis & iuris ad rem illam, & nõ in illa, nec poſſeſsionis illius, & hanc noſtram poſteriorem partem veram exiſtimamus: etiamſi cre-

ditor prius incidat in extremam necessitatem, quia extrema necessitas ea anterioritate non impedit, nec auffert dominium rei in debitore, nec possessionem illius quamuis tunc debitor peccauerit contra iustitiã, non soluendo ante euentum suæ extremæ necessitatis.

Si verò res debita sit sub dominio creditoris, vt quando debitor debet rem, quia eam habet commodatam, aut depositam, aut locatam à domino, aut furto arreptam, aut aliter: tùm debitor quamuis extreme indigens ea re tenetur eam reddere creditori, seu domino, quia in extrema necessitate vtriusque potius est preferendus dominus rei, quam alter eâm possidens, quando eam possidens, non habet alium titulum ad continuandam possessionem, quam titulum extremæ necessitatis, quia hæc etiam est in verò domino rei simul cum dominio illius rei, quod est quid maius quam possessio: ex quo constat ad rationem Soti, & Caiet. quatenus contra hanc nostram posteriorem partem probare contendit: quam etiam credimus veram quamuis debitor prius incidat in extremam necessitatẽ, quia ea anterioritate nullum acquirit ius, etiamsi ipsi liceat ante extremam necessitatem creditoris non soluere, quia credito tenetur ex misericordia non exigere debitum.

Addidimus, quando debitor eam rem alienam possidens non habet alium titulum ad continuandam possessionem illius rei, quam titulum extremæ necessitatis, quia si habeat alium, vt titulum commodatæ, aut locatæ, aut aliter ad vsum illius pro eo tempore, intra quod ipsi & creditori contingit extrema necessitas, tunc debitor intra illud tempus non tenetur rem illam soluere creditori, quãuis ex tunc extreme indigenti vsu illius rei, sed potest ea vti ad sibi subueniendum, vt equo ad fugiendũ hostes alias occisuros ipsum debitorẽ & creditorẽ, si non fugiant, quia debitor alias pro eo tẽpore habet ius ad vsum illius rei, & non creditor.

In casibus ergo, in quibus iuxta dicta debitor extreme indigens tenetur soluere creditori, & non soluit non tãtum peccat contra iustitiam non soluendo, sed etiam tenetur ad damna, quæ eueniunt creditori ex omissione, aut dilatione solutionis.

Addimus, quod quando in eodem tempore occurrunt extrema necessitas creditoris, & extrema parentis, aut alicuius ascendentis, aut alicuius descendentis, aut vxoris ipsius debitoris, potius tenetur debitor subuenire illis quam creditori in casibus, in quibus ipse quando extreme indiget re quã debet, non tenetur soluere creditori, quia prædicti sunt, quasi ipse debitor, vtpotè sibi maxime coniuncti naturaliter, quod nonnulli etiã extendunt ad fratres debitoris, & non absq; ratione aliqua: nullus tamen id extendit vltra primum gradum lineæ transuersæ.

DIFFICVLTAS XIII.

Ex quibus bonis eleemosyna possit licitè fieri?

CONVENIVNT Primò, Doctores eleemosynam posse licitè fieri ex bonis proprijs, quorum quis habet expeditum dominium, quia de eis potest licitè disponere.

Excipimus tamen primò, quando bona propria, sunt necessaria ad conseruationem vitæ suorum, quia tunc isti sunt ex obligatione præferendi extraneis; quamuis extreme indigentibus: & etiam quando bona propria sunt necessaria simpliciter statui suorum, quia etiam tunc isti sunt præferendi extraneis simili modo indigentibus, imò & extreme indigentibus, quando sui sunt ascendentes, aut descendentes, aut coniux, aut fratres. Poterit tamen quis ex bonis proprijs necessarijs ad conseruationem vitæ eleemosynam facere extraneis extreme indigentibus, & ex bonis proprio statui simpliciter necessarijs eleemosynam facere extraneo simili modo indigenti, de quibus ex professo dicemus disp. 7.

Excipimus secundò, quando bona propria sunt necessaria ad solutionem debitorum, quia tunc præferenda est ex obligatione solutio debitorum eleemosynæ, & non è cõtra: poterit tamen ex eis bonis fieri eleemosyna extreme, aut grauiter indigenti, ea proportione, qua id statim dicimus posse fieri ex bonis alienis.

Conuniũt secundò Doctores ex bonis alienis non posse licitè fieri eleemosynam, quia de eis non possumus disponere, ac proinde, non solum non est licitum arripere bona aliena ad dandam eleemosynam, sed nec eam dare ex bonis alienis, quę quis habet apud se depositа, aut commodata, excipimus tamen quando bona aliena sunt necessaria ad subueniendum extreme, imò & grauiter tantum indigenti, quia tunc eleemosyna potest licitè fieri ex illis modo dicto difficult. 10. Bona autem ab incertis dominis ablata expendenda sunt in pios vsus in fauorem ipsorum apud Deum, præsertim in Missas, quæ maximè conducunt apud Deum.

Conueniunt tertiò, ex bonis illicitè acquisitis in pretium alicuius actus mali, vt ex bonis acquisitis à meretricibus, lenonibus, histrionibus, & assassinis, posse fieri eleemosynam, quia dictæ personæ verè acquirunt, & habent dominiũ eorum nulla prohibitione ad id impeditum. Cauenda tamen est indecentia si aliqua possit esse, vt esset si meretrix vellit imagini offerre vestem, qua vtebatur ad illicitum quæstum. Ex bonis verò ex illicito contractu acquisitis, vt ex acquisitis ex simonia, aut ex aliquibus acquisitis absque titulo, vt ex acquisitis à Beneficiario non recitante horas Canonicas, regulariter potest fieri eleemosyna, & debet siue iure naturali, siue positiuo, prout vno, aut altero necessarium sit, de quibus in proprijs locis. Interim tamen ex bonis simoniacè acquisitis pro beneficio, debet fieri eleemosyna, aut restitutio fabricæ Ecclesiæ cuius est beneficiũ, & ex bonis simoniacè acquisitis pro intercessione apud Pontificem, siue pro iustitia, siue pro gratia, debet fieri pauperibus: & ex acquisitis à Beneficiario non recitante horas Canonicas debet ex bonis, quæ corresponderent recitationi fieri eleemosyna, vel fabricæ Ecclesiæ, in qua est beneficium, vel pauperibus (pro optione beneficiarij) quamuis sint distincti oppidi, imò & Episcopatus ab eo, in quo est beneficium, & non minus potest fieri suis cognatis, imò & sibi ipsi, quamuis non mendicis si egeant ad decentiam sui status.

DIF-

DIFFICVLTAS XIIII.

Qui possint eleemosynam licitè facere?

CONVENIVNT Doctores eum posse licitè eleemosynam facere, qui habet propria bona, & nullo iure est impeditus ad eorum administrationem: & etiam eum qui quamuis non habeat propria bona, sed aliena, est tamen legitimus dispensator eorum: eum verò qui aut non habet dominium rerum, & expeditum ad earum administrationem, aut non est legitimus rerum dispensator non posse facere eleemosynam, nisi ex consensu expresso, aut interpretatiuo veri Domini non impediti ad administrationem, vel legitimi dispensatoris, quamuis non habentis dominium, aut nisi in casibus extreme, aut grauis necessitatis proximi, in quibus dif. 10. diximus posse ad id arripi alienũ, petita tamẽ prius venia à Domino, aut à legitimo administratore si commode possit.

Hoc ergo suppositio: Religiosus, si superior sit nullum in religione habens superiorem, vt potè suppremus dispensator rerum religionis, potest absolute eleemosynas facere ex superfluis religioni, in ea quantitate, cui cõsuetudo, aut lex religionis nõ resistit: siue verò superior habeat aliũ sibi superiorẽ non poterit eleemosynã facere, nisi iuxta legẽ, aut cõsuetudinẽ religionis, aut consensum saltẽ probabiliter præsumptũ sibi superioris. Et si Religiosus non sit superior, nõ potest facere eleemosynã, nisi ex consensu sui superioris, saltẽ probabiliter præsumpto, qui dũ non exprimitur, nõ præsumitur regulariter, vt Religiosus dũ est in oppido sui Conuentus eleemosynã faciat, bene tamen, vt eam faciat, dũ ex licentia superioris iter agit, & dũ cõmoratur particulariter in studijs, ex eis quæ sibi conferuntur ad victũ & vestitũ, moderatam tamen, quantã ordinarij & modesti Scholastici, aut iter agentes facere solent: nec religiosus poterit absq; peccato contra paupertatis votũ, quamuis non contra iustitiã efficere eleemosynam, nec donationẽ ex cõsensu veri Domini bonorũ, si suo nomine illã faciat, quia id est disponere, de bonis datis, in eleemosynã, aut in alias donationes tanquã Do-

minum illorũ: imò nec nomine ipsius domini, si suo arbitrio illas efficiat, cui ipse voluerit, quia id est libere vti, & disponere de illis bonis, qui est actus exercitus medio iure sibi cõcesso à domino ad id, qui etiam est contra paupertatem Deo promissam, quia est actus habentis ius ad eam distributionem, & non purè executoris, & quasi famuli: poterit tamen rẽ petere, & accipere à domino ad eam conferendam alicui determinate, & eam nomine domini conferre: quia id nõ est exercere actũ aliquẽ domini, nec habentis ius ad rem, sed est esse mere executorem, & quasi famulum domini.

Superior Ecclesiæ, vt Decanus non potest eleemosynam facere ex bonis communibus, non solùm ex vnicuique distribuendis, sed nec ex bonis, quæ post dictam distributionem factam supersunt, quia nec est dominus, nec dispensator eorum: bene tamẽ ipsum Capitulum Ecclesiæ ex bonis, quæ post dictã distributionẽ supersunt, si maior pars consentiat, vt significatur in cap. *cum Ecclesiarum* de his quæ fiunt à maiori parte, quia Capitulũ est legitimus dispensator eorũ, & maior pars, efficit Capitulũ: nõ tamen ex bonis, quæ veniunt singulis destribuenda, nisi omnes cõsentiant, etiã portionarij, qui regulariter nõ habent votũ in Capitulo, quia ea ad quẽlibet pro parte pertinẽt, & Capitulũ non est dominus, nec dispẽsator eorũ, vt dicitur in c. *cum omnes*, de constitutionibus.

Filius familiàs nequit, nisi ex consensu Patris, saltem probabiliter præsumpto facere eleemosynam ex bonis parẽtũ: nec ex bonis profectitijs, id est, quæ ei sũt donata à patre, aut ab alio nomine, aut intuitu patris, quia horũ non solum non habet administrationẽ, sed nec dominiũ dũ pater viuit: nec ex bonis proprijs aduentitijs, id est, quæ ei adueniunt aliunde quã à patre, vt propria industria, seu labore, aut legato, aut donatione ab alio, quã à patre facta, & nõ nomine nec intuitu patris, quia quãuis habeat horũ dominiũ, nõ tamẽ administrationẽ, quia hæc est apud patrẽ. Potest tamen absq; consensu patris, imò ipso inuito eleemosynã, & alias donationes facere ex bonis Castrensibus, id est, acquisitis in Castris, vel donatis à patre ipsi eunti ad Castra: vel ad Palatiũ Regis, vt ei tãquã miles custodiæ seruiat: & etiã ex bonis quasi castrẽnsibus, id est acquisitis à filio salario ex officio publico,

blico, vel largitione Principis, vel donatione patris ipsi cūti ad palatiū Principis, vel gradu Magisterij, & Doctoris, vel beneficio Ecclesiastico, quia filius non solū habet dominū, sed etiam liberam administrationem omnium bonorum Castrensium, vel quasi Castrensium, & idem quo ad omnia prædicta de filio respectu patris, dicendū est de minore respectu curatoris, & de pupillo respectu tutoris, quod scilicet minor possit absq; consensu curatoris, & pupillus absq; consensu tutoris facere eleemosynā, & alias donationes ex bonis Castrēsibus, & ex quasi Castrēsibus, nō verò ex alijs: administratores verò eorū, & aliorū possūt pro eis quorū bona administrant, eleemosynas aliquas moderatas facere ex voluntate præsumpta dominorum, melius tamen erit dare illis bona, ex quibus per se ipsos illas efficiant, aut saltem, quod id fiat ex eorum consensu expresso.

Vxor etiam nequit absque consensu saltem probabiliter præsumpto mariti eleemosynam facere ex bonis mariti, quia eorum nec habet dominium, nec administrationem, vt patet: nec est bonis communibus sibi & marito, quia quamuis horum pro parte habeat dominium, non tamen administrationem: ex bonis tamen paraphernalibus, id est, proprijs vxoris vltra dotem, quam marito tradit, pro oneribus matrimonij potest vxor iure communi, vbi non sit lege, aut consuetudine oppositum decretum, eleemosynas, & alias donationes facere absque consensu mariti: & etiam ex bonis propria industria, & labore peculiari acquisitis, vltra laborem requisitum ad sustentationem, & gubernationem domus: In Hispania verò nequit vxor ex bonis paraphernalibus, nec ex bonis dicto peculiari labore acquisitis eleemosynas facere absque consensu saltem præsumpto mariti: nec ex acquisitis adulterio, quia in Hispania nullorum bonorum habet administrationem quamuis paraphernalium habeat dominium integrum, & aliorum pro parte.

Nihilominus vxor primò, potest facere eleemosynas quas alię suę sortis cōmuniter faciūt, in quo Doctores cōueniunt, quia id præsumitur vel maritus imò vt optimè Molin. disp. 272. Lessius cap. 12. dub. 14. Ægid. dub. 5. & Petr. Nauar.

lib. 3. cap. 1. num. 83. contra non paucos, id potest vxor facere quamuis Maritus expresse dissentiat, & prohibeat, in quod inclinat Granado, disp. 5. quia id pertinet ad statum decentem vxoris, quem maritus sustentare tenetur, si commode possit.

Secundò, vxor etiam dissentiente marito potest eleemosynam facere ex quantitate sibi assignata ad sui ornatum, & honestam recreationem, quia habet liberam administrationem illius.

Tertiò, potest dum maritus expresse non dissentiat, aliquid donare, aut eleemosynam facere ad auertendum malũ temporale mariti sicut 1. Reg. 25. fecit Abigail, quando obtulit Dauidi munera, ne amplius in suum maritum sæuiret: imò & potest eleemosynam moderatam vltra communes facere, vt à Deo impetret auersionem mali mariti.

Quartò, quando maritus est amens potest eleemosynas, & alias donationes facere, sicut posset maritus, si non esset amens, quia tunc ipsa est administratrix bonorum, sicut esset maritus: imò & quando maritus est absens, potest eas facere quas maritus faceret, quia tunc vxor habet administrationem ex commissione mariti in eius absentia, sed non plures, nec maiores, quam maritus faceret, quia tunc maritus dum aliud non exprimit ad id limitat dictam commissionem.

Seruus qui est mancipium, nequit regulariter eleemosynam facere absque consensu saltem præsumpto domini sui; quia regulariter nihil habet proprium, nec seruus, qui non est mancipium, & dicitur famulus ex bonis domini: vterque tamen potest ex bonis, quæ dominus illis concedit ad ipsorum sustentationem, quando ex eis aliquid sibi subtrahunt: Quod non licet Religioso in Conuentu habitanti, quia tunc id potest præsumi dominum mãcipij, & famuli velle, non verò Prælatum Religiosi, ob strictiorem modum viuendi, Religioso congruentem, & ob subordinationem conueniẽtem domui Religiosæ, vt aduertunt Ægid. dub. 5. Azor, cap. 10. & Lorca disp. 36.

Criminosi verò, quibus iure ipso sunt bona cõfiscata possunt ex eis eleemosynas, & alias donationes facere, quousq;

per

per sentẽtiã, & huius executionẽ ab ipsis auferantur, vt tradũt cõmuniter Doctores, quia vsq; ad executionẽ dictæ sentẽtia non sunt spoliati possessione, & vsu illorum bonorum.

DIFFICVLTAS XV.

Quibus danda est eleemosyna?

SVPPONIMVS Pauperibus, seu indigentibus, & ipsis solis dandam esse eleemosynam, quia eleemosyna est actus misericordiæ, & hæc respicit miseriam, seu indigentiam, & eam solam, vt eam subleuet.

Est tamen difficultas, an eleemosyna data ei, qui fingit se esse pauperem sit valida, quia esse illicitam ex parte eam accipientis est absq; dubio, quia accipitur, seu obtinetur fraudulenter.

Circa difficultatem ergo Sotus 9. de iustitia, quæst. 7. ar. 3. & Granado disp. 6. docent esse validam, & eum qui eam accipit non teneri ad restitutionem illius, quia ratio præcipua, seu motiua dandi eleemosynam est obsequi Deo, quod verè subsistit, paupertas verò tantum est conditio materialiter, & peraccidens, & ratio tantum impulsiua, donatio autem est valida, & firma quando subsistet ratio præcipua, seu motiua, quamuis deficiat impulsiua. Id tamen limitant, vt tantum sit verum, in eleemosynis quotidianis, & ordinarijs, non in magnis, & extraordinarijs. Quod etiam sequi videtur Nauar. cap. 17. num. 107.

Scotus verò in 4 d. 15. quæst. 2. artic. 3. Vazq. dub. vlt. Lorca disp. 37. AEgid dub. 6. & communiter Doctores absolute, & absque limitatione docent eleemosynam ficto pauperi datam esse nullam, ac proinde eam accipientem teneri ad restitutionem, & meritò, quia tunc illa donatio non est voluntaria, ergo non est valida, consequentia patet, quia absque voluntate Domini non datur valide res, antecedens autem constat, quia tunc donans non donat, seu non intendit donare nisi, vt eleemosynã, & tamen non est eleemosyna quia non est subleuatio paupertatis, seu indigentiæ, quia

non

non est paupertas. Vnde tunc donans errat, seu decipitur in titulo dictæ donationis, seu in conditione essentiali donationis, vt eleemosyna est, qua sola ratione tunc intenditur donari à donante, error autem circa titulum, seu circa conditionem essentialem, cuiuscumque contractus etiam donationis, efficit illum non voluntarium, & consequenter nullum.

Ad rationem ergo Soti respondemus, quod quamuis obsequi Deo, possit esse ratio præcipua, & motiua donationis eleemosynæ (quod non est necessarium vt sit eleemosyna) est tamen remota, & extrinseca ipsi eleemosynæ specificatiua alius actus nempè Charitatis imperantis donationem eleemosynæ, quia ratio motiua intrinseca ipsi eleemosynæ immediata, & specificatiua donationis eleemosynæ vt est eleemosyna, & vt est actus misericordiæ, quo immediate fit, est subleuatio paupertatis, & miseriæ, & mediante ea donatione, vt est eleemosyna intenditur placere, & obsequi Deo, si id intenditur, quia ad eleemosynam non est necessarium id intendere, & ideo, quando deficit miseria, seu indigentia in eo, cui fit donatio illa, & deficit subleuatio miseriæ, donatio illa non est voluntaria, vt est eleemosyna, ac proinde est nulla, quamuis adsit obsequium Dei.

Quando verè datur eleemosyna vero pauperi, qui fingit se sanctum, aut cognatum eius à quo petit eleemosynã, tunc illa est valida, si datur vt eleemosyna, ac proinde accipiens non tenetur ad restitutionem, etiamsi dans, eam non daret, si agnosceret pauperem non esse sanctum, nec cognatum, quia tunc vt eleemosyna, qua ratione datur, verè est voluntaria, & vt data huic, vt pauperi, quamuis vt data huic, vt sancto, aut vt cognato non sit voluntaria, imò sit inuoluntaria implicite: tunc autem præsumendum est dari vt eleemosynam, seu pauperi, vt pauperi, & non vt sancto, nec vt cognato, quando non datur maior saltem notabiliter quam exigat indigentia manifestata, vt Vazquez aduertit, etiamsi sanctitas aut cognatio sit causa impulsiua, imò quamuis sit motiua, vt illi detur vt pauperi, quia tantum erit motiua remote, & extrinsece.

Si tamen vere pauper fingit maiorem paupertatẽ, elee-

mosy-

mosyna non erit valida, & erit obligatio restituendi, si excessus paupertatis fictus etiam intret rationem motiuam proximam ad eleemosynam, vt si alias non daretur eleemosyna: erit vero valida, & non erit obligatio restituendi, si excessus ille non intret rationem motiuam, sed tantum sit impulsiua conducens vel vt facilius, vel vt alacrius detur: & talis censendus est excessus fictus quando non est magnus, nisi aliunde constet intrare rationem motiuam.

Cui autem facienda sit restitutio eleemosynę inualidæ ob paupertatem fictam, aut ob excessum paupertatis fictum non conuenit inter Doctores nostræ sententiæ, quia alij existimant faciendam esse veris pauperibus, & non ipsi danti, quia qui illam dedit, abdicauit à se dominium, eam intendendo dare veris pauperibus. Alij vero existimant è cõtra dandam esse ipsi danti, & non pauperibus, quia dans retinet dominium, quia non voluit illam donare, nisi illi pauperi ficto, ob quod donatio fuit nulla, & non fuit facta abdicatio dominij, & hoc in rigore est verum ob hanc rationem. Nihilominus quando eleemosyna fuit modica potest alijs veris pauperibus restitui ex voluntate præsumpta dantis quando aliud non constat de voluntate illius.

DIFFICVLTAS XVI.

Vtrum pauperibus, qui laborare potentes, non laborant, sit danda eleemosyna?

SVPPONIMVS Eleemosynam dandam esse illis pauperibus quamuis laborare potentibus, & non laborantibus, qui ex rationabili causa paupertatem libere amplectuntur, vt Religiosis qui eam amplectuntur, vt Christum pauperem imitentur: & vt exercitijs spiritualibus vacent, & etiam alijs quamuis non Religiosis, qui paupertatem amplectuntur non ex tædio laboris, & vt otio indulgeant, sed vel vt Christum imitentur, vel vt exercitijs spiritualibus

vacent

vacent, vel quia laborare dedecet statum, aut dignitatem personæ, quia in omnibus prædictis est vera indigentia, & ex rationabili causa. Hęc autem indigentia quamuis voluntarie assumpta habet rationem miseriæ quatenus est contra voluntatem, seu desiderium quo desideratur, vt ei subueniatur.

Hoc ergo supposito difficultas est: an eleemosyna danda sit pauperibus, qui paupertatem libere patiuntur absque rationabili causa, vt mendicis validis, qui ex vna parte suo labore se possunt sustentare, & ex altera labor eos non dedecet, nec in eis impedit exercitia spiritualia, quia alias eis non erant vacaturi; sed ex solo tædio, & ignauia non laborant, & ideo mendicant, vt se sustentent.

Sotus in deliberatione in causa pauperum, cap. 3. Lorca disp. 37. Vazq. cap. 3. dub. 1. AEgid. dub. 6. & Adamus quæst. 6 dub. 3. docent: Non esse licitum dictis pauperibus eleemosynam petere, nec esse licitum illis dare, quod indicari videtur 2. ad Thes. 3. *Si quis non vult laborare non manducet.* Et ratione probatur, quia isti absque rationabili causa patiuntur voluntarie paupertatem, quia eam possunt laborando impedire, ergo absque rationabili causa eleemosynam petunt, & ipsis datur.

Alexand. verò, 4. p. quæst. 108. memb. 2. Gab. in 4. d. 16. quæst. 4. art. 3. dub. 1. & Medina Cod. de eleemosyna cap. 7. & 8. docent: Prædictis licitum esse eleemosynam petere, & alijs eam illis dare, & non absque probabilitate, quia ex vna parte professio paupertatis ex se absque malo fine: quamuis nulla adsit causa ad professionem illius, non est vnde sit mala, quia nulli opponitur virtuti, & ex altera parte laborare non est sub præcepto, quia ex se non est sub præcepto, vt patet, nec est sub præcepto ad vitandum otium, & mala inde prouenientia, quia absque eo labore vitari possũt operibus misericordiæ, & alijs bonis operibus, sicut diues non tenetur laborare vt illud euitet, nec laborare est sub præcepto ad frænandum corpus, quia quando id sit necessarium corpori potest alijs operibus pœnitentiæ fieri.

Vnde ad rationem aduersariorum constat, quod quamuis dicti pauperes paupertatem patiantur absque rationa-

bili

bili causa, eam tamen patiuntur absque peccato, & ea supposita non petunt eleemosynam absque rationabili causa quia vera paupertas est rationabilis causa, imò est ipsa causa ad petendam eleemosynam. Id tamen non tollit posse dictos pauperes validos lege aliqua iuste prohiberi mendicare, quia id erit Reipublicæ vtile, vt pauperibus inualidis facilius subueniatur, eis tribuendo eleemosynas, quæ validis conferuntur.

Paulus verò 2. ad Thesal. 3. tantum loquitur de ijs quibus non laborare, seu non operari est occasio curiose, & inquiete viuendi vt constat, ex contextu.

DIFFICVLTAS XVII.

Vtrum eleemosyna danda sit omnibus alijs verè pauperibus?

CONVENIVNT Primò Doctores eleemosynam dandam esse pauperibus quamuis peccatoribus, vt significatur ad Galat. 6. dum monemur operari bonum ad omnes etiam ad infideles, qui verè sunt peccatores. Et Matth. 5. dum monemur benefacere etiam ijs, qui oderunt nos, qui eo ipso sunt peccatores, & dum subditur: *Vt sitis Filij Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos.* Est autem eleemosyna danda pauperibus peccatoribus, nisi eleemosyna ipsa foueatur in suis peccatis, quia id esset cooperari ad eorum peccata, & id intendunt Patres, & significatur in Scriptura, dum dicitur, & significatur peccatoribus non esse benefaciendũ subintellige, quando beneficio ipso fouentur in suis peccatis; criminoso etiam damnato vt fame pereat, etiam in tempore in quo præcipitur executio sententiæ potest eleemosyna conferri à quibuscumque, exceptis iudice, qui sententiam tulit, & eo, cuius authoritate eam tulit, & etiam custode, cui præceptum est, vt exequatur sententiam, impediendo ne illi exhibeatur alimentum, quia dum generaliter non prohibetur omnibus à iudice præbere, criminoso alimentum, non

cen-

censetur sententia tanta seueritate lata. Nullus tamen tenetur illi eleemosynam, aut alimentum præbere.

Conueniunt secundo Doctores pauperibus quamuis proprijs inimicis dandam esse eleemosynam, quia vt Christus Matth. 5. expressit benefaciendum est eis, qui oderunt nos. Hostibus tamen Reipublicæ, quamuis extreme indigentibus, non post licite dari eleemosyna adhuc dum sunt induciæ, si prudēter timeatur finitis inducijs grauiter nocituros Reipublicæ (etiamsi dum sunt induciæ non liceat illos male tractare positiue) quia sic prospicitur bono graui Reipublicæ, cui est sub obligatione prospiciendum. Inimicis tamen proprijs priuatis, à quibus timetur graue damnum, quamuis sint in extrema necessitate non est obligatio dandi eleemosynam, quia præceptum eleemosynæ non obligat cum tanto dispendio proprio præsertim inferendo ab ipsis: poterit tamen illis licite dari, quia bonum alienum potest hoc modo præferri proprio.

Tertio conueniunt communiter Doctores. Pauperibus exteris, & peregrinis dandam esse eleemosynam, quia misericordia etiam se extendit ad exteros, imò dum nulla subest peculiaris ratio, & causa nequit lege aliqua nec alio modo pauperibus exteris aditus præcludi, quia iure naturali vnicuique liberum est vbique commorari.

Quarto S. Th. & Cai. 2. 2. q. 32. art. 9. Soar. disp. 7. sect. 1. Lorca disp 37. Sanc. in sum. lib. 6. c. 11. nu. 54. Bonaci. disp. 3. q 4. p. 6. & communiter Doctores conueniunt contra Syluestrum, & Angelum, verbo, *eleemosyna*, eum cui committuntur pecuniæ ad eleemosynas faciendas posse ex eis sibi indigenti assumere, & subuenire, & etiam suis Filijs, & Parentibus indigentibus, quia est vera eleemosyna, & actus misericordiæ, etiam respectu sui, quia vere fit ab alio, quamuis per ipsum tanquam per commissarium.

Et ob eandem rationem, Beneficiarius, qui ob omissionē recitandi diuinum officiū, tenetur ad restitutionem aliquotum redituum, quæ facienda est, vel fabricæ Ecclesiæ in qua est beneficium, vel pauperibus pro optione beneficiarij satisfacit, eos sibi indigenti retinendo, quia id vere redditur paupertati: imò, & actu misericordiæ, quia ipse non sibi confert

id

id tanquam Dominus illius, quia nō est vere Dominus, qui a eos non facit suos. Is vero cui in pœnitentiam Sacramentalem imponitur elargitio eleemosynæ non satisfacit sibi indigenti retinendo eam eleemosynam, quia præterquā quod ea retentio non esset vera eleemosyna, & actus misericordiæ quia non esset ad alterum, etiam non esset pœnalis quod intenditur à confessario. Et ob hanc rationem idem dicendum est quoties restitutio alicuius rei præcipitur fieri pauperibus in pœnam illius, quod scilicet tunc non possit ille, in cuius pœnā illi præcipitur, eam sibi retinere, nec applicare.

DIFFICVLTAS XVIII.

Quomodo Ecclesiastici Beneficiarij teneantur ad eleemosynam?

NOMINE Ecclesiasticorum beneficiarorum etiam comprehendimus Episcopos, & maiori ratione quam alios. Supponimus ergo, vt non pauci Doctores aduertunt Ecclesiasticos Beneficiarios posse triplicia bona habere. Primo patrimonialia, nempē, quæ illis obueniunt ex hæreditate paterna, inter quæ etiam computantur ea, quæ donatione, aut propria industria acquisierunt. Secundo quasi patrimonialia nempe ea, quæ sibi vt Clerici acquirunt non tanquā redditus annuos beneficiorum, sed præcise ad eorū sustentationem, nempē ea quæ acquirunt celebrando, prædicando, cōfessiones audiendo, & distributiones quotidianæ quas acquirunt assistendo diuino officio in choro; quamuis ad ea ministeria ex officio teneantur. Tertio ipsi annui redditus Beneficij, qui Hispane appellantur *Gruesa*.

Hoc supposito conueniunt DD. cōmuniter primo Ecclesiasticos, siue Beneficiarios, siue non Beneficiarios, ex bonis patrimonialibus, & ex quasi patrimonialibus non teneri strictius ad eleemosynam, & ad alia opera pia, quam sæculares ex bonis proprijs, quia eodem modo illa possident, ac sæculares sua propria bona, ac proinde ea possunt licite insumere in quoscumque vsus alias licitos non minus quam sæculares. Et ob eandem rationem non tenentur strictius

ad

ad eleemosynam,& ad alia opera pia ex bonis,quæ ipsis Ecclesiasticis conueniunt, tanquam principibus sæcularibus, vt dominium aliquarum Ciuitatum, vt aduertunt Cai. 2.2. quæst.185.art.7.& Lorca disp.40.nu.3.quia scilicet ea possident eodem modo, ac Principes sæculares, quamuis ipsis conueniant ratione dignitatis Ecclesiasticæ, quia ad hanc amplificandam data sunt.

Conueniunt Doctores secundo Beneficiarios ex redditibus annuis suorum Beneficiorum superfluis congruæ sustentationi ipsorum, strictius teneri ad eleemosynam, & ad alia opera pia quam sæculares.

Est tamen difficultas in explicando in quo strictior hæc obligatio consistat,& vnde proueniat.

Circa prius conueniunt communiter Doctores,maiorẽ seu strictiorem obligationem, qua Beneficiarij præsertim Episcopi,& alij Curam animarũ habentes,tenentur ad eleemosynam, & ad alia opera pia ex redditibus Beneficij suæ congruæ,seu competenti sustentationi superfluis,in eo consistere quod tota ea superflua teneantur in eleemosynam, quamuis tantum sint pauperes communes,aut in alia opera pia insumere, quod significant plures Patres, quorum testimonia tanquam Canones referuntur 16.quæst.1. & significat Tridentinum sess.25.cap.1.de reformatione,dum serio interdicit,nec adhuc consanguineos,nec familiares augeãt, seu ditent,nec eorum causa bona Ecclesiastica,quę Dei sunt distrahant, seu dissipent: & id in Canonibus Apostolorum prohiberi affirmat; & ob id Beneficiarij, præsertim Episcopi,& alij curam animarum habentes, dicuntur Patres pauperum,& eorum curam paternam gerere.

Existimamus autem dicta superflua insumenda esse in eleemosynas,aut in alia opera pia pro optione Beneficiarij, dum non sint graues necessitates,quia istæ præferendæ sunt alijs pijs operibus,& ideo tenentur de his inquirere, quando non occurrunt si commode possint,vt in eas quãdo sint, dicta bona insumant, & his deficientibus in communes, qui nunquam desunt, aut in alia opera pia pro optione Beneficiarij.

Sed quamuis in prædicto conueniant communiter DD.

Petrus

Petrus tamen Hurtado disp. 160. sect. 6. & seqq. docet, & ió absq; authoritate aliquorum Doctorum nec absque probabilitate, sufficere, si Beneficiarij etiã Episcopi medietatẽ eorũ, quæ superfluunt competenti substentatoni ipsorum, vel quartam partem redditũm annuorum insumant in pauperes, aut in alia pia opera, dum non adsit scandalum, & dum grauibus necessitatibus sufficienter subueniatur, imò addit, & bene, id, quod Beneficiarius dat in subsidium, & excusatum contineri in ea medietate insumenda in eleemosynas, aut in alia opera pia, quia vere est opus pium.

Circa posterius ergo constat dictã specialem, & strictiorẽ obligationem, qua Beneficiarij etiã extra grauem necessitatem tenentur dictã superflua in pauperes, aut in alia opera pia insumere oriri ex iure Ecclesiastico, quia eo prohibẽtur illa insumere in vsus profanos, non autem ex iure aliquo naturali misericordiæ, vt aduertunt Lessius lib. 2. c. 4. n. 47. & Layman. lib. 4. tract. 2. c. 3. quia misericordia ex sua natura, secluso iure positiuo eos non obligat specialiter ad id, quia non obligat specialiter ratione necessitatis cõmunis pauperum, nec ratione dictæ superfluitatis eorum bonorũ, vt patet nec est alius titulus, nec aliud ius ratione cuius misericordia, aut alia virtus adhuc iustitiæ obliget illos specialiter ad eleemosynam, aut ad alia pia opera ad quæ alij non obligantur, etiamsi Pastoribus animarum commendatum sit à Christo quod pascant oues proprias etiam pastu corporali, quando eo indigent, saltem quãdo eo grauiter indigẽt. Addidimus, *adhuc iustitiæ*, quia Beneficiarij etiam Episcopi (& etiam Religiosi, de quibus suo loco dicemus) non tenentur ad id ex iustitia: quia multo verius est Beneficiarios etiã Episcopos esse absolute dominos omnium reddituum suorum Beneficiorum, etiam absq; onere insumendi superflua in pauperes, aut in alia opera pia, vt dicemus tract. de Beneficijs, & docẽt Molina disp. 147. Lorca disp. 40. Lessius c. 4. dub. 6 Ægid. dub. 27. dub. 11. & plures alij.

Beneficiarij ergo ex redditibus Ecclesiasticis possunt congrue, & competenter sustentari, etiamsi alias habeant bona patrimonialia, & quasi patrimonialia sufficientia, imò, & superabundantia ad suam competẽtẽ substentationẽ, quia ad

id præcipue eis assignantur prædicti redditus, & non inde fectũ aliorũ bonorũ, quia congruũ est, vt qui altari seruit de altari viuat, inde totã suã substentationẽ accipiendo, quamuis alibunde habeat ad illã, quia nemo suis stipendijs militat, vt ait Paul. 2. ad Cor. 9. vnde qui dum habens Beneficiũ, ex alijs bonis, & non ex redditibus Ecclesiasticis elargitus est eleemosynã aut aliud opus piũ efficit, potest illa ex dictis redditibus cõpensare, dũ nõ habuerit animũ adhuc interpretatiuũ illa donãdi, seu nõ cõpẽsandi, ita vt si quãdo ea elargitus fuit interrogaretur, an vellet ea cõpensare, respõderet negatiue.

Ad congruam autem, seu competentem sustentationẽ Beneficiarij pertinent omnia necessaria ad decenter viuendum iuxta suũ statũ, nẽpe necessaria ad habitationẽ, ad mensam, ad supellectilem, ad famulos, & etiam ad ministros, ad conuiuia consanguineis, amicis, & hospitibus, ad donationes remuneratorias, imò, & ad omnino liberales, & ad honestas recreationes, dum omnia hæc sint moderata, non excedentia, sed congrua Ecclesiastico attenta qualitate Beneficij, & personæ Beneficiarij, & etiã necessaria ad subueniendũ consanguineis egentibus, adhuc ad decentiã, imò, & ad modaratam abundantiã status ipsorũ, etiãsi ad id egeant dote præsertim filiæ, quãuis spuriæ, quia id cõgruit statui Beneficiarij: quod etiã alio titulo potest nẽpe, quia id est opus pium, & ob hũc titulũ, etiã poterit consanguineũ sustentare in studijs, quãuis Pater possit: imò assumptus ad Episcopatũ, aut ad aliud pinguissimũ Beneficiũ potest consanguineos ex suo genere abiectos ad maiorẽ statũ, moderatum tamen eleuare, ne pudeat Beneficiariũ consanguineos, præsertim arcte cõiũctos, vt fratres, aut consobrinos abiecte viuere; eos tamen in statu decente, & aliquantulum abundante constitutos nequit ditare, seu augere, ex dictis bonis, nisi ex eis quæ ipse suæ cõgruæ sustentationi subtraxit, quia hæc etiam subtracta à supremo gradu congruæ sustentationis potest in quoscumque vsus alias licitos insumere, sicut bona patrimonialia etiam in instituendos maioratus consanguineis.

Addimus, vt contra Lorcam aduertunt Nauar. q. 1. monito 16. Mol. dis. 145. A Egid. dub. 11. & Layman. quod maior sustentatio cæteris paribus cõpetit, seu cõgruit Beneficiario

ciario valde nobili, aut valde docto, quia magis quã alij prosunt Ecclesiæ eã authorizãdo sua magna nobilitate, aut sua eminentia doctrinæ, & hac etiã docendo, qui autem magis prodest Ecclesiæ, maiorẽ ab ea meretur sustentationẽ, vt ex se patet, & indicat Paul. 1. ad Thim. 5. vnde beneficiarius ex redditibus Ecclesiasticis potest accipere totum necessarium ad sustentationem sibi congruentum attenta qualitate sui beneficij, & qualitate suę personæ moderatam tamen, & non excedentẽ modestiã personæ Ecclesiasticæ, ac proinde filius Regis Ecclesiasticus nequit ex redditibus Beneficij etiã Episcopatus tanto splendore viuere, ac si esset sæcularis, nisi Episcopatus esset valde honoratissimus, & pinguissimus, qualis est Archiepiscopatus Toletanus, qui suis redditibus potest splendide sustentare filium Regis, & non paucis necessitatibus pauperum subuenire, quia tunc ex eis potest filius Regis Ecclesiasticus splendide sustentari, non minus, imò magis quam de facto sustentetur alius sæcularis filius Regis frater Ecclesiastici absque indecentia.

Ita tamen Beneficiarius etiam Episcopus tenetur superflua redditũ in eleemosynas, aut in alia opera pia insumere vt dum grauissimæ necessitates præsentes pauperum, vel defectus præsentis ornatus templi quibus aliunde non subuenitur, aliud non postulant possit illa in futurum reseruare in proprias, aut aliorũ necessitates quas in futurum timet, vel ad aliud opus pium, vt ad collegium, aut ad hospitale fundandũ, & quamuis non sit obligatio, expedit tamen, vt eleemosynę, & alia pia opera non fiant nisi in loco Beneficij, etiã Episcopatus à cuius incolis redditus accipit.

Addit Vazquez quod pensionarius non teneatur ad eleemosynas, & ad alia opera pietatis ex superfluis suæ sustentationi, aliter quam sæculares, quia pensio datur illi ob bonũ Ecclesiæ. Et Petrus Hurtado addit milites Beneficiarios, seu Commendatarios Ordinum S. Iacobi, & S. Ioannis, Calatrauæ, & Alcantaræ, & alios non teneri ex dictis superfluis more Clericorũ Beneficiariorũ, quia dicta Beneficia, seu dictę Commendæ dantur prædictis titulo laico, sed satisfaciunt conformando se instituto suorum Ordinum.

DISPVT. VI.

De correptione fraterna.

DIFFICVLTAS I.

Quid sit correptio fraterna?

SVPPONIMVS Primo, quod quamuis in rigore Latino, *correptio*, *& correctio*, ita differant, quod corigere sit â malo aliquem liberare, corripere vero sit, id reprehendendo eniti, ac proinde correctio sit emendatio, correptio vero sit reprehensio ad emendationem ordinata, vsu tamen scholasticorũ pro eodem accipiuntur, nẽpè pro remedio quo enitimur alium â malo reuocare, quamuis non sit reprehensio, sed pura monitio: Nos tamen vtemur nomine *correptio*, & quia est aptus ad significandum remedium ordinatum ad emendationem, de quo disputationem instituimus, & quia desumitur ex verbo, *corripio*, quo ad hoc propositum vsus est Christus Matth. 18.

Supponimus, secundò, quod sicut peccatum potest dupliciter considerari, nempè, & quatenus est nociuum ipsi peccanti, & quateuus est nociuum communitati: ita etiam duplex est correptio vna qua adhibetur remedium peccato, quatenus est nociuum peccanti, quæ dicitur *fraterna*, altera qua adhibetur remedium peccato quatenus est nociuum cõmunitati, quæ dicitur *iudicialis*, quia maximè incumbit iudici; quæ quando ab eo fit potest vsque ad publicam punitionem peruenire.

Correptio ergo fraterna specialis prout â Theologis accipitur, nihil aliud est, quam admonitio conueniens, qua fratrem à peccando reuocare conamur.

(?)

DIF-

DIFFICVLTAS II.

Ad quam virtutem pertineat correptio fraterna?

SVPPONIMVS Correptionem fraternam esse ex suo obiecto honestam, vtpote rationi consonam: & per eam vtpotè quæ difficile fit generari habitum facilitatem ad eam: & ab eo iam genito procedere, qui verè est virtus, vtpotè ad actum honestum inclinans, ac proinde correptionem fraternam ex se ad virtutem aliquam pertinere.

Est ergo difficultas ad quam virtutem pertineat. Circa hanc difficultatem non desunt qui existiment correptionem fraternam non pertinere ad particularem virtutem, sed ad varias pro varietate peccatorum, à quibus correptione ipsa proximum reuocare conamur: & Doctores communiter docent correptionem ad peculiarem virtutem misericordiæ spiritualis pertinere, quia correptione fraterna subuenitur miseriæ spirituali peccati, ne fiat.

Nos vero existimamus correptionem fraternam generalem, id est, factam absque intentione subueniendi proximo ne peccet non pertinere ad specialem aliquam virtutem, sed ad varias pro varietate peccatorum à quibus correptione ipsa proximum reuocare conamur, quia corripere proximũ v.g. ne peccet peccato fornicationis, pertinet ad castitatem & habet honestatem castitatis, quamuis non primario, sed secundario, & deriuatiue, quia ad eandem virtutem, & eodẽ modo pertinet, & eandem honestatem, & eodem modo habet inducere aliquem ad actum alicuius virtutis, & eum ab actu contrario eidem virtuti reuocare; inducere autem ad castitatem pertinet ad castitatem, & honestatem castitatis habet, quamuis non primario, sed secundario, & deriuatiue.

Correptionem vero specialem, id est, factam intentione subueniendi proximo ne incurrat miseriam peccati, seu intentione emendationis proximi, non solum pertinere ad varias virtutes pro varietate peccatorum à quibus correptione ipsa reuocare conamur proximum, sicut & correptionem generalem ob rationem dictam, sed etiam pertinere ad spe-

cialem virtutem misericordiæ spiritualis, qua subuenitur miseriæ spirituali, ne incurratur, & fit ea intentione: sicut è contra inducere, seu mouere aliquem ad peccandum, intentione ruinæ spiritualis illius opponitur non solum varijs virtutibus pro varietate peccatorum ad quæ fit inductio, sed etiam misericordiæ spirituali, quia peccatum quamuis voluntarium est vera miseria spiritualis, quia est magnum malum, & aptum, vt sit inuoluntarium saltem secundum quid, imò, & de facto est inuoluntarium, quo ad dignitatem pœnè, & etiã quoad culpam quia quamuis indirectè, seu in alio, id est, in actu ipso peccati sint voluntariæ, tamen directè, & in seipsis sunt inuoluntariæ, & displicentes peccanti quamuis nó semper expresse, sed saltem implicite, & virtualiter.

Correptio ergo fraterna specialis, & pertinet ad specialem virtutem misericordiæ spiritualis, & etiam ad varias virtutes, & ideo, etiã habet duas honestates, v.g. correptio specialis qua nitimur reuocare proximum à peccato fornicationis, ne peccet: & pertinet ad specialem virtutem misericordiæ spiritualis, & habet honestatem illius, sicut è contra inductio specialis ad peccatum facta ex intentione ruinæ spiritualis proximi, v.g. ad fornicationem est specialiter contra misericordiam spiritualem, & habet malitiam ipsi misericordiæ spirituali oppositam, & generaliter est cõtra castitatem, & habet malitiam ei oppositam.

DIFFICVLTAS III.

Vtrum sit præceptum correptionis fraternæ: & quale sit?

CIRCA Prius conueniunt Catholici esse præceptum correptionis fraternæ, quod nullus hæreticus negauit, quamuis nonnulli Semipelagiani contra Augustinum docentem esse nobis necessarium auxilium gratiæ ad implẽda præcepta, intulerint tanquam absurdum ex eo sequi correptionem esse inutilem non id sentientes, quia arguebant

contra dictam doctrinam Augustini, in hunc modum, quando vrget proximo impletio alicuius præcepti, aut adest illi auxilium gratiæ ad impletionem illius? aut non adest? si adest, non est illi necessaria correptio ad impletionem illius præcepti, si vero auxilium non adest erit frustra, & inutilis correptio. Argumentum autem hoc semipelagianorum nullius momenti est contra doctrinam Augustini, quia Deus sæpè nobis confert cogitationem, seu auxilium ad præcepti impletionem, media ipsa correptione, & non aliter, & non raro cogitatio, seu auxilium quod absque correptione esset tantum sufficiens fit efficax, media ipsa correptione, ac proinde correptio non semper est inutilis.

Nullus ergo negat esse præceptum quo obligemur ad corripiendum fratrem, quod exprimitur in capit. *Exiuncto* de hæreticis, & satis significatur Ecclesiastici 19. *Corripe amicum, ne iterum addat facere: corripe proximum, ne forte iteret, corripe amicum, sapè enim fit commissio.* Quia tanta repetitio, & inculcatio præceptum *indicat*, & plusquam consilium, & leuitici 19. *Ne oderis fratrem tuum sed publice* (id est clare, & aperte) *argue eum, ne habeas super eo peccatum*, id est, ne in non arguendo, seu in non monendo eum, pecces. Sed an in illis verbis Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus corripe illum*, contineatur præceptum correptionis dicemus difficul. 13. & id etiam ratione naturali constat, quia saltem quælibet virtus, non solum obligat primario, vt nullus contra eam operetur, sed etiam obligat secundario, vt quando commode fieri possit euitemus in alijs opus contra illam.

Circa posterius conueniunt Doctores, præceptum corripiendi sic in communi fratrem, esse naturale ex suppositione peccati imminentis in proximo, & ex suppositione præcepti, contra quod est peccatum illud, quia supposito eo peccato, ratio dictat, vt illud corripiamus, sicut præceptum obediendi sic in communi superiori est naturale ex suppositione præcepti superioris, & ideo præceptum obediendi superiori, quasi determinatur, seu particularizatur per præceptum positiuum latum ab ipso superiore: illud verò commune correptionis aliquando determinatur

per naturale,& aliquando per positiuum, quia tantũ obligamur ad correptionem, & solum secundario ex eo præcepto, & ex ea virtute, contra quam, & contra quod est peccatum ipsum corripiendum,præceptum autem cõtra quod est peccatum corripiendum, aliquando est naturale, & aliquando positiuum,præceptum ergo correptionis fraternæ sic in cõmuni,non est determinate naturale,nec determinate positiuum, sed est quasi determinabile per naturale, & per positiuum. Et non est determinatæ virtutis, sed est generale quasi determinabile per præcepta variarum virtutum pro varietate peccatorum euitandorum, seu corripiendorum in proximo,quia si esset speciale, nempè alicuius specialis virtutis maximè misericordię spiritualis ad subueniendum proximo ne incurrat miseriam spiritualem peccati, præceptum autẽ corripiendi nõ est specialiter huius peculiaris virtutis, quia proximus potest sibi absq; alterius correptione facile prospicere: quod non leuiter confirmatur ex eo quod peccator peccando non peccat specialiter, quia peccat, quia ex hoc non peccat specialiter contra misericordiam, nec contra aliam virtutem, sed tantum peccat varie, aut peccato fornicationis contra castitatem si fornicetur, aut sacrilegij contra Religionem si falso iuret, aut contra iustitiam si furetur, & sic de alijs, ergo qui non admonet proximum ne peccet, non peccabit specialiter quia non admonet, sed varie pro varietate peccatorum in proximo,quæ non euitat in illo sua admonitione,quia virtus quæ primario obligat,ne quis cõtra eam peccet,etiam obligat secundario alios vt peccatum illud euitent in alio. Nihilominus qui non admonendo furẽ nè furetur,quamuis peccet secundario contra iustitiam non tenetur ad restitutionem rei vsurpatæ,quia non est causa positiua furti,nec physica vsurpans, nec moralis inducens, sed tantum est priuatiua, seu omittens actum debitum, & non debitum in fauorem Domini rei vsurpatæ, sicut tenetur custos illius rei, sed præcise in fauorem virtutis iustitiæ ne fiat contra eam. Præceptum tamen admonendi sumpta admonitione non pro correptione, sed pro edoctione ignorantis media necessaria ad salutem est speciale specialiter ortum ex misericordia spirituali, vt dicemus dif. 8.

DIF.

DIFFICVLTAS IIII.

Vtrùm ſolum peccatum quod imminet in futurum, aut ex quo aliud imminet, ſit materia præcepti correptionis fraternæ?

SVPPONIMVS Omne peccatũ, tàm mortale, quàm veniale iam præteritum non remiſſum, vt deſtruatur, quã quod imminet in futurum vt euitetur, eſſe materiam ſufficientem correptionis fraternæ. Eſt tamen difficultas, an ſolum peccatum, quod imminet in futurum, aut præteritum prout ex eo aliud imminet in futurum, ſit materia cadens ſub præcepto correptionis fraternæ?

Circa quam certum eſt primò, peccatum quod iam prudenter creditur remiſſum, & ex quo nullũ imminet periculũ iterandi illud, non eſſe materiam præcepti correptionis fraternæ: imò nec materiã ipſius correptionis non præceptæ, quia tũc correptio fraterna nihil poteſt deſeruire fratri, nec virtuti contra quã fuit peccatum illud. Secus eſt de correptione iudiciali, quia hæc eſſe poteſt de peccato iam remiſſo, & ex quo nullum ſuperſit periculum iterandi illud, quia correptio iudicialis de eo peccato deſeruire poteſt bono communi, vt terrore ex ea orto alij: imò, & ipſe qui peccauit, arceantur à deliquendo.

Secundò, certum eſt peccatum præteritum ex quo imminet prudens periculum continuandi, aut iterandi illud, eſſe propriam materiam præcepti correptionis fraternæ, quia tunc maximè vrget præceptum, ſeu obligatio corripiẽdi, vt ex ſe patet, & indicatur Eccleſ. 19. corripe proximũ nè forte iteret.

Eſt ergo difficultas, an etiam peccatum præteritum non remiſſum, cuius macula perſeuerat, ex eo tamen nõ imminet prudens periculum iterandi illud ſit materia præcepti correptionis fraternæ?

Adria. in 4.q.1.de correptione,§. 2.*propositio*, Can.4.p. relectionis,de pœnitẽtia,§.ad 4.Arag.q.33.art.2.Pet.Hur. disput.162.sect.8.& Bonac.disp.3.q.4.p.7.docent esse præceptũ corripiendi fratrem,qui peccauit vt iustificetur,(quod alij intelligunt statim:alij verò quamuis non statim, saltem tamen, antequam ipse obligetur ad iustificationẽ) quia status peccati grauis (de quo Doctores isti loquuntur) est grauis miseria, & non minor, imò eadem,ac ea quam incurrit peccans,quãdo actu peccat, quia tunc est eodem modo inimicus Deo, & dignus æterna pœna, & vt careat omni auxilio gratiæ, in quibus consistit miseria peccati grauis,etiam quando istud fit, ergo non est minor obligatio corripiendi fratrem, vt ab eo peccato habituali iustificetur, quam vt non committat illud,quando imminet.

Abulensis ver., q. 83. in cap. 18. Mat. Angelus, verbo, correptio,Ægid.disp.18.dub.6.Layman.lib.2.tract.3.cap. 7.Lorca disp 41.Vazq.3.p.q.83.art.2 dub.5 & alij,docent non esse præceptum corripiendi fratrem, qui peccauit, vt iustificetur ab eo peccato (quod intelligunt antequam ipse obligetur ad iustificationem) & meritò, quia peccator ipse non tenetur statim iustificari ab eo peccato, sed tantum in articulo, aut periculo mortis, & tunc non ex misericordia, nec determinatè ex ea virtute contra quam peccauit, sed tantum ex Charitate erga Deum: ne in eius inimicitia in æternum discedat, vt dicimus tract.de pœnitentia disp. 3.diffi. 3. & 4.ergo nec alius tenetur cum statim corripere, seu admonere, vt ab eo peccato iustificetur, consequentia probatur, quia alius non magis tenetur procurare iustificationem illius quam ipse, cum ipse possit etiam absque monitione alterius facilè iustificari sicut nec alius tenetur subuenire, nec beneficere corporaliter ei,qui facilè potest sibi subuenire,& ad id ipse non tenetur,vis autem huius cõsequentiæ indicatur Matth. 18. vbi continetur præceptum correptionis fraternæ dum significatur, quod quando quis tenetur corripere fratrem, ipse frater tenetur acquiescere correptioni illius & obedire, quia dicitur, quod si tandem non audiat Ecclesiam corripientẽ, habeatur tanquã Ethnicus, & sanè non teneretur obedire correptioni, si ipse non

tene-

teneretur ad iustificationem. Vnde obligatio corripiendi peccatum præteritum, ex quo imminet peccatū in futurum, non est corripiendi ipsum præteritum propter ipsum, sed propter illud, quod ex eo imminet, si aliquod imminet vt euitetur.

Ad rationem ergo aduersariorum concedimus statum peccati grauis esse miseriam grauem, & non minorem, imò eandem cum ea, quam peccator incurrit, quando actu peccat. Negamus tamen esse obligationem corripiendi fratrem, vt iustificetur ad eo peccato, & liberetur ab eo statu, quamuis sit obligatio corripiendi fratrem nè peccet: est enim dispar ratio, quia ad corripiendum fratrem nè peccet non obligatur, quis specialiter ex misericordia, vt peccator non incurrat eam miseriam, quia ipse potest facilè eam non incurrere absque mea admonitione, sed tantum obligatur ex ea virtute, contra quam futurum est peccatum imminens, ne frater efficiat contra illam, quia frater ex ea tenetur primario ad id, & alius secundariò ad euitandum in fratre peccatum contra eam. Frater verò ex nulla virtute obligatur (nisi fortè aliquando per accidens) iustificari ab eo statu peccati grauis, vsque ad articulum mortis, in quo ex Charitate erga Deum ad id obligatur, ac proinde, nec alius obligatur secundario ex ea Charitate ad corripiendum illum (nisi fortè aliquando per accidens), vt iustificetur vsque ad articulum mortis ipsius fratris. Et multo minus tenetur ex misericordia spirituali, quia ipse absque mea correptione sibi potest facile prospicere suppositio auxilio Dei.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm solum peccatum mortale sit materia præcepti correptionis fraternæ?

DIFFICVLTAS Hæc non procedit de peccato præterito, ex quo non imminet aliud, sed de eo ex quo imminet aliud, & de imminente in futurum, quamuis non immineat ex alio: & non de peccato præterito ob ipsum iuxta dicta in diffi. præcedenti.

Sup-

Supponimus ergo: omne peccatum mortale, quamuis omninò priuatum, & secretum esse materiam obligationis, seu præcepti correptionis fraternæ. Et quodcumque veniale esse materiam sufficientem correptionis fraternæ, id est, posse corripi?

Est tamen difficultas, an peccatum veniale sit materia obligationis, seu præcepti correptionis fraternæ, id est, an debeat corripi.

Circa hanc difficultatem supponimus Prælatos Religionum teneri corripere in suis subditis peccata venialia, ex quibus imminet grauis iactura obseruatiæ Religiosæ: & ad id teneri sub mortali ex iustitia, quia ipsis incumbit ex officio prospicere obseruantiæ Religiosæ: & quemcumque etiam priuatum, & sæcularem teneri, & sub mortali corripere in quolibet veniale, ex quo imminet mortale, vt aliquando imminet ex colloquio otioso cum fœmina impudica.

Punctum ergo difficultatis in eo est, an extra hos duos casus sit obligatio sub veniali corripiendi peccatum veniali in quolibet imminens, aut ex quo aliud veniale imminet. Affirmans sub veniali, quia certum est extra dictos casus non esse obligationem corripiendi illud sub mortali, sicut nec ipse frater corripiendus peccat nisi venialiter, nec qui illum ad peccandum venialiter inducit, quæ sunt peiora, quã eum non reuocare à veniali.

Syluester verbo, correptio, Bañez quæst 33. art. 2. dub. 2. Granado, tract. 12. disp. 2. & Turrian. disp. 86. dub. 2. docent, non esse obligationem adhuc sub veniali, corripiendi peccatum veniale, quia peccatum veniale in suo genere est miseria leuis & voluntarie assumpta, vel assumenda, & à qua facilè potest frater liberari, ergo non est obligatio aliqua subueniendi illi miseriæ in fratre.

Caiet. verbo, correptio, §. *est ergo*, Valent. disp. 3. quæst. 10. p. 2. Lorca disp. 41. Ægid. disp. 28. dub. 3. Layman lib. 2. tract. 3. cap. 7. & Petr. Hurt. disput. 162. sect. 8. docent, esse obligationem sub veniali corripiendi veniale. Et meritò nõ ex misericordia spirituali ob rationem aduersariorum, quæ id tantum probat, sed ex ea virtute, contra quam futurum

est

èſt peccatum fratris, quia ex ea obligamur ſecundario ſub veniali ad vitandum peccatum veniale in alio contra eam, ſicut ex ea ille alius primario obligatur ad non peccadum venialiter contra illam.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm peccatum quod quis ignoranter inuincibiliter committit, ſit materia præcepti correptionis fraternæ?

SVPPONIMVS Peccatum, quod ignorantia vincibili committitur eſſe veram materiam præcepti correptionis fraternæ, quia eſt verè peccatum & formaliter.

Circa peccatum ergo, quod ignorantia inuincibili committitur certum eſt non eſſe materiam præcepti correptionis fraternæ, quia illud ratione dictæ ignorantiæ non eſt formaliter peccatum, ſed tantum materialiter.

Eſt tamen difficultas, an ſit præceptum, ſeu obligatio, ſi non corripiendi, ſaltē docendi, ſeu admonendi ſic ignorātē?

Circa quam etiam eſt certum in paſtoribus Eccleſiæ, & in confeſſario in confeſsione; & in alijs perſonis, quibus ex officio incumbit eſſe obligationem ſaltem ex iuſtitia docendi, ſic ignorantem quamuis ignorantia ſit de re, quæ tantum eſt neceſſaria neceſsitate præcepti, vt patet: & in alijs priuatis eſſe obligationem ſaltem ex miſericordia, quando ignorantia eſt de re neceſſaria neceſsitate medij, vt etiam patet: & in vtriſque eſſe tatum obligationem, quando non timetur prudenter obfutura admonitio, vt regulariter poteſt prudenter timeri, quando quis ex matrimonio nullo habens filios, & ignorans inuincibiliter nullitatem ſui matrimonij, admonetur de ea.

Punctum ergo difficultatis in eo ſitum eſt, an in priuatis, quibus non incumbit ex officio, ſit obligatio docendi, ſeu admonendi ignorantem inuincibiliter, quando ignorantia eſt de re neceſſaria neceſsitate tantum præcepti?

Cir-

Circa quod omissis varijs modis dicendi existimamus non esse per se obligationem docendi, seu admonendi sic ignorantem, siue ignoret factum, siue ius, seu præceptum quãuis naturale, quia nec est obligatio ex misericordia, quia dicta ignorantia ratione sui non est miseria considerabilis, nec est occasio peccati formalis, nec est obligatio ex illis virtutibus, contra quas materialiter peccatur ratione illius ignorantiæ, quia tunc contra eas non peccatur verè & formaliter, & ad hoc tantũ vitandum obligant secundario alios.

Addidimus: *Non esse per se obligationem admonendi sic ignorantem*: quia per accidens esse potest obligatio, & aliquando est, tunc scilicet quando ignorantia illa inuincibilis cedit in graue detrimentum ipsius ignorantis, vt in grauem notam, aut in graue detrimentum alterius, siue spirituale, vt si alter est scandalizandus, siue temporale, vt quando sic ignoranter retinetur res aliena grauis momenti.

Sed quamuis non sit obligiatio per se docendi, seu admonendi sic ignorantem, erit tamen opus misericordiæ sub consilio niti timeatur, quod admonitio est nocitura, vt si timeatur, quod admonitus non desistet ab opere materialiter peccaminoso, quia post admonitionem peccabit verè & formaliter.

DIFFICVLTAS VII.

Quæ conditiones requirantur, & sufficiant vt obliget correptio fraterna?

IN Primis vt correptio fraterna obliget, requiritur in corripiente notitia peccati fratris corripiẽdi: & in eo sufficit ad id notitia moraliter, & humano modo certa, id est, absque opinione probabili oppositi, quia sic prudentissimè proceditur quantum est ex parte notitiæ.

Est tamen difficultas, an requisita sit notia sic certa, an non, sed sufficiat minor?

Lorc. disp. 44. & alij existimant notitiam certam requiri, & minorem non sufficere. Adrian. in 4. tract. de correptione fraterna, §. *sed hæc opinio*, & alij existimant, sufficere notitiam dubiam peccati, & non requiri maiorem.

Sot. verò de tegendo secreto memb. 2. q. 2. Becan. c. 21. num. 29. & alij existimant, & meritò notitiam probabilem sufficere, & requiri. Sufficit quidem, quia sic prudenter proceditur. Requiritur autē, quia durū est ex dubia tantū notitia obligari ad obijciendū fratri peccatū saltem graue. Adderem ego sufficere quando ex peculiari amititia inter corripientem, & corripiendū leniēda esset obiectio illius peccati, præsertim, quod tunc tantum est obijciendum sub dubio.

Addimus non sufficere notitiam probabilem, imò nec humano modo, seu moraliter certam peccati commissi, nisi etiam sit notitia aliqua, quod ex peccato commisso immineat in futurum aliud peccatum, quia correptio non fit peccati præteriti, seu commissi ob ipsum, sed ob aliud, quod ex eo immineat, huius autem imminentis sufficit suspicio, aut timor prudens, quia quādo aliàs est probabilis notitia peccati commissi, ex qua peccatori obijcitur peccatum cōmissum, non inconuenit, tunc ei obijcere peccatum, & quādo est dicta suspicio nono bijcitur absq; prudenti cautione.

Secundò, vt correptio fraterna obliget, requiritur aliqua Spes emendæ fratris, qui corripiendus est, quia aliàs correptio fraterna frustra adhibetur, quia ad solam emendā fratris ordinatur (secus est in iudiciali, quia hæc præcipuè in bonū commune, vtpotè in terrorem aliorum ordinatur) & absque dubio ad id sufficit Spes moraliter, & humano modo certa, imò & probabilis. quia sic cum Spe prudente proceditur.

Est tamen difficultas, an requiratur Spes probabilis, an non, sed sufficiat minor?

Caiet. in sum. verbo, *correptio*, Bañez quæst. 33. artic. 2. dub. 4. Reginald. lib. 4. capit. 25. & Petrus Hurtado disput. 162 sect. 6. existimant requiri probabilem, & non sufficere minorem. Adrian. in 4. tract. Sacramenti confessionis in fine, & plures alij existimant sufficere dubiam, & non requiri maiorem.

Nos verò existimamus sufficeret Spē emēdationis dubiā quando saltem est probabile, quod correptio non nocebit, quia tunc prudenter proceditur sicut medicus non inueniens aliam medicinam, prudenter procedit applicando infirmo medicinam dubiam, seu in dubio, an sit profutu-

ra an non, quando saltē probabiliter iudicat non esse nocituram: requiri tamen probabilem Spē, & non sufficere dubiā, quando est formido prudens, quod nocebit, quia tunc absq; probabili Spe emendæ non procedetur prudenter, sicut medicus applicans infirmo medicinam quam prudenter formidat nocituram, si non habeat probabilem Spem, sed tantū formidolosam; aut dubiā, quod proficiet non procedit prudenter, ac proinde, nec licitè: & tunc ad corripiendum sufficere eam Spem probabilem, quia cum ea prudenter proceditur: sicut etiam medicus in simili casu dicto prudenter procedit: non tamen sufficere Spem probabilem emendæ, si etiam sit probabile, quod correptio nocebit, ne fratrem in nouum discrimen peccandi adducamus, sicut etiam medicus non procedit prudenter applicando medicinam quam probabiliter iudicat profuturam, si etiam sit probabile, quod sit nocitura?

In extremo tantum vitæ periculo, quando probaliter creditur frater moriturus in peccato mortali, correptio facienda est etiam in dubio, an sit profutura, an nocitura: & quamuis probabiliter credatur nocitura, si etiam sit probabile, quod proficet, quia ea correptione forsàm euitabuntur peccatum mortale non se iustificandi in eo articulo, & infinita alia grauissima, quæ pro tota æternitate committet, si damnetur, sicut etiam aliàs corporaliter morituro, si non curetur, prudenter & licitè adhibebitur medicina dubia?

Tertiò requiritur vt obliget correptio fraterna, quod sit necessaria ad emendam fratris, quia si non sit necessaria ad id, vt si frater sufficienter corripiendus sit ab alio, aut occasio peccandi est aliter ei impedienda tunc non obligat, vt patet.

His ergo tribus prædictis condotionibus, existentibus obligat correptio fraterna, etiamsi in principio sit nocitura fratri, vt si in principio frater eam ægre ferat, & blasphemet, aut aliud committat peccatum, si est ei magis profutura, vt si ob correptionem vitanda sint maiora, aut plura peccata quā futura sint occasione desumpta ex correptione, quia tūc corripiendo, magis prospicitur virtuti, & non occasionando actiue fratrem ad priora illa peccata, quamuis ipse sibi

oc-

occasionem sumat ad illud. Et eis tribus conditionibus existentibus non solum obligat correptio fraterna, sed etiam pro statim moraliter absque dilatione, si ex dilatione timetur prudenter fratrem aliud peccatum commissurũ, vt istud aliud euitetur, non tamen si id non timeatur, & multò minus si omnibus pensatis ex dilatione fructuosior speretur emenda, vel quia firmior, vel quia cautior, vel quia alio modo vtilior, quod verum existimamus, etiamsi frater ob dilationem alia sit commissurus peccata, prius quam corrigatur, si ob dilationem sit minus peccaturus, quia sic magis prospicitur virtuti, ex qua oritur obligatio corripiendi: imò etiã id existimamus verum quamuis omnibus pensatis ob dilationẽ non speretur fructuosior emenda, dum non speretur minus fructuosa, quia sic non minus prospicitur virtuti.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm correptio obliget etiam cum graui detrimento corripientis?

DIFFICVLTAS Hæc procedit de correptione, quæ fit ad impediendum peccatum mortale, quia quæ fit ad impediendum veniale non obligat cum graui detrimento corripientis, nisi quando corripiens est Prælatus Religionis, & in casu in quo ex venialibus immineat grauis iactura obseruantiæ religiosæ.

Supponimus autem correptionem ad impediendũ mortale positis tribus prædictis conditionibus obligare cũ aliquali incommodo, quia id exigit virtus contra quam imminet peccatum illud mortale.

Est tamen difficultas, an etiam obliget cum graui detrimento, circa hanc difficultatem? Primò, non pauci docent correptionem obligare quemlibet etiam priuatum adhuc cum dispendio vitæ. Secundò, alij docent, non obligare priuatos cũ graui detrimento, benè tamen Pastores animarum ratione officij. Tertiò, alij docent, obligare quemlibet etiã priuatum cum graui detrimento, adhuc cum periculo vitæ, quando proximus est in extrema necessitate, nempè quan-

do moriturus est in peccato mortali, si non corripiatur, nullum verò, nec Pastorem animarum obligari cum graui detrimento in necessitate non extrema.

Nos verò existimamus correptionem fraternam, nullũ priuatum obligare cum graui detrimento, quamuis tantum temporali, adhuc quando frater moriturus est in peccato mortali ex defectu correptionis, vt aduertunt Sotus de tegendo secreto memb. 2. q. 2. & Lorca disp. 45. quia nec virtus, contra quam est peccatum imminens, de quo frater est corripiendus, nec misericordia erga fratrem id videtur exigere, quia correptio non est fratri simpliciter necessaria ad non peccandum, quia ipse potest facile virtuti, & sibi prospicere absque correptione, quia absque ea id habet in sua potestate, supposito auxilio Dei, quia correptio tantum habet locum, quando frater libere peccaturus est, vt non peccet, & ad summum etiam quando non est libere exiturus à peccato, vt libere exeat, quæ supposito auxilio Dei, habet in sua potestate absque correptione: durum autem est virtutem aliquam obligare aliquem respectu fratris cum graui detrimento ad id, quod non est necessarium ipsi fratri, vt non agat contra virtutem, & vt sibi prospiciat.

Nihilominus, quando admonitio adhuc priuati est simpliciter, & extreme necessaria fratri, vt non damnetur, quia absque ea nunquam saltem moraliter potest exire à peccato mortali, quia inuincibiliter ignorat media necessaria ad exeundum ab eo, vt si ignorat res Fidei, aut si ignorat contritione posse exire à peccato, & nequit aliunde edoceri, tunc ea admonitio obligat ex misericordia, adhuc cum periculo vitæ, quando saltem est probabilis Spes, quod admonitio proderit, quia pro auertendo tanto, & æterno malo fratris, quod ipse nequit absque mea admonitione auertere, misericordia clamitat, vt admonitio fiat, adhuc cum periculo vitæ, si nequit absque eo admonitio fieri. Hæc tamen admonitio non habet rationem correptionis, quia non ordinatur, vt frater non peccet, sed est edoctio ignorantis media sibi necessaria, vt ab inferno liberetur.

Vnde correptio fraterna, quæ nunquam est omninò, seu simpliciter necessaria, nunquam obligat priuatum cum

graui

graui detrimento ipsius corripientis; imò nec alterius, benè tamen pastores animarum ex iustitia ratione officij, & non rarò adhuc cum periculo vitæ, saltem in extrema necessitate subditi, quando scilicet saltem probabiliter creditur, quod subditus est damnandus, si non corripiatur.

Ex omnibus in hac, & in præcedente difficultate dictis deducimus correptionem ad impediendum peccatum mortale, quæ ex se, seu ex suo obiecto est obligans sub peccato mortali, rarò de facto, seu in actu secundo sub eo obligare priuatos, ex defectu alicuius ex pluribus requisitis ad id, vt aduertunt Valen. pun. 2. Saa, verbo, *correptio*, Ægid. n. 127. Lorca disp. 45. Gran. disp. 1. n. 7. & Soar. sect. 3. vel quia deficit notitia peccati sufficiens, vel Spes emendæ sufficiens, vel necessitas correptionis, vel quia timetur graue aliquod detrimentum ex correptione, vel aliter. Imò non pauci ex relatis, & alij addunt excusari à mortali eos, qui ex timore aliquo humano, aut ex verecundia, aut ex tepiditate aliqua, aut ex alio simili affectu omittunt dictam correptionem, quod non caret probabilitate sufficiente, vt absque conscientia peccati mortalis eam correptionem possimus omittere: Addidimus rarò *sub eo obligare priuatos*, quia Prælati Religiosorum existentibus dictis tribus conditionibus raro excusantur à mortali, quod ex dictis discernendum est.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm correptio fraterna strictius obliget Prælatos Ecclesiasticos?

CONVENIVNT Doctores Prælatos Ecclesiasticos, præsertim Religiosorum strictius obligari ad correptionem fraternam, seu potius paternam suorum subditorũ, quam priuatos, quia obligantur priori loco quam priuati, & cum maiori incommodo, & etiam ad amplius, nempè ad paterne inquirendum (si adsit rationabilis suspitio) & ad oculatius inuigilandum, ad quod poterunt, & expediet ab alijs timoratæ conscientiæ iuuari, & ad quod priuati non tenentur: imò his non licet peccata fratrum inuestigare.

Est tamen difficultas, vnde in Prælatis oriatur dicta strictior obligatio, nempè ad prius, & cum maiori incommodo, & etiam ad paterne inquirendum, & ad inuigilandum?

Caietan. quæst. 33. art. 2. docet, eam strictiorem obligationem in Prælatis Ecclesiasticis oriri ex sola iustitia, quia tantum oritur ex officio collato, & consequenter ex pacto, siue expresso, siue virtuali.

Sotus de tegendo secreto memb. 2. q. 3. con. 3. & Lorca disput. 42. docent, oriri ex sola misericordia, aut Charitate, ob solam maiorem coniunctionem illorũ cum subditis spiritualibus.

Valent. verò disp. 3. quæst. 10. punct. 3. Ægid. disput. 28. dub. 5. Soarez disput. 8. sect. 4. & Petrus Hurtado, disput. 162. sect. 4. docent, dictam strictiorem obligationem in Prælatis Ecclesiasticis oriri ex misericordia, & ex iustitia, quod nos verum existimamus si semel admittatur obligationem corripiendi oriri ex misericordia, quod communiter placet.

Et in primis ea strictior obligatio oritur ex misericordia, si obligatio corripiendi oritur ex misericorda, quia Prælatus supposito officio Patris spiritualis seclusa obligatione iustitiæ orta, ex eo officio tenetur ex misericordia ad prius, & cum maiori incommodo quam alij ad subueniendum spiritualiter suis subditis media correptione fraterna, quia est magis coniunctus spiritualiter cum illis, imò & supposito officio patris spiritualis ratione cuius potest inquirere, etiam tenetur ex misericordia ad inquirendum, quia ex ea tenetur ad subueniendum medio sibi licito, & non admodum difficili.

Addidimus, si obligatio corripiendi oritur ex misericordia, quia vt diximus difficult. 3. correptio rigorosa non obligat ex misericordia, sed ex ea virtute contra quam est peccatum iminens, quod media correptione intenditur impediri, ex hac autem non oritur strictior obligatio: quia tamen correptio latè sumpta pro admonitione, seu edoctione ignorantis, saltem media necessaria ad salutem obligat ex misericordia, vt ibidẽ diximus, & dif. 8. Ideo saltem ad hanc Prælatus strictius tenetur ex vi misericordiæ.

Et quod dicta ſtrictior obligatio in Prælatis etiam oriatur ex iuſtitia, probatur, quia Prælati tenentur ad prius, & cum maiori incommodo, & etiam ad paterne inquirendum ex vi officij Patrum ſpiritualium ad bonum ſpirituale ſubditorum, non naturaliter, ſed poſitiue inſtituti, ergo ex pacto ſaltē implicitè facto in collatione, & receptione dicti officij ad id inſtituti, ergo ex iuſtitia, quia ex pacto oritur obligatio iuſtitiæ, quando materia pacti eſt capax talis obligationis, correptio autē fraterna ratione laboris & phyſici, quod habet eſt materia capax rigoroſæ obligationis iuſtitiæ.

Et eadem proportione idem dicendum eſt de Parochis, quod ſcilicet teneantur ad prius, & cum maiori incommodo, & ad amplius, nempè ad paterne inquirendum, non ſolum ex miſericordia (ſi ex ea oritur obligatio corripiendi) quia quamuis non ſint iudices in foro exteriore, ſunt tamen Patres animarum, ſed etiam ex iuſtitia, quia ex vi officij paſtorum animarum ad id tenentur. Imò & confeſſarij non parochi, etiam tenentur in confeſsione, ad prius & cum maiori incōmodo quam priuati, non ſolum ex miſericordia (ſi ex ea oritur obligatio corripiendi) quia tunc gerunt vicem Patrum ſpiritualium, ſed etiam ex iuſtitia ex vi officij Patrum ſperitualium, ſeu Paſtorum poſitiue collati.

Tandem parentes carnales reſpectu filiorum: & mariti reſpectu vxorum, & è contra, ſtrictius tenentur. Nempè ad prius, & cum maiori incommodo ex miſericordia (ſi ex ea oritur obligatio corripiendi) & ex pietate: & ex eiſdem parentes, & mariti etiam tenentur ad amplius non ex iuſtitia, quamuis ex officio, quia ex hoc tenentur abſque pacto, quia non ex officio ad id inſtituto poſitiue, ſed naturaliter in cuius collatione nullum interuenit pactum, adhuc implicitum.

DIFFICVLTAS X.

Qui obligentur ad corripiendum?

CONVENIVNT Doctores, quemliber non ſolum Prælatum, ſed etiam priuatum: & non ſolum iuſtum, ſed etiā

peccatorem, & non solùm infidelem, sed etiam fidelem, teneri ad correptionem fraternam, quia obligatio corripiendi, aut oritur ex misericordia spirituali, quæ omnes prædictos obligat, aut quod verius est oritur ex virtute, contra quã est peccatũ imminens fratris: hæc autem omnes alios secundario obligat, vt peccatũ contra eam impediant: & non minus omnes prædicti tenentur ad docendũ ignorantẽ media ipsi necessaria ad salutem, quia hæc obligatio oritur ex misericordia spirituali, vt frater simpliciter & extreme indigenti subueniamus, misericordia autem spiritualis omnes prædictos obligat.

Est tamen difficultas, primò, an peccator peccet alios corripiendo fraterne?

Non desunt qui affirment, quia corripere instatu peccati, sit peccatum præsumptionis.

Doctores tamen communiter negant, & meritò, quia nullo fundamento constat requiri statum gratiæ ad corripiẽdum, sicut nec ad alia opera misericordiæ, nec in eo reperitur peccatum præsumptionis, nec aliud si cum debitis circunstantijs fiat vt fieri potest.

Addimus contra Caiet Nauar. & Syl. vt optimè Sotus in 4. dist. 1. q. 5. art. 6. Vazq. Soar. & communiter DD. licitum esse peccatori pro concione corriperẽ (si absit scandalum, vt abesse potest quamuis sit publicus) quia actus concionandi etiã corripiendo ex nullo titulo exigit statum gratiæ, quia nec sanctificat ex opere operato sicut Sacramenta, nec exigit consecrationem aliquam, etiamsi ab Ecclesia prohibeantur concionari, qui non sunt diaconi, & quamuis cõsecrationem aliquam exigeret non obstaret, quia etiam solemnis annunciatio Euangelij requirit consecrationem, & tamen ad id non requiritur status gratiæ, vt dicimus tract. de Sacram. in genere disp. 4 dif. 10. & generaliter de concione in statu peccati facta diximus in ea disp. dif 11.

Secundò est difficultas, an Prælatus, seu superior possit absque peccato in statu peccati iudicialiter corripere?

Sylvest. verbo, *correptio*, q. vltima, & Palud. in 4. dist. 19. q. 3. art 3 docent, superiorem Ecclesiasticum peccare corripiendo iudicialiter in statu peccati, quia quicumque actus

dig-

dignitatis Eccleſiaſticæ eſt Sacer. quod nonnulli etiam extẽdunt ad ſuperiores, ſeu Magiſtratus ſæculares.

Caiet. verò quæſt. 60. art. 2. Soar. diſp. 8. ſect. 4. & communiter Doctores docent, ſuperiorem etiam Eccleſiaſticum poſſe abſque peccato iudicialiter corripere in ſtatu peccati. Et meritò, quia nullo titulo ad actum iudicialem, adhuc in ſuperiore Eccleſiaſtico requiritur ſtatus gratiæ, quia etiam ſi actus iudicialis ſit annexus iuriſdictioni, & in ſuperiore Eccleſiaſtico iuriſdictioni Eccleſiaſticæ, tamẽ non eſt Sacer. quia nõ eſt annexus ordini Sacro: & quãuis eſſet nõ obſtaret, vt nuper dicebamus de ſolemni annunciatione Euangelij.

Tertiò eſt difficultas, an peccator ſaltem teneatur ad propriam emendam ex vi præcepti correptionis, quando eã iudicat neceſſariam, vt correptio effectum ſortiatur in fratre: quod tantum poteſt habere locum quando frater corripiendus agnoſcit corripientem eſſe peccatorem?

Palud. in 4. diſt. 14. q. 3. Nauar. cap. 24. num. 18. Valen. pũ. 3. & Bonac. diſp. 3. quæſt. 4. pun. 7. affirmant, quia qui tenetur ad finem, etiam tenetur ad media. Sotus verò detegẽdo ſecreto memb. 2. q. 3. Bañ. q. 33. art. 6. Malderus art. 5. con 3. & Lorca negant, quod etiam ſenſit Vazq.

Pro reſolutione huius ſupponimus emendationem, ſeu pœnitentiam interiorem proprij peccati in peccatore non eſſe vtilem ad hoc, quod ſortiatur effectum in fratre, quia nõ eſt fratri nota, ac proinde non poteſt eſſe neceſſaria ad id: recognitionem verò, & deteſtationem exteriorem humilem proprij peccati, eſſe ex ſe vtilem, & aliquando poſſe eſſe neceſſariã, vt correptio peccatoris ſortiatur effectum in fratre.

Hoc ergo ſuppoſito, exiſtimamus peccatorem ex vi præcepti correptionis fraternæ non teneri ad emendationem proprij peccati, quia hæc non conducit, vt correptio peccatoris ſortiatur effectum in fratre. Teneri tamen aliquando ad exteriorem recognitionem, & deteſtationem humilem illius, tunc ſcilicèt, quando probabiliter iudicatur neceſſaria, vt correptio ſortiatur effectum in fratre (vt aliquando eſſe poteſt) quia qui tenetur ad aliquem finem, etiam tenetur ad media ſaltem facilia, qualis eſt dicta recognitio exterior.

DIFFICVLTAS XI.

Qui sint corripiendi ex obligatione?

PRIMO Est difficultas, an ex vi præcepti correptionis teneamur corripere infideles?

Quamuis non desint, qui existiment infideles non esse ex obligatione corripiendos à fidelibus: Doctores tamē communiter docent, esse adhuc in fidelibus obligationem corripiendi infideles & meritò: quia hæc obligatio oritur, aut ex misericordia, aut ex illa virtute, contra quam est peccatum imminens, de quo futura est correptio, omnes autem tàm fideles, quàm infideles obligantur, aut ex illa virtute contra quam est dictum peccatum, quia ex ea non minus possunt obligari infideles, quam fideles, aut ex misericordia, quia omnes fideles videlicet, & infideles sumus fratres, & proximi, quia Deus est Pater omnium, & omnes saluari possumus.

Secundò est difficultas, an ex vi præcepti correptionis teneamur corripere superiores.

Conueniunt Doctores, etiam in inferioribus esse obligationem corripiendi superiores existentibus conditionibus assignatis dif. 7. & meritò, aut quia misericordia spiritualis etiam obligat inferiores ad subueniendum miseriæ spirituali superiorum, si obligatio corripiendi oritur ex misericordia: aut quia virtus contra quam est peccatum imminens, quod in superioribus est corripiendum etiam obligat secundario inferiores ad impediendum illud in superioribus, si obligatio corripiendi oritur ex ea virtute.

Nihilominus superiores corripiendi sunt ab inferioribus reuerenter: Et etiā occultè, nisi quando peccata superiorum nocent subditis eos scandalizando, seu medio suo exemplo inducendo ad peccatū, quia tunc sunt publicè, præsertim pro cōtione, caute tamen corripiendi; & tunc quāuis nulla eorū speretur emenda, quia ea publica correptio potest subditis prodesse: & non sunt à quolibet inferiore occultè

corri-

corripiendi niſi ab inferiore proportionatæ authoritatis ad id, aut ratione perſonæ, aut ratione officij, quia aliter rariſſime corripientur fructuoſe.

DIFFICVLTAS XII.

Quo ordine facienda ſit correptio fraterna?

TRia præſcripſit Chriſtus Matth. 18. à priuatis facienda ad correptionem fraternam peccati occulti fratris; & eo ordine vt primo ſecreto admoneatur frater. Secundò, vt ſi id non ſufficiat ad emendationem illius, adhibeatur vnus vel duo teſtes qui etiam eum admoneant. Tertiò, vt ſi nec id ſufficiat deferatur ad Eccleſiam, ſeu ad ſuperiorem, qui eum emendare curabit, hæc autem duo poſteriora fieri poſſunt, quamuis ſint cum detrimento famæ fratris corripiendi, quâdo eſt Spes emendationis fratris, aut quia bonum ſpirituale proximi præferri poteſt famæ ipſius, aut quia id exigit virtus contra quam eſt peccatum imminens.

Hoc ergo ſuppoſito conueniunt Doctores ordinem, & proceſſum prædictum in correptione fraterna peccati occulti eſſe per ſe ſub præcepto naturali, ita aut per ſe non ſit licitum aggredi ſecundum gradum, nec tertium relicto primo, nec aggredi tertium relicto ſecundo (quod etiam re ipſa ſentit Areualus addita illa particula *per ſe*) & merito quia ad correptionem, & emendationem proximi procedendum eſt eo ordine, & proceſſu, qui ſit abſque detrimento aliquo famæ ipſius, ſi abſque eo fieri poteſt, aut cum minore quo poſſit ſi non poſsit abſque detrimento aliquo fieri, quia iure, ſeu præcepto naturali tenemur proſpicere famæ proximi, eum non infamando, aut minus infamando, niſi quando aliud exigit aut admittit aliud maius bonum ipſius fratris; vel commune vel innocentis, aut virtus aliqua ne fiat contra ipſam; ergo quando peccatum fratris, aut imminens, aut illud ex quo aliud imminet, eſt ita occultum, vt ſolus corripiens illud nouerit, incipi debet à ſecreta correptione, ſeu admonitione facta ab ipſo antequam adhibeantur teſtes illud ignorantes

rantes, & antequã deferatur ad ſuperiorem illud ignorantẽ, ne fama fratris apud eos abſq; neceſsitate lædatur: & quando ſecreta admonitio adhuc repetita non ſufficit, adhibendi ſunt teſtes illud ignorantes. Et prius quã quod ad ſuperiorẽ illud ignorantẽ deferatur, quia per ſe minoris ponderis eſt infamatio fratris apud vnum, aut duos alios, quam apud ſuperiorem proprium, à quo frater ipſe dependet. Ita tamẽ debet fieri vt prius vnus tãtũ adhibeatur (ſi credatur ſufficere) quam duo. Etſi adhibitio teſtium adhuc repetita nõ ſufficiat, deferendum eſt peccatum ad Eccleſiam, ſeu ad ſuperiorem, tanquam ad patrem ſi eius paterna correptio profutura credatur ſecus ſi non credatur profutura: ſicut etiam nullus alius gradus ex prædictis faciendus eſt ſi non credatur profuturus, quia ob ſolam emendationem fratris fieri debet.

Addidimus primò in concluſione dictum Ordinem eſſe ſub præcepto naturali in correptione fraterna *peccati occulti*, quia ſi peccatum fratris, ex quo aliud imminet ſit publicum, aut quia infamia diuulgatum, aut quia in iudicio conuictum, aut quia in maiori parte viciniæ, aut collegij compertum, tunc ordo prædictus non eſt ſub præcepto naturali ſeruandus, quia tunc ex quocumque gradu ex dictis inchoetur, non læditur fama fratris, quia iam ſupponitur læſa: imò quamuis non ſit publicum ſi ſit vnus, aut ſint duo teſtes, qui illud nouerint poterit ab eorum adhibitione inchoari, omiſſa ſecreta monitione quamuis profutura credatur, quia tunc ex eo quod ab ea adhibitione inchoetur, non læditur fama fratris; & non poterit tunc immediate deferri ad ſuperiorem, vt ad Patrem omiſſa adhibitione illorum teſtium, ſi hęc credatur profutura ne abſque neceſsitate lædatur fama fratris etiam apud ſuperiorem: niſi etiam deferatur ad illum, vt ad iudicem, vt poteſt deferri, vt ſic punitione iuridica illius etiam attendatur ad bonum publicum.

Addidimus ſecundo in concluſione prædictum Ordinem eſſe per ſe ſub præcepto naturali, quia aliquando per accidens ratione aliquarum circunſtantiarum poteſt inueniri, & inchoari ab adhibitione teſtium omiſſa ſecreta admonitione, quãuis profutura, imò, & à delatione immediata ad

ſupe-

ſuperiorem omiſsis ſecreta admonitione,& adhibitione teſtium quamuis profuturis, quia in primis in ſtatu Religioſo regulariter poteſt inchoari à delatione immediata ad ſuperiorem, quia in eo ſtatu quando monitio ſecreta non eſt certo profutura, & ſuperior eſt prudens,& timoratę conſciẽtiæ, poteſt peccatum Religioſi adhuc occultum immediate deferri ad eum ſuperiorem, vt ad patrem omiſſa ſecreta monitione, & multo melius omiſſa adhibitione teſtium, quia emendatio Religioſi peccatoris difficile fit abſque diligentia ſuperioris,& media hac fieri poteſt ſecurius, breuius, & efficacius ob quod cõuenienter poteſt famæ iacturam apud ſuperiorem pati,& in noſtra ſocietate,quia in ea cedimus iuri noſtrę famæ, vt defectus noſtri extra confeſsionem, & extra occaſionem petendi conſilium,noti, poſsint ad ſuperiorem immediate deferri ob maiorem ſecuritatem noſtræ emendationis (ob quam laudabiliter cedere poſſumus,quia ob ſecurius remedium vulneris multo maioris, conuenienter poſſumus parti vulnus minus) ideo certius eſt in noſtra ſocietate poſſe peccata noſtra immediate ad ſuperiorem deferri,quando prudenter non deſperatur ſecurior emendatio fratris medio ſuperiore, quam medio ipſo deferente, quia quando prudenter non deſperatur poteſt prudenter ſperari ſecurior, quia per ſe poteſt ſecurior euenire medio ſuperiore: at quando prudenter deſperatur non poteſt ad ſuperiorem immediate deferri crimen occultum fratris, quia tunc id eſſet prodigere famam illius,quia abſque rationabili cauſa lædetur fama fratris: & conſequenter ne prodigatur, non eſt deferendum crimen occultum illius, quando eſt plane,& plene emendatum,ideſt,quando non ſolum probabiliter,ſed etiam moraliter certo abſque timore prudente oppoſiti ſcitur peccatum illud eſſe emendatum in totum, ſeu non futurum relapſum in illud: ſicut ob eandem rationem non poteſt immediate deferri ad ſuperiorem, quando moraliter certo iudicatur monitionem ſecretam omnino profuturam, quia irrationabiliter infamabitur frater apud ſuum ſuperiorem, quando infamatio, ſeu delatio non eſt neceſſaria ad emendationem, vel ad ſecuriorem emendationem.

Deinde

Deinde per accidens in peccatis, quæ vergunt in damnum siue commune, siue tertiæ personæ inchoandum est à delatione immediata ad superiorem ob securiorem emendationem peccati adeo pernicioſi, quæ medio superiore sperari potest: ac proinde taliâ peccata sunt ex obligatione immediate deferenda ad superiorem, nisi adsit magna Spes emendationis media priuata admonitione præsertim peccatum veræ, seu perfectæ hæresis, quia est pernicioſissimum Reipublicæ Christianæ, & rarissime, seu moraliter nunquam emendatur priuata admonitione, & ideo non est desistendum ab immediata delatione illius ad Tribunal Sanctæ Inquisitionis, vel ad alium competentem superiorem, nisi quando forte adsit certa Spes emendationis media priuata admonitione si ea prudenter haberi potest, quod est moraliter impoſsibile ob quod cordate satis præcipitur ædictis Sanctæ Inquisitionis quod hæretici ad ipsum immediate deferantur, excipimus tamen, quando peccatum hæresis est proprij Patris, aut proprij Filij, non dogmatizantis, quia tunc minor Spes emendationis media propria monitione, dum sit probabilis, sufficit ad desistendum a delatione immediata ad superiorem adeo rigida Patri contra proprium Filium, & Filio contra proprium Patrem, sicut etiam minor Spes (dum sit probabilis, quæ raro erit talis) emendationis peccati proprij complicis aliunde prouenturæ, quamuis ex se nociui tertiæ personæ sufficit ad desistendum à delatione immediata ad superiorem adhuc in nostra societate, quia ea delatio dura est, & rigida delatori, vtpotè expoſita infamationi propriæ saltem prouenturæ à complice manifestato, quia ille, aut propria sponte, aut interrogatus à superiore ipsum delatorem complicem suum manifestabit: rigidum autem est quod quis sit causa mediata propriæ infamationis quando sibi non est necessaria ad medelam, quia ipse emendatus est, aut emendabitur absque ea, nec iudicatur necessaria complici, quia aliunde, speratur emendandus, ac proinde, nec iudicatur necessaria aliæ tertiæ personæ, quia complex à quo timendum erat nocumentum tertiæ personæ, speratur aliunde emendandus.

DIF-

DIFFICVLTAS XIII.

Vtrum prædictus ordo correptionis fraternæ sit à Christo Matth. 18. *præceptus.*

CHRISTVS Dominus Matth. 18. sic ait: *Si peccauerit in te frater tuus vade, & corripe eum inter te & ipsum solum, si te audierit Lucratus eris fratrem tuum, si autem te non audierit, adhibe tecum, adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum quod si non audierit eos dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.*

Circa difficultatem ergo Areualus tract. de correptione. Petrus Hurtado disp. 163. §. 207. & alij docent dictum Ordinem non esse à Christo traditum sub præcepto, sed tantum sub consilio, & id probabile existimat Salmeron tom. 4. in Euangelia, tract. 17. Probari autem potest, quia Christus ibi loquitur de correptione fraterna peccati contra corripientem, seu ipsi iniurioſi, vt significatur illa particula *inte*, & in Ordine ad delationem publicam, vt indicatur illa particula *dic Ecclesiæ*, siue paternam, siue iudicialem, quia publica vtrouismodo fieri potest, ad hanc autem non est necessarium, seu sub obligatione quod præcedat secreta monitio, quia publica delatio fieri nequit nisi quando peccatum est notum saltem vni testi, quo possit semiplene probari, peccatum autem iniuriosum corripienti, vni aut duobus testibus notum optime potest ad superiorem immediate deferri, siue tanquam ad Patrem, siue tanquam ad iudicem, vt vno aut altero modo impediat relapsum, & cogat ad satisfactionem pro iniuria illata deferenti, ergo quod dictum crimen non deferatur ad superiorem si proficit, aut proficere potest secreta, seu priuata monitio, consilium est non præceptum.

S. Thom. verò quæst. 33. artic. 7 & 8. Ricardus in 4 d. 19. quæst. 1. & 2. Valent. disp. 10. p. 5. Ægid. disp. 28. dub. 8. Granado disp. 5. sect. 2. & communiter Theologi docent: Præ-

dictum

dictum Ordinem, seu processum correptionis fraternæ esse à Christo Domino præceptum Matth. 18. quod satis significant Augustin. sermon. 16. de verbis Domini, Orig. homil. 3. in Leuiticum, Hilarius Can. 18. in Matth. Gregor. lib. 4. Registrie epistol. 36. & communiter Patres, & id etiam significatur in cap. *Cum ex iniuncto* de hæreticis *dum dicitur cum aliud sit fratrem in se peccantem occulte corripere, quod quisque tenetur efficere secundum regulam Euangelicam.*

Et ratione probatur, quia ex vna parte prædictus ordo correptionis, quando est peccati occulti, est per se sub præcepto naturali, vt diximus dif. præcedente: Et ex altera parte verba Christi Matth. 18. quibus commendat dictum Ordinem, sunt verba imperatiui modi, quibus sufficientissime præcipitur, saltè quando materia est alias iure naturali præcepta, qualis est dictus ordo in correptione peccati occulti de quo loquitur Christus, ergo absque fundamento, imò, & contra rationem negatur prædictum Ordinem fuisse à Christo præceptum.

Et quia Christus nihil noui præcepit circa dictum Ordinem, quod non sit etiam iure naturali præceptum, quia nihil noui in particulari est nobis in lege gratiæ iure diuino præceptum quod non sit iure naturali, nisi circa receptionem Sacramentorum, & forsan etiam circa actus virtutum Theologicarum, vt aduertunt communiter Theologi, & quia dictus ordo tantum est sub præcepto naturali in correptione solius peccati occulti, ideo in correptione tantum illius Christus præcepit dictum Ordinem, & non in correptione peccati aliquo modo publici. Et quamuis Christus tantum fuerit expresse loquutus de Ordine in correptione peccati iniurioſi ipsi corripienti, quia in ea difficilius est seruare ipsum Ordinem eo tamen ipso virtualiter, & implicite illum præcepit in correptione cuiuscumque alius peccati, quamuis non iniurioſi ipsi corripienti, nec alij, quia in correptione cuiuscumque peccati etiam non iniurioſi est eadem ratio ad seruandum dictum Ordinem, nempè vt prospiciatur virtuti contra quam est peccatum imminens, & consequenter saluti spirituali fratris, non lædendo, aut minus lædendo

fa-

famam illius, & quamuis dicta verba Christi quibus saltem præsuppositiue præcipitur correptio, & formaliter, & expresse dictus ordo, tantum sint quasi expresse de peccato occulto, quia illis principalius præscribitur à Christo ordo quam correptio ipsa, & ordo tantum præscribitur sub præcepto in correptione peccati occulti : nihilominus verbis illis quatenus eis præcipitur, quasi præsuppositiue correptio, eo ipso virtualiter, & implicite præcipitur correptio etiam peccati publici, quia ratio ob qua præcipitur correptio peccati occulti, eadem currit ad correptionem etiam publici ; quamuis ratio ob quam præcipitur dictus ordo in correptione peccati occulti, non currat, vt seruetur in correptione publici.

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus, Christum non tantum loqui expresse de peccato iniurioso ipsi corripienti, sed etiam implicite, & virtualiter de quocumque alio peccato : & non tantum, quasi expresse de peccato occulto quoad correptionem, & quoad dictum Ordinem, sed etiam implicite, & virtualiter de publico quoad correptionem quamuis non quoad Ordinem : & loqui de correptione in Ordine ad delationem faciendam superiori Ecclesiæ, vt Patri qui nomine *E*cclesiæ significatur ordinatam ad emendationem fratris, & expresse in Ordine ad delationem secretam, & virtualiter in Ordine ad publicam, si alias potuerit, prout superior iudicauerit expedire, quia aliquando tam delator, quam superior poterit publice procedere si aliàs inueniantur testes vnus aut duo, aut indicia, aut infamia : imò si aliquid ex his inueniatur poterit publice iudicialiter procedere. *E*t quando ad emendationem fratris necessarium sit publice procedere, quia non sufficiat secreto ad id tenebitur tam delator quam superior, si alias possit : imò, & ad iudicialiter procedendum si necessarium sit ; sicut è contra postquam iuridice actum est erit obligatus ad procedendum delator tanquam frater, & superior tanquam Pater, si id sit necessarium ad emendationem peccatoris.

Aduertendum tamen est, quod supposito quod Christus nihil præcepit circa correptionem, & circa Ordinem illius quod iure naturali (saltem in communi quoad correptionē) non fuerit præceptū, parū interest, quod Christus Matth 18 præceperit, aut non præceperit correptionem, & eius Ordinem, quia ex eo quod Christus præceperit correptionem, & eius Ordinem, omissio correptionis debitæ, & inuersio dicti Ordinis debiti non habebit aliquam superadditā malitiam distinctam secundum speciem: etsi maiorem quasi intensiue, non tamen notabiliter maiorem.

DISPVT. VII.

De Ordine in præceptis Charitatis, & misericordiæ seruando circa personas.

DIFFICVLTAS I.

Vtrum homo teneatur magis diligere Deum quam seipsum, & proximum?

CONVENIVNT Theologi nos teneri Deum super omnes, & super omnia appretiatiue diligere, non solum dilectione affectiua beneuolentiæ, quando est obligatio eum diligendi beneuole, sed etiam dilectione actiua operum, quando etiam est obligatio eum actiue diligendi. Et hoc significatur Deut. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Idest, ex corde simplici, non admittendo in eo aliud quod Deo displiceat. Et Matth. 10. *Qui amat Patrem, aut Matrem plusquam me, non est me*

dignus.

dignus. Et Lucæ 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem, & animam suam non potest meus esse discipulus.*

Et in primis, quod teneamur Deum super omnes etiam super nos appretiatiue, seu prælatiue diligere dilectione beneuolentiæ quando est obligatio eum beneuole diligendi constat, tum quia Deus est principium, & primum ipsius fieri, & conseruari omnium, tum etiam quia in eo est motiuum, nempe eius infinita bonitas, vt sic appretietur, & præferatur: vnde in casu, in quo sit obligatio beneuole diligendi Deum, & creaturam, & nequeat vterque diligi, Deus est diligendus, & creatura deserenda.

Deinde quod etiam teneamur Deum super omnes appretiatiue diligere dilectione actiua, seu obsequiorum, probatur, quia nihil potest licite fieri in gratiam aliorum, etiam nostri, quod Deo adhuc leuiter displiceat: in occasione enim in qua aliquid faciendum est, quod Deo displiceat, aut creaturæ etiam nobis, non est faciendum quod Deo displicet, sed quod creaturæ quæcumque illa sit: & in occasione in qua Deus deserendus est aut creatura, non Deus, sed creatura quæcumque illa sit, deserenda, seu perdenda est ob rationem dictam.

Est tamen difficultas, an teneamur intensius diligere Deum quam creaturam, etiam quam nos ipsos: & proprie non habet locum in dilectione actiua, seu operum sed in affectiua beneuolentiæ, procedit autem ex suppositione quod sit obligatio diligendi beneuole Deum, & nos, & proximos.

Circa hanc difficultatem Scotus in 3. d. 27. quæstion. vnica, Durand. d. 29. & Petrus Sotus lect. 14. de Pœnitentia partem affirmatiuam tuentur, quod significari videtur illis verbis, Deut. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua,* quia his verbis tota intensio, seu totus conatus voluntatis significari videtur. Et ratione probatur, quia Deus debet super omnia appretiatiue diligi, seu maiori dilectione appretiatiue, quam omnia alia, maior autem appretiatio in dilectione, in nullo alio consistere potest, quam in maiori intensio-

ne,& firmitate affectus, ergo Deus debet maiori intensione diligi quam quæcumque creatura.

Almainus verò in 3. d. 27. quæstion. vnica, Sotus in 4. d. 17. quæstion. 2. artic. 4. Vazq. 1. 2. disput. 192. cap. 3. & Soarez disput. 5. sect. 2. partem negatiuam tradunt, & meritò, quia nullo firmo fundamento constat esse præceptum diligendi Deum beneuole maiori intensione, quam omnia alia, ergo id non est affirmandum, consequentia probatur, quia præcepti adeo occasionati ad scrupulos, & cuius impletionis nequit esse cognitio probabilis, seu prudens, & securitas moralis, non est admittendum absque firmo fundamento, præceptum autem diligendi Deum intensius quam creaturas esset tale, quia nullus posset nisi raro probabiliter taxare in quanta intensione dilexerit Deum, vt postea in dilectione proximi, aut sui nõ excedat intensionem illius dilectionis Dei: nec potest probabiliter taxare in quanta intensione dilexerit creaturam, vt postea intensius diligat Deum, si eum diligit: quis enim posset esse moraliter securus, & non anxius, quod aliquoties non diligat Patrem, aut Matrem, aut amicum magis intense quam Deum: antecedens verò, nempè quod nullo firmo fundamento constet esse præceptum intensius diligendi Deum, probatur quia si aliquo firmo fundamento id constaret maxime fundamentis aduersariorum, aut aliquo eorum, neutrum autem ex illis est firmum ad id, non prius, quia verba illa Deut. 6. sufficienter, & commode exponuntur de maioritate dilectionis, quoad pretium, seu appretiationem qua Deus super omnia diligitur: præsertim dilectione actiua, seu operum de qua est sermo in eis verbis. Nec posterius, quia maior appretiatio in dilectione beneuolentiæ consistit in eo quod vni personæ potius quam alij inter se comparatis velimus bonum, aut nolimus malum ex complacentia illius, & maior appretiatio in dilectione concupiscentiæ rei consistit in eo quod eam potius concupiscimus quam aliam. Quod habet vtraque dilectio non ratione intensiõnis, nec ratione alicuius modi, nec ratione perfectionis indiuidualis, sed extrinsece extrinseco videlicet respectu conueniente dilectioni, ex eo quod ex personis, aut ex obiectis ab intel-

lectu

lectu propoſitis comparatiue voluntati hæc aſſumit ſuo affectum vnam perſonam, aut vnum obiectum deſertis, ſeu relictis alijs ea proportione, qua tractat. de actibus, diſput. 4. difficult. 5. diximus de electione. Imò dilectio beneuolentiæ Dei alio modo appretiatiuo eſt ſuper omnes, & ſuper omnia, quia ſcilicet ea dum perſeuerat nihil admittit, quod Deo grauiter diſpliceat, quod habet dilectio Dei ex ſua natura ſpecifica, & non ex intenſione aliqua, nec ex dicto extrinſeco reſpectu, vt diximus diſputation. 1. difficult. 5.

Addimus, quod quamuis Deus affectu beneuolentiæ ſit magis diligibilis obiectiue materialiter, quia ei poſſunt concupiſci ſua bona intrinſeca, quæ ſunt obiecta materialia dictæ concupiſcentiæ in eis complacendo, quæ non poſſunt concupiſci creaturæ, quia nulli poſſunt concupiſci ſapientia diuina, nec bonitas diuina, nec aliud attributum, nec perſonalitas aliqua diuina, niſi tanquam bonum extrinſecum, aut quaſi extrinſecum. Non tamen eſt obligatio diligendi Deum magis obiectiue materialiter quam creaturas, quia abſque peccato poſſumus diligere Deum affectu beneuolentiæ, ſeu ex complacentia ipſius, ei concupiſcendo adorationem, & alium actum Religionis à nobis exhibitum de eo gaudendo, aut exhibendum illum Deo deſiderando, qua dilectione ſatisfacimus præcepto dilectionis Theologicæ Dei, ſi eſt præceptum dilectionis Theologicæ per ſe, & poſſumus creaturam diligere beneuole ex complacentia ipſius, ei concupiſcendo Deum videndum; imò, & perſonalitatem diuinam, vt concupiſcimus humanitati Chriſti gaudendo quod eam habet, & tamen tunc magis obiectiue materialiter diligimus creaturam quam Deum.

(i)

DIFFICVLTAS II.

Vtrum homo teneatur seipsum magis diligere, quam proximum in bonis spiritualibus?

DIFFICVLTAS Hæc, & sequentes de Ordine præcepti dilectionis nostri comparatorum ad proximos, & proximorum inter se præcipuè procedunt de Ordine præcepti dilectionis actiuæ beneficientiæ, aut misericordiæ quoad bona concupita tam spiritualia, quam temporalia, quia hæc dilectio est sub præcepto, & non affectiua beneuolentiæ, aut si hæc etiam est sub præcepto ex his, quæ dicta fuerint circa Ordinem præcepti dilectionis actiuæ, etiam constabit, quid dicendum sit circa Ordinem dicti præcepti dilectionis affectiuæ beneuolentiæ.

Circa hanc, & sequentes difficultates supponimus hominem non teneri maiori intensione, seu conatu sibi prospicere quoad bona concupita quæcumque illa sint, quam proximo, nec vni proximo quam alteri, quia huius maioris intensionis nullum est fundamentum: nec teneri sibi ipsi magis obiectiue prospicere quam proximo, nec vni proximo quam alteri, aut quod idem est, non teneri maiora bona sibi procurare quam proximo, nec vni proximo quam alteri, quia homo potest licite maiora bona proximo quam sibi procurare, quia potest proximo maxima bona procurare, nempè intensissimam gratiam, & maximam perfectionem vitæ, & multa bona fortunæ, quæ sibi non tenetur tam magna procurare: & eodem modo potest licite vni proximo maiora, & plura bona procurare quam alteri.

Est ergo difficultas, an homo teneatur seipsum magis appretiatiue diligere, quam proximum dilectione actiua quoad bona spiritualia, id est, an in bonis spiritualibus

teneatur potius ſibi proſpicere quam proximo, quando nequit ſibi, & proximo proſpicere.

Circa hanc difficultatem conueniunt Theologi, primo hominem ita teneri ſibi in ſpiritualibus proſpicere, vt pro nullo bono ſpirituali, adhuc pro ſaluatione totius mundi poſsit committere peccatum, non ſolum mortale, ſed nec veniale, v. g. mendacium officioſum, quod ſatis ſignificat Paulus ad Rom. 3. dum damnat tanquam blaſphemos eos qui dicunt: *Faciamus mala, vt eueniant bona.* Et id indicat Chriſtus Matth. 16. *Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur,* quia omne peccatum eſt detrimentum animæ, ſi mortale, eſt detrimentum ſimpliciter, etſi veniale detrimentum ſecundum quid.

Conueniunt ſecundo hominem quoad bona ſpiritualia, quæ non tenetur ſibi procurare, poſſe licite alios ſibi præferre, & eis potius proſpicere, v. g. quoad opera honeſta conſilij, & quoad augmentum Fidei, Spei, & Charitatis, ſeu gratiæ iuſtificantis, quia homo non tenetur ea ſibi procurare, ergo poteſt licite ea non ſibi, ſed alijs procurare. Et quamuis ea non ſibi procurare non ſit ratione ſui honeſtum, eſt tamen honeſtum ea alijs procurare, quamuis honeſtius eſſet ea ſibi potius, quam alijs procurare.

Quoad gratiam vero ſanctificantem, ſeu iuſtificantem dicendum eſt hominem teneri eam ſibi potius procurare quam alijs, quando ad eam procurandam tenetur, vt tenetur in articulo mortis (& idem eſt quoad Fidem, & quoad alia media neceſſaria ad gratiam ipſam) & id ſignificat Chriſtus Matth. 16. verbis ſupra relatis: *Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur.* Et ratione conſtat, quia intrinſece eſt malum, & contra rationem, quod homo in Dei amicitiam ab ipſo Deo ordinatus eam non procuret, ita vt abſque ea, in æternum ſua negligentia ex hac vita diſcedat; quia id eſt, ex natura rei contra Charitatem erga Deum, vt diximus tract. de pœnitentia, diſput. 3. difficult. 4. ergo pro nullius adhuc totius mundi ſaluatione eſt negligenda, quia pro nul-

lius ſaluatione adhuc totius mundi committendum eſt peccatum.

Vnde ob nullum finem, adhuc ob ſaluationem totius mundi licitum eſt à Deo petere in perpetuum carere gratia, quia id petere eſt conatus efficax ad id quod eſt intrinſece malum, & contra Charitatem Theologicam, qui nullo fine poteſt honeſtari: eſt tamen licitum ob ſaluationem aliorum efficaciter deſiderare, & abſolute petere quod acquiſitio dictæ gratiæ differatur vſque ad articulum mortis, quia vſque ad illum excluſiue, non eſt contra Charitatem Theologicam, nec contra aliam virtutem gratia carere: non tamen eſt licitum efficaciter deſiderare, nec abſolute petere quod gratia acquiſita amittatur adhuc pro vno ſolo inſtante quamuis poſsit poſtea recuperari, quia ſecundum præſentem prouidentiam, & ordinationem Dei nequit amitti abſque peccato mortali, & non eſt licitum efficaciter deſiderare, nec abſolute petere, quod nequit fieri abſque peccato mortali. Et ob hanc rationem, ob nullum finem eſt licitum efficaciter deſiderare, nec abſolute petere carentiam perpetuam Beatitudinis, quia ſcilicet ſecundum præſentem ordinationem Dei, nequit eſſe ea carentia abſque peccato mortali in adulto qui id poteſt deſiderare, & petere. Moyſes vero Exod. 32. dum ait: *Aut dimitte eis hanc noxiam, aut ſi non facis dele me de libro tuo.* Non petiuit à Deo abſolute carentiam perpetuam viſionis, ſed tantum ſub conditione nempe: *Si eis non dimittis*: imò ſub hac conditione eam petijt ſatisfidens Deum eam conditionem, non appoſiturum, quia ſatisfidebat Deum eis dimiſſurum. Et Paulus ad Roman. 9. dum ait: *Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.* Nempè pro Iudæis non optabat, quando hæc dicebat, ſeparari à Chriſto per carentiam Beatitudinis, nec per gratiam, ſed quando erat Iudæus optabat eſſe ſeparatum à Fide Chriſti, quia loquens de tempore quo erat Iudæus, vt ſignificaret amorẽ quo ſuos fratres Iudæos proſequebatur, ait: ſe tunc optare ſeparatum eſſe à Chriſto, & eum perſequi ob amorem Iudæorum, & ob zelum in Iudæos.

Nihilominus ob honeſtum finem, nempe ob ſaluationem aliorum, carentia perpetuæ gloriæ, & etiam gratiæ poteſt ſub conditione efficaciter deſiderari, & à Deo peti: nempè, ſi id conducat ad eum honeſtum finem, & ea carentia contingat abſque culpa id deſiderantis, & petentis, vt contingere poſſet ex aliqua peculiari ordinatione Dei.

DIFFICVLTAS III.

Vtrum homo teneatur ſeipſum magis appretiatiue diligere quam proximum in bonis temporalibus?

CONVENIVNT Primo Doctores hominem teneri potius ſubuenire extremæ neceſsitati cõmunitatis cuius eſt pars, v.g. Regni, aut Ciuitatis, quã propriæ exponẽdo ſcilicet vitam propriam periculo, pro ſaluanda communitate à cædibus, vel pro ſaluanda perſona à qua ſaluatio dictæ communitatis dependet, quia ex vna parte incolumitas communitatis eſt bonum multo præſtantius quam vita ſingularis hominis: & ex altera iſte eſt pars cõmunitatis, pars autem eſt ob bonum totius, ſed quamuis teneatur exponere vitam pro ſubueniendo extremæ neceſsitati communitatis, non tamen teneri pro ſubueniendo neceſsitati graui communitatis, quia exponere vitam eſt res duriſsima, ad quam non eſt obligandus homo niſi pro ſubueniendo maximæ neceſsitati cõmunitatis qualis eſt ſola extrema: imò nec teneri exponere membrum mutilationi, nec magnas fortunas iacturæ, quia quodcumque ex his exponere, eſt duriſsimum.

Conueniunt ſecundo hominem in æquali neceſsitate ſui, & proximi priuati in eis bonis corporalibus etiam vitæ, in quibus ſibi, & proximo ſubuenire tenetur, poſſe licite ſibi potius quam proximo proſpicere, vt patet: & id

est rationi conformius: quia ex vna parte quisque est magis sibi vnus quam proximo, & ex altera non est pars proximi, nec essentialiter dependet à proximo, vt dependet a Deo.

Conueniunt tertio hominem posse licite potius subuenire necessitati proximi quam propriæ, quamuis maiori in eis bonis, externis quæ non sunt necessaria ad vitam quamuis sint necessaria ad conseruationem status, illa donando indigenti, quia quando adest rationabilis causa qualis est indigenti subuenire non est contra liberalitatem quoad excessum quod homo bona propria donet, nec contra aliam virtutem quod necessitatem patiatur sibi non prospiciendo.

Est tamen difficultas, an homo in extrema necessitate sui, & alterius proximi teneatur potius propriæ vitæ prospicere sibi subueniendo, quam proximi priuati.

Paludan. in 4.d. 15. quæstion. 3. articul. 2. Gabr. d. 16. quæst. 4. articul. 2. Bellarmin. lib. 3. de bonis operibus, cap. 8. & Petrus Hurtado disput. 144. sect. 4. partem affirmatiuam tuentur. Quod significat Augustin. libr. de Mendacio, cap. 6. dum ait. *Si pro illius nempe proximi, temporali vita suam ipsem temporalem perdit non est iam diligere sicut seipsum, sed plusquam seipsum, quod sane doctrinæ regulam excedit.*

Et ratione potest probari primo, quia quis est sibi magis coniunctus quam proximo, imò, & quam Patri, quia est sibi vnus, ergo potius tenetur propriæ vitæ, quam proximi prospicere, antecedens patet, consequentia probatur, quia ex eo quod Pater est magis coniunctus filio quam proximus, tenetur filius in extrema necessitate Patris, & proximi, potius prospicere Patri, quam proximo. Secundò, homo potius tenetur prospicere propriæ vitæ spirituali nè eam amittat, quam proximi, ergo etiam propriæ vitæ corporali potius quam proximi.

Victoria verò relectione de homicidio num. 27. Sotus 5. de iustitia, q. 1. art. 6. Lessius lib. 2. cap. 9. dub. 6. & Ægid. disp. 25. dub. 6. partem negatiuam meritò tradunt, nempè

homi-

hominẽ non teneri in extrema neceſsitate, potius propriæ vitæ quã proximi proſpicere, ſed poſſe licitè, potius vitæ proximi, quamuis non ſit amicus, quam propriæ proſpicere, propriam pro vita cuiuſcumque proximi exponendo, non ſibi, ſed proximo ſubueniendo; & quidem licitum eſſe vitam propriam exponere pro vita amici ſignificat Chriſtus Ioan. 15. illis verbis: *Maiorem hac Charitatem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Et id generaliter ratione à priori probatur, quia ſi voluntarie exponere periculo vitam propriam pro vita proximi eſſet illicitum, ſeu contra aliquam virtutem, maximè contra fortitudinem, ad quam pertinet non prodigere vitam propriam (ſicut ad liberalitatem non prodigere proprias diuitias) & non contra Charitatem, nec contra miſericordiam erga ſeipſum, ſicut nec ſeipſum occidere eſt contra aliquam earum, ſed tantum contra fortitudinem, & ſicut occidere proximum, & vitam proximi periculo exponere non eſt contra Charitatem, nec cõtra miſericordiã erga illum, ſed tantum contra iuſtitiam, ſed quamuis ſeipſum occidere pro ſaluanda vita adhuc Principis, à quo pendet liberatio alicuius Magni Regni ſit contra fortitudinem quoad exceſſum, quia id eſt, quid inhumanum: exponere tamen vitam pro ſaluanda vita proximi, non eſt contra fortitudinem, quia id fit humano modo, & ex magna rationabili cauſa, nempè ad vitam proximi ſaluandam, ſicut nec eſt contra liberalitatem ex magna rationabili cauſa, ſe omnibus diuitijs ſpoliare, ergo homo licitè poteſt vitam propriam periculo exponere pro vita proximi quamuis extranei, ei, & non ſibi ſubueniendo.

Vndè in naufragio licitè poteſt, quis non aſſumere tabulam, in qua ſaluetur, ſed eam relinquere proximo, vt ſaluetur, & in extrema neceſsitate proximi, & propria panis, qui non ſufficit vtrique, poteſt ipſe illum non aſſumere, ſed relinquere proximo: imò & iam aſſumptum proximo donare: quia id non eſt verè & poſitiue ſe occidere, adhuc moraliter, ſed ſe non liberare à morte, quod non eſt inhumanum, ſicut nec tabulã iã manu arreptam in naufragio, proximo relinquere erit tamen inhumanum, & ſeipſum occidere, ſaltem moraliter, ſi iam exiſtens ſupra tabulam, eam relinquat

pro-

proximo, quia id est se tradere à quis, in quibus certo est suffocandus.

Augustinus verò pro aduersarijs adductus non significat, id esse contra regulam, quo significaret, id esse illicitum, sed tantum significat id esse supra regulam: & quamuis significaret id esse contra regulam, & illicitũ non multũ referret, quia in eo libro multa obscurè dicit, & potius inquirendo, quam asseuerando, vt ipse fatetur lib. 1. retract. capit. vltimo.

Et ad priorem rationem concedimus antecedens: & negamus consequentiam, & ad eius probationem concedimus in extrema necessitate Patris, & proximi, quando vtrique nequit subueniri potius esse subueniendum Patri, quam proximo, quia Pater est magis coniunctus filio quam proximus, si pater non vult quasi cedere obligationi filij erga ipsum: posset tamen potius subuenire proximo, quam Patri ex voluntate, & consensu Patris volentis, vt potius proximo quam sibi subueniatur, in quo *P*ater posset laudabiliter consentire. Et quia quando quis exponit vitam propriam pro vita proximi, id efficit libere, ideò non obstat, quod sit sibi vnus, vt possit vitam propriam pro vita proximi periculo exponere.

Ad posteriorem etiam concedimus antecedens, & negamus consequentiam ob discrimen inter vitam spiritualem, & vitam corporalem, quia vita spiritualis non amittitur, nisi per verum, & formale peccatum graue proprium, quod non est licitum, non verò vita corporalis: imò & non recuperatio vitæ spiritualis in articulo mortis, ita est intrinsecè mala contra Charitatem erga Deum, vt nullo fine possit honestari.

(?.)

DIFFICVLTAS IIII.

Vtrùm homo teneatur magis appretiatiue diligere proximum in bonis ſpiritualibus, quam ſeipſum in temporalibus?

CONVENIVNT Theologi hominem aliquando teneri potius proſpicere vitæ ſpirituali proximi, quam propriæ corporali quando nequit vtrique proſpicere, quod ſignificat Chriſtus Ioan. 15. illis verbis: *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos*: & indicans ad quid peruertura ſit dilectio illa, immediatè ſubdit: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*: & idem ſignificatur, 1. Ioan. 3. in hoc cognoſcimus Charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere: & ratione probatur, quia æterna damnatio eſt malum adeò magnum, vt mors corporalis in comparatione illius ſit valde exiguũ, ex Charitate autem, vel ex miſericordia oritur obligatio negligendi exiguum malum proprium pro vitando malo maximo proximi.

Eſt tamen difficultas, quando ſeu in quibus occaſionibus ad id teneatur homo?

Circa quam etiam conueniunt Theologi in extrema neceſsitate vitæ ſpiritualis proximi, qui in æternum damnandus eſt, niſi ei ſubueniatur, teneri hominem etiam priuatum illi ſubuenire, non ſubueniente alio, quamuis ad ei ſubuenie dum ſit neceſſarium vitam corporalem periculo exponere, quia ſi aliquando eſt obligatio ſic ſubueniendi, maximè, ei qui exiſtit in dicta extrema neceſsitate. Nihilominus, vt homo ad id teneatur, vel vt á dicta obligatione non excuſetur requiruntur duo, nẽpè: & quod ſit moraliter certus, quod cum effectu ſubueniet, quia vita corporalis eſt bonum adeò magnũ, vt abſq; dicta Spe fructus, nõ debeat periculo exponi, & etiam requiritur, quod ſit moraliter certus, quod ſit ip-

ſe

se in statu gratię, ne fortè ipse pro liberando proximũ, damnetur, & absque ea certitudine nequit suam vitam exponere.

Addimus dictam obligationem subueniendi ei, qui existit in extrema necessitate vitæ spiritualis, adhuc exponendo vitam corporalẽ, esse tantum subueniendi ei, qui existit in extrema necessitate physica, aut quando quis physicè non sufficit sibi absque ope alterius, vt contingit infanti nõ baptizato moribundo, qui nec se potest valide baptizare, nec alio modo saluari, nisi baptismo: non verò esse subueniendi ei, qui non existit in dicta extrema necessitate physica, quãuis existat in extrema morali, quæ physicè tantum est grauis, vt quando quis sibi physicè sufficit, non tamen absq; magna difficultate, vt contingit adulto consuetudine peccandi inueterato moribundo præsertim rustico, qui nisi medio *Sacramento* pœnitentiæ, difficile admodum saluabitur: quia difficile admodum eliciet actum Charitatis erga Deum, quia rigidum est obligare ad exponendam vitam corporalem, vt subueniatur ei, qui sibi physicè sufficit cum auxilio Dei non deficiente, quamuis id non possit, nisi admodum difficile: quod reipsa contra non paucos sentiunt Lessius lib. 2. cap. 9. num. 51. & Petr. Hurt. disp. 144. à n. 27.

Extra necessitatem, ergo extremam physicam vitæ spiritualis proximi priuati, nõ tenetur homo priuatus ad subueniendum proximo, quoad vitam spiritualem exponendo pro eo vitam corporalem: imò nec amissionem membri, nec grauem iacturam bonorum fortunæ ob rationem dictam: quia scilicet rigidum est cum tanta iactura priuatum obligari ad subueniendum ei, qui sibi sufficit absque ope alterius hominis. Addimus: *Quia rigidum est cum tanta iactura priuatim obligari*: quia superior cui ratione sui officij commissa est animarum cura tenetur, saltem ex fidelitate, adhuc cum iactura vitæ subuenire necessitati graui spirituali suarum ouium, non existente alio, qui suppleat: imò & ad non renunciandum pro tunc officio suo, nisi alius illud suscipiat, aut saltem suppleat.

Nihilominus quamuis extra dictam extremam necessitatem proximi priuati, non teneatur priuatus pro ei subue-

nien-

niendo grauem iacturam pati; tenetur tamen adhuc vitam exponere pro ſubueniẽdo graui neceſsitati ſpirituali Regni, vel ciuitatis, aut magnæ partis Regni, aut ciuitatis, vt tẽpore peſtis, & tẽpore in quo hæretici peruertunt plebẽ, quãdo nõ ſunt alij qui ſubueniant: quia non eſt rigidũ dictã iacturã pati pro ſubueniendo tot hominibus in ea graui neceſsitate: & quamuis non ſit obligatio patiendi grauem iacturam pro ſubueniendo homini priuato in dicta graui neceſsitate, quando ſcilicet non ſibi ſufficit, niſi difficile, eſt tamen obligatio patiendi iacturam aliquam quamuis non grauem, quia ad iacturam non grauem obligari, non eſt durum.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm homo teneatur aliquando magis appretiatiue diligere vnum proximum, quam alterum?

CONVENIVNT Theologi hominem aliquando teneri magis appretiatiue diligere vnum proximum, quam alterum dilectione actiua beneficentiæ, aut miſericordiæ, tunc ſcilicet, quando tenetur pluribus proximis ſubuenire, & non poteſt omnibus. Quod ſignificat Paulus 1. ad Timot. 5. *Si quis ſuorum maximè domeſticorum curam non habet, Fidem negauit, & eſt infideli deterior.*

Eſt tamen difficultas, quis proximus ſit præferendus, & in quibus euentibus.

Pro cuius difficultatis declaratione obſeruandum eſt. Primò, coniunctionem proximi cum homine diligente eſſe triplicem: aliam ſanguinis, qualis eſt inter parentes, & filios, & inter fratres, & inter quoſcumque alios conſanguineos aliam politicam, qualis eſt inter amicos, inter contubernales, inter conciues inter ſocios militiæ, aut ſtudiorum: aliã eſſe ſpiritualem, qualis eſt inter fideles ratione Fidei, inter Religioſos ratione ſtatus Religioſi, & præſertim inter Religioſos eiuſdem ordinis, inter confeſſarium, & pœnitentem

inter

inter parrochos, & parrochianos, inter prædicatorem, & ab ipso conuersum ad pœnitentiam, inter superiorem, adhuc sæcularem, & subditum.

Obseruandum est secundò, proximum posse indigere ope alterius hominis, aut in bonis temporalibus, aut in spiritualibus, aut in vtrisque, & posse in eis indigere, aut extreme, aut tantum grauiter.

Obseruandum est tertiò, posse esse in æqualitatem coniunctionis cum homine diligente, aut in genere, seu qualitate coniunctionis, quia alius potest esse coniunctus naturaliter, & alius spiritualiter, & alius politicè, aut in multiplicitate coniunctionis, quia alius potest esse coniunctus omnibus tribus coniunctionibus, alius duabus tantum, & alius vna tantum; & posse esse inæqualitatem in necessitate, seu indigentia, quia vnus potest extreme indigere, & alius grauiter tantum.

Conueniunt ergo primò Theologi cæteris paribus, quoad necessitatem proximi hominem teneri præferre, seu magis appretiatiue diligere dilectione actiua eum, qui sibi coniunctior est: & cæteris paribus, quoad coniunctionem teneri præferre, seu potius prospicere ei, qui est in maiori necessitate, quia excessus in quouis ex his duobus titulis, nempè aut in coniunctione, aut in necessitate sufficit ad obligationem prælationis, quando aliàs est obligatio subueniendi, vt ex se patet: & quando alter proximus est coniunctior, & alter indigentior, considerandas esse varias circunstantias ipsius coniunctionis ex vna parte, & indigentiæ, seu necessitatis ex altera, & iuxta eas arbitrio prudentis est discernedũ, cui sit potius subueniendũ, quando omnibus nequit subueniri: exempli gratia, quãdo vnus proximus adhuc extraneus est in extrema necessitate physica spirituali præferendus est cognatis, adhuc parentibus, quãuis existentibus in extrema necessitate corporali, imò & sibi, quia ea necessitas spiritualis est tanta, vt multũ præponderet coniunctioni adhuc naturali, etiã in primo gradu, & extremæ necessitati corporali simul; & coniunctio naturalis cum ascendentibus & descendentibus, & cum vxore est tanta, vt potius sit subueniendũ graui necessitati corporali eorum, imò & fratris,

quam

quã extremæ corporali proximi extranei: pro meliore tamẽ discretione omnium, quæ circa materiã præsentis difficultatis possunt occurrere, nonnulla quæremus & soluemus.

Quæres ergo primò, an coniunctio naturali sit ex obligatione præferenda spirituali, id est, an pater naturalis, seu carnalis præferedus sit spirituali, & filius naturalis filio spirituali, & frater naturalis fratri spirituali, & sic de reliquis gradibus, quandò alias est obligatio subueniendi illis, & nõ potest omnibus subueniri.

Respondemus coniunctionẽ nturalẽ, seu carnalẽ per se, & cęteris paribus esse ex obligatione præferendã spirituali, & non solum in bonis temporalibus, in quo Theologi conueniunt, sed etiã in spiritualibus, vt contra nõ paucos docẽt Soar. disp. 9. sect. 4. Ægid. disp. 25. n. 161. Bañ. & Lor. q. 26. art. 8. Cast. pun. 10. & Pet. Hurt. disp. 154. sect. 5. & in primis præferendã esse in tẽporalibus patet: quia cõiunctio naturalis, seu cõsanguinitatis, seu per originẽ est prima, intimior, & immutabilior, & fũdata in prima radice beneficiorũ, nẽpè in natura cõmunicata, & est ipsis bonis tẽporalibus, maximè proportionata: spiritualis verò quãuis sit cõiunctio ratione maioris boni, est tamẽ valde extrinseca, & parũ fixa & bonis tẽporalibus parũ proportionata, ergo in eis est spirituali p ę ferẽda. Deinde esse etiã præferẽdã in bonis spiritualibus probatur, quia eo ipso, quod coniunctio naturalis est multo maior spirituali quãuis nõ ita proportionata bonis spiritualibus exigit, vt etiam in spiritualibus, in quibus est obligatio subueniẽdi proximo, potius subueniatur naturaliter cõiunctis quã cõiunctis spiritualiter, quia ad obligationẽ prelationis ad subueniẽdũ admittendã, non tã est attẽdendũ ad proportionẽ bonorũ cum cõiunctione quã ad cõiunctionẽ cum subueniente, quia ex hac præcipuè, & maximè oritur, quoad quæcũq; bona: quis enim dicet me esse ex obligatione postponendum â me, patri meo spirituali in spiritualibus.

Vnde homo in tẽporalibus, & in spiritualibus, in quibus tenetur proximis subuenire, & non potest omnibus tenetur præferre parentes carnales, & vxorem, & filios, & fratres quibuscumque cognatis spiritualibus: imò & reliquos carnales ascendentes, quia sunt quasi parentes â quibus quãuis

remo-

remote accipi naturam, & etiam reliquos descendentes, quia sunt quasi filij, quibus quamuis remote comunicauit naturam.

Ambros. verò, qui lib. 1. officiorum capit. 8. ait se non minus, imò magis diligere filios suos spirituales, quam si eos carnaliter genuisset, & id esse conforme rationi significat, tantum loquitur extra necessitatem, in qua sit obligatio subueniendi proximo, quia in hac potius subueniendum est filijs carnalibus, & alijs prædictis coniunctis naturaliter, quam filijs spiritualibus, etiam in bonis spiritualibus, & etiam ab Episcopo, & à quocumque alio, qui ex officio tenetur suis inferioribus prospicere, quia in ea necessitate strictius obligat pietas erga dictos coniunctos naturaliter, quam fidelitas, vel iustitia erga inferiores, etiamsi extra eam necessitatem prospiciẽdum potius sit inferioribus in spiritualibus, quia extra illam tenetur inferioribus ex fidelitate, vel ex iustitia, & nullatenus tenetur naturaliter coniunctis.

Addidimus, coniunctionem naturalem per se, & cæteris paribus esse præferendam spirituali, quia coniunctio naturalis potest esse ita remota à tertio, scilicet gradu lineæ transuersæ, vt ex obligatione videatur postponenda fraternitati, & filiationi spirituali arctæ, imò & coniunctio naturalis lineæ transuersæ in secundo gradu, si prædicta spiritualis sit maximè arcta.

Quæres secundò, an coniunctio naturalis sit præferenda politicæ, seu humanæ, v.g. an Pater carnalis sit præferendus amico, quando est obligatio subueniendi vtrique, & nõ potest vtrique subueniri, sed tantum vni eorum?

Respondemus coniunctionem naturalem per se, & cæteris paribus esse ex obligatione præferendam coniunctioni politicæ, seu humanæ in omnibus bonis necessarijs etiam in humanis: quia essentialiter est maior, quia est prima, & intimior, & fixior & fundata in natura.

Addidimus per se, & cæteris paribus, quia amicitia potest esse ita arcta, vt accidentaliter fiat maior coniunctione naturali in secundo, & in reliquis remotioribus gradibus, adhuc lineæ rectæ, sicut etiam contingit, quod peccatum ex

obie-

obiecto, seu essentialiter maius, sit accidentaliter minus, & dignum minori pœna, peccatum enim odij Dei, quod ex obiecto est maius, quam peccatum fornicationis potest esse accidentaliter minus, & tantum veniale si fiat ex imperfecta deliberatione, & peccatum fornicationis esse maius, & mortale, quando ei non deficit plena deliberatio, quod iuditio prudentis discernendum est, attendendo ad excessum amicitiæ supra coniunctionem sanguinis secundum se, aut quasi remissam inimicitia.

Est tamen difficultas, an aliquãdo præferenda sit coniunctioni naturali in primo gradu. Circa quam existimamus patrem, matrem, vxorem fidelem, filium, etiam fratrem, qui in suis muneribus grauiter deliquerunt alter contra alterum posse pro optione subuenientis anteponi, aut postponi amicissimo, qui me liberauit ab iniusta morte cũ periculo suæ vitæ: & etiam ei, qui me magnis expensis per multum tempus aluit, quia ex vna parte obligatio orta ex coniunctione naturali inter prædictos ita remittitur accidentaliter ob dictam inimicitiam inter ipsos, & ex altera parte dicta coniũctio politica est adeo magna, vt nequeat prudẽter discerni, an superetur à dicta coniunctione naturali ob dictam inimicitiam remissa, vel an eam superet, ergo tunc prædicti poterunt pro optione subuenientis anteponi, aut postponi, dicto amicissimo, quia pro neutra parte prudenter discernitur excessus obligationis ad prælationem? poterit tamen arctissima coniunctio humana, ita iuuari ab arctissima coniunctione spirituali, vt sit obligatio, & sub mortali postponendi prædictos coniunctos naturales amicissimo, & simul arctissime coniunctos spiritualiter.

Quæres tertiò, an coniunctio spiritualis præferenda sit coniunctioni humanæ, seu politicæ?

Respondemus per se, & cæteris paribus coniunctionem spiritualem esse præferendam in omnibus bonis necessarijs, tàm spritualibus, quàm temporalibus & humanis, quia ex vna parte est præstantior illa ratione maioris boni, & ex altera non aliunde exceditur per se à coniunctione humana. Nihilominus cum sit coniunctio valde extrinseca, & mu-

tabilis, ita parum excedit coniunctionem humanam, vt vel non inducat obligationem præferendi illam, vel tantum ſub peccato leui. Vnde adhuc cæteris paribus præferre amicum ordinario Patri ſpirituali, vel non eſt peccatum, vel tantum eſt veniale etiam ſi prælatio ſit quoad ſubuentionem in re grauiſsima.

Quæres quartò, ex coniunctis eodem genere coniunctionis, quis debeat præferri.

In primis circa coniunctos naturaliter, ſeu carnaliter omiſsis varijs modis, & probabilibus dicendi, quia alij exiſtimant probabiliter vxorem eſſe parentibus, & filijs ex obligatione præferendam, & alij etiam probabiliter filios præferendos eſſe vxori & parentibus, & alij & non parum probabiliter matrem eſſe ex obligatione præferendam patri. Reſpondemus, in extrema neceſsitate cæteris paribus parentes eſſe ex obligatione præferendos vxori, quia eſt intimior coniunctio cum illis & maximum debitum illis, quia quamuis maritus, & vxor fiant vna caro media copula, non tamen fiunt vna numero caro, ſed tantum vnum principium eiuſdem carnis, ſeu prolis aut potius duo comprincipia eiuſdem carnis, ſeu prolis, quæ eſt vnio multo minor quam vnio cum parentibus, à quibus filius accipit naturam: nihilominus propter aſſumendam vxorem poſſunt relinqui parentes, & poſt aſſumptam vxorem, ſi neceſſarium ſit relinquendi ſunt, vt adhæreatur vxori ad cohabitandum cum ea, & ad prolis generationem. Deinde Parentes etiam eſſe præferendos filijs, quia coniunctio cum parentibus eſt tanquam cum Principijs, & cum filijs tanquam cum principiatis; & filios præferendos eſſe vxori, (etiam ſi oppoſitum maior Doctorum multitudo affirmet) quia coniunctio cum vxore tantum eſt tamquam cum comprincipio eiuſdem carnis, cum filijs verò tamquam cum principiatis, quæ maior eſt, & fere tanta quanta cum principijs, ſeu parentibus: imò dicta coniunctio cum vxore eſt propter filios generandos; & patrem eſſe ex obligatione præferendum matri, quia quamuis hæc ſit certior quã pater, & plus patiatur in generatione, & educatione filiorum. Tamen pater eſt principium principalius filiorum, quam

ma-

mater, quod præponderat prædictis de matre erga filios.

Addidimus primò, in extrema necessitate, quia extra eam vxor est præferenda parentibus & filijs, & filij parentibus non vxori, & forsam mater patri.

Addidimus secundò, cæteris paribus, quia si pater sit crudelis erga filios, & mater erga eos admodum benigna, vel pater parum prospiciat filijs, mater verò multum, tunc mater in extrema necessitate est præferenda ex obligatione patri.

Ita tamen inter prædictos naturaliter coniunctos cæteris paribus est obligatio seruandi dictum ordinem prælationis, vt non sit peccatum mortale eum inuertere, quia excessus coniunctionis inter eos non est grauis, imò nec satis notus.

Frater autem per se & cæteris paribus postponendus est prædictis, quia frater est minus coniunctus, imò & multo minus quam prædicti, ob quod erit mortale eum prædictis anteponere, nisi prædicti fuerint subuenienti grauiter iniurioſi, & frater fuerit eis insignis benefactor, quia tunc non erit mortale: imò tanta potuit esse iniuria illorum, erga subuenientem, & beneficentia fratris erga eum, vt non sit peccatum: imò & quod teneatur anteponere fratrem cuilibet ex prædictis.

Quod autem dictum est circa ordinem prælationis seruandum, ex obligatione inter naturaliter coniunctos, etiam est verum circa coniunctos quolibet alio genere coniunctionis, nempè quod per se, & cæteris paribus magis coniuncti, sint ex obligatione præferendi in necessitate, in qua sit obligatio subueniendi: vnde pater spiritualis præferendus est filio spirituali, & filius fratri spirituali, & Christianus non Christiano, & fidelis non fideli, & amicior non tam amico, & benefactor beneficiato, quia beneficium acceptum obligat recipientem erga benefactorem: Beneficium verò datum non obligat benefacientem erga beneficiatum.

Obseruandum est magis coniunctos cum subueniente in quolibet genere coniunctionis esse præferendos, quàm sint

peccatores; & minus coniuncti, sint iusti, quia obligatio prælationis in subueniendo tantum oritur ex coniunctione cum subueniente, non cum Deo, ac proinde quamuis maior coniunctio cum Deo facta media sanctitate efficiat obiectum magis amabile amore affectiuo Charitatis Theologicæ, non tamen obligat ad obiectū illud præferendum, seu ad magis amandum amore actiuo subuentionis. Vnde inter alios extraneos quamuis iustus sit diligibilior motiue ob Deum quam peccator, quia in eo est maius motiuum ad dilectionem ob Deum, quia in eo est maior participatio diuinæ bonitatis, & magis iustus sit sic diligibilior minus iusto, non tamen est ex obligatione præferendus amore actiuo subuentionis, nisi subueniens prudenter credat se esse iustum, quia tunc ratione coniunctionis confiliationis spiritualis cum proximo iusto, quia ambo sunt filij adoptiui Dei, tenetur præferre iustum peccatori, & iustiorem minus iusto, si id prudenter possit discernere. Et inter alios coniunctos cæteris paribus erit etiam à iusto præferendus iustus peccatori & iustior minus iusto, ratione cōiunctionis confiliationis spiritualis adoptiuæ Dei.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm supradictus ordo Prælationis in dilectione sit ex inclinatione voluntatis?

CIRCA Hanc difficultatem omissis varijs modis dicendi existimamus in voluntate nostra esse inclinationem, seu propensionem rationalem ad magis appretiatiue diligendum Deum quam nos, tám dilectione affectiua, quàm actiua, quia in voluntate vtpote appetitu rationali, seu naturæ rationalis est propensio ad id, quod est secundum rectam rationem; prædictus autem ordo inter Deum & nos est secundum rationem rectam, & secundum eam debitus.

Et

Et ob eandem rationem in voluntate aliquando eſt inclinatio rationalis ad magis appretiatiue diligendos proximos dilectione actiua, quam nos: & extraneos, quam coniunctos, & in id rationaliter propendet, vt contingit, quando in proximis, & in extraneis eſt extrema neceſsitas phyſica ſpiritualis, & in nobis, & in coniunctis nobis, non niſi corporalis, quia ſcilicet, tunc & in alijs caſibus dicta prælatio eſt conformis rectæ rationi, & ſecundum eam debitam.

Nihilominus exiſtimamus in voluntate etiam eſſe inclinationem quaſi animalem, & naturalem prout condiſtinctam à rationali ad magis appretiatiue diligendum nos quam Deum, quia voluntas noſtra animaliter, & naturaliter propendet ad dictam prælationem appretiatiuam, quia animaliter, & non ducta per rationem rectam facilius tendit, & vehementius propendet in dilectionem noſtri, quam Dei, vt experientia conſtat, quod non eſt mirum, quia quilibet eſt ſibi magis vnitus, (imò eſt ſibi vnus) quam Deo: quod ſi manus exponitur periculo ſui, vt ſaluet totam, aut aliam partem magis principalem, non exponitur à ſeipſa, nec inclinatione ſui, ſed exponitur ab appetitu, ſiue rationali, ſiue ſenſitiuo, qui eſt appetitus totius potius quam partis, & ideò appetitus magis proſpicit toti quam parti, & parti principali magis quam minus principali.

Et quia inclinatio hæc animalis, & naturalis voluntatis eſt abſolute vehementior, quam rationalis, vt experientia conſtat, ideò inclinatio noſtra voluntatis ad magis appretiatiue diligendum nos quam Deum eſt abſolutè maior, & etiam ad magis appretiatiue diligendum nos quam proximos, & ad magis diligendum nobis carnaliter coniunctos, quam extraneos, & ad magis appretiatiue diligendum nobis coniunctione humana quam ſpirituali coniunctos cæteris paribus, quoad magnitudinem coniunctionis.

Hæc autem inclinatio voluntatis tàm rationalis, quàm animalis, ſeu naturalis, (vt condiſtincta a rationali) eſt natiua ipſi voluntati ab ipſa indiſtincta, quæ reſpectu di-

lectionis supernaturalis dicitur obedientialis, quia ad eum actum dilectionis eliciendum, est subordinata agenti supernaturali, & superiori à quo eleuatur ad illum: & respectu dilectionis ordinis naturalis, dicitur naturalis prout naturale condistinguitur à supernaturali.

DISPVT. VIII.

De odio & ei similibus.

DIFFICVLTAS I.

Quid: & quotuplex sit odium?

CONVENIVNT Doctores odium esse *fugam mali*: est autē fuga actus quidā positiuus voluntatis, quia odium est affectus positiue oppositus amori, & ideò sicut amor est prosequutio alicuius boni, siue personæ bonæ, siue alius rei bonæ ita odium est fuga positiua alicuius mali, siue personæ malæ, siue alius rei malę, quod ex dicendis amplius constabit.

Conueniunt secundò, Doctores odium esse duplex: alterum inimicitiæ oppositū amori amicitiæ, seu beneuolentiæ: & alterum abominationis oppositū amori concupiscentiæ: odium inimicitię est displicentia personę tamquam finis *cui*, seu obiecti *cui*, quo alicui personæ volumus malum, vt malum illius est, aut nolumus bonum, vt bonum illius est, ex displicentia, seu maleuolentia ipsius personæ ob malitiam personæ, siue veram, siue tantum apprehensam in ipsā personæ: odium verò abominationis est displicentia alicuius, siue personæ, siue alius rei tamquam obiecti *quod*, seu finis, vel quasi finis *qui*, quo alicui personæ nolumus, seu abominamur malum (siue personam, siue aliam rem) vt malum illius ex cōplacentia, seu beneuolētia ipsius personæ, aut quo nolumus

bonum,

bonum, vt bonum illius est ex displicentia ipsius personę: sicut amor, cui odium positiue, opponitur etiam est duplex alter amicitiæ cui positiue opponitur odium inimicitiæ, & alter concupiscentiæ, cui positiue opponitur odium abominationis, & sicut amor amicitiæ est complacentia, seu beneuolẽtia personæ, tãquã obiecti, seu finis *cui*, quia est affectus quo alicui personæ volumus bonũ, vt bonũ illius est, aut quo nolumus malũ, vt malum illius ex complacentia, seu beneuolentia ipsius personæ: & amor concupiscentiæ est complacentia alicuius tamquã obiecti *quod*, seu finis, vel quasi finis *qui*, quia est affectus, quo volumus alicui bonum, vt bonum illius est, ex complacemtia ipsius personæ, aut quo nolumus illi malum, vt malum illius est ex displicentia ipsius personæ.

Vnde aliquando idem reipsa affectus est odium inimicitiæ, & abominationis (sicut etiam idem affectus in exemplis adductis est amor amicitiæ & concupiscentiæ) quia affectus ille, quo alicui personæ nolumus bonum, vt bonum illius ex displicentia personæ est odium inimicitiæ, quatenus terminatur ad personam per modum fugæ, & est odium abominationis quatenus terminatur ad bonum illi nolitum etiam per modum fugæ. Aliquando verò odium inimicitiæ reipsa reperitur absque odio abominationis, & ab eo realiter distinguitur, & è contra, quia affectus ille, quo alicui personæ volumus malum, vt malum illius ex displicentia personæ est odium inimicitiæ, & non est odium abominationis, sed est amor concupiscentiæ mali voliti, & affectus ille, quo alicui personæ nolumus, seu abominamur malum, vt malum illius est, ex complacentia ipsius personæ est odium abominationis respectu mali noliti, & non est odium inimicitiæ, sed est amor amicitiæ respectu personæ.

In Deo autem non solum potest esse odium abominationis peccati, quo sibi displicet peccatum peccatoris, seu illud abominatur, in quo Doctores conueniunt, sed etiam potest esse odiũ inimicitiæ peccatoris, vt peccator est iuxta illud, Sap. 14. *odio sunt Deo impius, & impietas eius*, & nõ peccatoris, vt creatura est, ita vt motiuũ dicti odij non sit ratio aliqua physica creaturæ, sed peccatum ipsum iuxta illud,

sap. 11. nihil odisti eorum, quæ fecisti, vt dicemus tractatu de voluntate Dei.

DIFFICVLTAS II.

Vtrûm Deus possit odio haberi?

CONVENIVNT Doctores Deum posse odio haberi à non videnteipsum, quod exprimitur in scriptura, num. 10. *Surge Domine, & dissipentur inimici tui: & fugiant qui te oderunt à facie tuæ:* & sæpè alibi, & non solum odio abominationis, quo potest quis nolle Deum esse, quia concipit, aut iudicat Deum esse sibi malum, quia punitur, aut puniendus est ab ipso, aut ob aliud motiuum, ita vt Deus sit, qui odio habetur, *vt quod*, & punitio ipsa, aut alius effectus Dei sit motiuum, seu obiectum, *vt quo*, sed etiam odio inimicitiæ, quia Deus potest concipi, & iudicari, vt aduersarius, quia punit, aut aliter, & vt talis conceptus, aut iudicatus odio inimicitiæ haberi, ita vt ipse sit obiectum, *cui*, seu finis cui ametur aliquod malum, aut cui fugiatur aliquod bonum ex displicentia ipsius Dei, & motiuum huius displicentia sit ratio aduersarij male concepta, aut falsò iudicata in Deo.

Conueniunt secundò, Deum de facto non posse odio haberi à videnteipsum prout est in se, quia non odio inimicitiæ, quia de facto eum non concipit, nec iudicat aduersariũ sibi, nec odio abominationis, quia nullo modo concipit, nec iudicat Deum, vt sibi malum.

Est tamen difficultas, an Deus de sua potentia absoluta possit odio haberi à videnteipsum prout est in se?

Holcot, q. 9. art. 3. & supplementum Gabr. in 4. distin. 49. quæst. 2. artic. 3. dub. 5. partem affirmatiuam tuentur, quia Deus sua potentia absoluta potest videntem ipsum destinasse ad pœnas inferni, & id ei reuelare, in hoc autem casu ille poterit odio habere Deum, quia tunc concipit Deum, tamquam sibi aduersarium, quia tamquam punitorem, auersarius autem & punitor potest esse obiectum odij adhuc inimicitiæ.

S. Th. verò quæst. 34. artic. 1. Ægid. disput. 29. dub. 2.

Petr.

Petr. Hurt. disput. 164. sect. 4. Vazq. 1. 2. diffic. 16. & communiter Theologi partem negatiuam tradunt, & meritò, quia Deus non potest à vidente ipsum haberi odio abominationis, quia nequit ab eo concipi, vt malum proprium ab ipso habitum, & possessum, quia vt possessus media visione nequit esse videnti malus, sed maxime bonus, & à vidente ipsum non concipitur aliter quam est in se: nec potest à vidente ipsum haberi odio inimicitiæ, quia nequit ab eo concipi, vt malus in se vt patet; quia in se non est malus, nec potest concipi, vt aduersarius ipsi videnti adhuc in casu aduersariorum, conceptus scilicet, & iudicatus tanquam punitor ipsius (videntis, quia quamuis iudicetur tanquam punitor, non tamen tanquam inimicus, & aduersarius, sed vt æquissimus, quem vt sic nequit odio inimicitiæ habere.

DIFFICVLTAS III.

Vtrum odium Dei sit maximum peccatum?

CONVENIVNT Doctores odium inimicitiæ Dei (quod simpliciter, & absolute dicitur odium Dei) esse ex se, seu ex suo obiecto peccatum mortale, & omnium maximum, quia opponitur virtuti maximæ ingenere moris, & in vi obligandi nempe Charitati Theologicæ, de quo non nihil diximus tract. de Fide disp. 10. diffic. 2. & tract. de Spe disp. 2. diffic 4.

Addidimus ex se, seu ex suo obiecto, quia ex defectu perfectionis libertatis, & ex nonnullis alijs, potest esse minus peccatum quam alia, imò potest esse tantum veniale sicut quicumque alius actus peccaminosus, non vero ex defectu quantitatis materiæ, id est, quamuis malum, quod Deo volumus, aut bonum quod ei nolumus sit leuissimum, quia grauiter dissonat rationi ex displicentia Dei velle ipsi malum aliquod, aut nolle ipsi bonum aliquod quamuis leuissimum: sicut è contra est grauiter consonum rationi ex complacentia ipsius ei velle bonum aliquod, aut nolle ei aliquo malum quamuis leuissum.

Et

Et quamuis odium inimicitiæ Dei, & omissio dilectionis amicitiæ Dei debitæ ex præcepto opponãtur eidẽ Charitati Theologicæ: nihilominus odium Dei ex se, seu essentialiter, & specifice est maius, & altioris speciei, quam peccatũ omissionis dictæ dilectionis, quia odium Dei, etiam materialiter opponitur positiue Charitati, omissio vero illa materialiter opponitur priuatiue, oppositio autem positiua peior est essentialiter, quã priuatiua: de quo non nihil diximus tract. de peccatis, dis. 2. dif. 9. ipsa tamen odia Dei inter se non distinguuntur specie saltẽ moraliter quãuis vno odio sint Deo volita mala diuersæ speciei à malis ipsi volitis alio odio: & quãuis vno odio sint Deo nolita bona diuersæ speciei à bonis nolitis alio odio: imò quamuis vno odio sint Deo volita mala, & alio sint illi nolita bona, quia bona nolita Deo, & diuersitas specifica eorum, & mala volita Deo, & diuersitas specifica eorũ, materialiter tantum se habent ad odium inimicitiæ Dei, quia ratio formalis, seu motiua ad rationem, qua vltimo perficitur, seu completur odium Dei, est malitia apprehensa in Deo, vt malitia illius est, ac proinde in confessione non est necessarium explicare mala Deo volita, nec bona ipsi nolita, nec eorum quantitatem.

Ita tamen odium inimicitiæ Dei, quamuis tantum veniale ex defectu perfectæ libertatis opponitur positiue Charitati, vt quando tantum est veniale non destruat illam, quia non opponitur Charitati, nisi quia opponitur actui illius: Et ita quamuis non possit esse simul cum actu Charitatis, bene tamen cum ipso habitu Charitatis, & gratiæ. odiũ vero Dei mortale non tantum opponitur actui Charitatis, sed etiam habitui: quia peccatum mortale est forma constituens formaliter inimicum Deo, & iniustum, quod non efficit odium Dei, quod est tantum veniale; & ideo hoc non destruit habitum Charitatis, & gratiæ, qui est forma constituens formaliter amicum Deo, & iustum: odium tamẽ mortale illum destruit: & quamuis actus Charitatis imperfecte liber; imò, & sine libertate, qualis est in Beatis, constituat formaliter amicum Deo & iustum, odium tamen Dei non constituit Deo inimicum, & iniustum quando non est perfecte liberum, & peccatum mortale, quia nulla forma physica, sed tantũ moralis

ralis,& perfectè moralis (qualis non est odium Dei tantum veniale)constituit inimicum Deo, & iniustum. Bene tamen amicum Deo,& iustum,vt videre est inhabitu Charitatis, & gratiæ,& in vnione hypostatica, & (secundum non paucos) in visione Beatifica.

Odiũ etiam abominationis quo nobis abominamur Deũ possidendũ, seu quo nolumus saluari si efficax sit est peccatũ graue reductiue oppositum Spei qua nobis volumus Deum si vero sit inefficax,discernendum est ex motiuo.

DIFFICVLTAS IIII.

Vtrùm odium proximi sit peccatum?

CONVENIVNT DD. odiũ inimicitiæ proximi esse ex se,seu ex suo obiecto peccatũ mortale:imò maximũ eorum,quæ sunt erga proximũ: quia ex se opponitur virtuti in genere moris, & in vi obligandi perfectissimæ omniũ, quæ versantur erga proximũ, nempè beneficientiæ, seu beneuolentiæ erga ipsum: est enim odiũ inimicitiæ proximi omnimoda auersio à proximo. Addimus ex se,seu ex suo obiecto esse peccatũ mortale,quia ex defectu perfectę libertatis potest esse tantũ veniale sicut generaliter quodcũq; opus peccaminosum:imò Tolet. Ægi. Turr. Laiman. *Bonac.* Reginal. Valen.quos refert & sequitur Cast. dis. 4.p. 1.addũt tãtũ esse veniale,quãuis eliciatur ex perfecta libertate,si materia volita,aut nolita proximo sit leuis,quod nõ caret probabilitate.

Et quamuis odium inimicitiæ proximi sit diuersæ speciei ab odio Dei,omnia tamẽ odia inimicitiæ proximi sunt eiusdem speciei(sicut etiam omnia odia inimicitiæ Dei) quãuis bona nolita vno odio, & mala volita alio odio sint diuersæ speciei,& multo melius quãuis bona nolita inter se, & mala volita inter se sint diuersæ speciei, vt contra Ægid. Soar. & Castro,aduertunt Caiet. Turr. Valen. & Bonacina. n. 3.quia diuersitas bonorum nolitorum proximo,& malorum ei volitorum materialiter se habent ad odium proximi, quia ratio formalis, & motiua ad rationem odij, qua vltimo completur odium est malitia apprehensa in proximo, vt malitia illius est.

Odium vero abominationis proximi præcisè, & formaliter quatenus terminatur ad rem, quam abominamur, nec est bonum, nec est malum, identice tamen est bonum, aut malum ratione alterius respectus complacentiæ, aut displicentiæ ad personam cui abominamur rem, seu ratione respectus ad motiuum ex quo elicitur, quia odiū abominationis quo quis abominatur, seu positiue non vult proximo malum vt malum illius est ex complacentia illius, est bonum, quia est actus beneuolentiæ, seu amoris amicitiæ erga personam: & odium abominarionis quo quis abominatur, seu positiue non vult proximo bonum, vt bonum illius ex displicentia personæ, est malum; quia est actus odij inimicitiæ erga illum: & odium abominationis quo quis ex complacentia sui inefficaciter abominatur proximo bonum aliquod, est dignoscēdum, seu discernendum ex motiuo ex quo elicitur, an sit peccatum, & an sit mortale, quia ex eo motiuo dignoscendum est, an opponetur alicui virtuti, quod eo ipso erit peccatum, & an opponatur grauiter, quod eo ipso erit peccatum mortale, sicut etiam affectus inefficax, siue gaudij, siue desiderij, quo quis ex complacentia sui vult proximo malum, siue gaudendo de eo malo, siue illud desiderando dignoscendum est ex motiuo, ex quo elicitur, vt generaliter diximus tract. de peccatis, disput. 4. difficult. 9. & aduertunt Bonacina disput. 3. quæst. 4. p. vlt. num. 7. & 11. & Castro tract. 6. disp. 4. p. 1.

Et idem dicēdum est de odio abominationis quoquis sibi abominatur bonum aliquod, & de affectu inefficaci quoquis sibi vult malum, siue de eo gaudendo, siue illud desiderādo, quod scilicet iste affectus volitionis mali, & affectus ille abominationis boni dignoscendi sunt ex motiuo ex quo eliciuntur, an sint peccata, an non, & an sint mortalia, an non, v. g. aliquem velle sibi mortem inefficaciter, quia moriendo desistet ab offendendo Deum, est licitum, & honestum, quia ex vna parte est affectus, vel amoris amicitiæ erga Deum, aut ex eo ortus, & ei maxime consonus, & ex altera non est odiū, seu displicentia personæ propriæ secundum se, sed est odium sui, vt peccatoris, seu vt inimici Dei, ita vt persona secundū se non displiceat vt quod, sed aut tantum displiceat ipsa inimicitia,

micitia, seu peccatum, & simul sit motiuum, aut displiceat aggregatum ipsum ex persona, & ex peccato, ita vt persona ipsa displiceat peraccidens, & peccatum per se sicut quando videtur coloratum, subiectū ipsum coloris videtur, vt quod peraccidens, & color vt quod per se.

Obseruandum est odium non esse peccatum capitale, quia potius ipsum oritur ex alijs, quamuis ex eo iam orto nonnulla alia non plura oriantur.

DIFFICVLTAS V.

Quid sit accedia: & quale, & quantum peccatum?

CIRCA Prius accedia, seu accidia (Hispane pereza) est pigritia, seu tædium, seu tristitia, qua nobis abominamur bona spiritualia ob ipsorum difficultatem, & laborem, vel in eis exequendis, vt opera bona, vel in eis acquirendis, vt gratiam, virtutes infusas, & gloriam, vel in eis conseruandis, vt gratiam, & virtutes infusas.

Circa posterius accedia sic sumpta non est speciale peccatū, quia accedia, vt sic nulli virtuti speciali opponitur, quia circa omnem virtutem possumus per pigritiam otiari, & de actibus omnium virtutum tristari, & de quocumque alio bono spirituali, vt à nobis acquirendo, aut conseruado medijs actibus virtutum: quia tantum opponitur diligentiæ, aut delectationi, quæ circa omne bonum spirituale proprium versari potest, sed est peccatum cōmune, seu generale quod vagatur per varia vitia, quia potest esse causa plurium, & variorum peccatorum, à quibus eo ipso accipit malitiam eorum, nullam habens propriam, & peculiarem, & ideo quando accedia est causa omissionis actus debiti ex iustitia est peccatum iniustitiæ, & indistinctum ab ipso peccato cuius est causa, & quando est causa omissionis actus debiti ex Religione, v. g. auditionis Missæ est peccatum irreligionis, & indistinctum ab ipso peccato cuius est causa, & sic de alijs.

Vnde

Vnde vt aduertit Layman. c. 9. nunquam peccatur dicta accedia, nisi aut quando ob ipsam omittitur actus cadens sub præceptum, aut quando ob ipsam quis constituitur in periculo probabili omittendi actum præceptum.

Erit autem dicta accedia tantum peccatum nēpē mortale, aut veniale quantum fuerit omissio actus debiti, cuius accedia fuerit causa, aut ad quam constituat in dicto periculo probabili; quia non habet aliam malitiam, nisi eam quā habet ab ista omissione, quia ratione sui nulli virtuti peculiariter opponitur. Vnde accedia, seu tristitia efficax omissionis circa actum præceptum, semper est peccatum, non vero, quæ non est circa actum præceptum, quamuis sit cōfilij: nec accedia inefficax, adhuc circa actum præceptum, nisi quādo constituit in periculo probabili omittendi actum præceptū. Religiosus ergo qui ob difficultatem, & laborem sui status, tristatur de eo non tristitia efficaci, nec constituente ipsum in periculo probabili omittendi aliquem actum debitum, non peccat saltem mortaliter.

Est autem accedia peccatum capitale, quia est caput, seu origo, & causa plurium, & variorum peccatorum: imò nō est aliter peccatum nisi, quia est caput, & causa peccati.

DIFFICVLTAS VI.

Quid sit inuidia: & quale, & quantum peccatum?

CIRCA Prius inuidia est tristitia de bono alterius, quatenus diminutiuum est propriæ excellentiæ, quia eo bono ille nos superat, aut æquat. Est autem regulariter inter æquales, & similes, & differt manifeste ab odio, quia illud est tristitia de bono alterius, quatenus bonum illius est, seu ex displicentia personæ.

Circa posterius inuidia est speciale peccatum, quia opponitur speciali virtuti; nempè humilitati, aut magnanimitati, & non charitati, vt non pauci falsò existimant: & ratione sui nunquam esse peccatum mortale, sed tantum ratione alicu-

ius

ius effectus docet Lorca art. 3. vt quando ita vehemẽter inuides bono proximi, vt inde mouearis ad iniuste remouendum bonum graue illius: nos tamen addimus aliquando quamuis rarissime posse ratione sui esse peccatum mortale, vt quando inuides bono Dei quatenus diminutiuo tuæ excellentiæ sicut etiam superbia, ex qua oritur inuidia, aliquãdo quamuis rarissimè ratione sui est peccatum mortale.

Est autem inuidia, peccatum capitale, quia quamuis oriatur ex superbia, ex ipsa tamen inuidia oriuntur plura alia peccata nempe odium, detractio, & alia similia.

Obseruandum est, præter inuidiam, quæ est tristitia de bono proximi, vt est diminutiuum propriæ excellentiæ, etiam esse alias tristitias de bono proximi similes inuidiæ, ab ea tamen distinctas, quia in primis præter tristitiam inuidiæ est etiam alia tristitia, qua quis tristatur bona temporalia indignis cõferri, & dicitur indignatio, seu Nemesis, quæ potest esse licita, & est ratione sui, quando ea tristitia, & indignatio non refertur in prouidentiam, & dispositionem Dei ex occulto suo iudicio conferentis indignis illa bona. Deinde est alia tristitia, qua quis tristatur de bono alterius, nõ quia est alterius, sed quia ipse eo caret, & dicitur æmulatio & zelus, quæ licita esse potest: & est ratione sui, quando est de bonis conuenientibus, & proportionatis ipsi qui tristatur, quia nõ tam tristatur de bono alterius, quam de sua penuria, quam aduertit eam comparando cum abundantia alterius. Rursus est alia tristitia qua quis tristatur de bono alterius, quia prudenter credit alterum sibi nociturum occasione sumpta ex eo bono, & à sua causa dicitur timor, quia oritur à timore mali euenturi, & potest esse licita, & est ratione sui, quia nõ tam est de bono alterius quam de nocumento proprio, & generaliter omnis affectus inefficax tam tristitiæ, quam gaudij, tam desiderij, quam fugæ futuri, regulandus est, & dignoscendus ex motiuo, an sit licitus, an illicitus, vt dicimus tract. de peccatis, disp. 4. dif. 8. & 9. nisi quando affectus inefficax est prosequutio peccati, vt peccati formaliter, quia iste ex quocumque motiuo est illicitus.

DISPVT. IX.

De peccatis paci oppositis.

DIFFICVLTAS I.

Quid sit discordia, & contentio: & an sint peccata?

DISCORDIA Est cordium, seu voluntatum dissensio, sicut concordia, & pax est consensio cordium, seu voluntatum; voluntates autem istæ quarum dissensio, est discordia, possunt versari, aut circa iudicia speculatiua intellectus, v. g. rerum Fidei, aut circa alias actiones exteriores.

Est autem discordia licita: imò, & bona quando est circa malum, ideſt, quando quis dissentit à voluntate alterius volentis malum: & est illicita quando est circa bonum, in quo est obligatio consentiendi: & quia obligatio consentiendi oriri potest ex varijs virtutibus, ideo discordia, circa bonum quod quis velle tenetur, seu in quo tenetur consentire; non semper est peccatum eiusdem speciei, sed aliquando huius, & aliquando illius: quod peccatum præcipue reperitur in ferentibus suffragium in communitate, seu congregatione circa aliquod negotium. Et seminare discordias dicitur qui est occasio dissensionis inter aliquos.

Contentio (Hispane porfia) est externa discordia, siue verbis, siue scriptis facta, est autem licita, & bona quando est circa malum, siue speculatiuum, vt circa dissensum hæreticum siue practicum, vt circa quodlibet aliud opus malum, & est illicita quando est circa bonum, siue speculatiuum, siue practicum, quando est obligatio non contendendi circa illud, sicut etiam discordia interna: & sicut hæc non semper est peccatum eiusdem speciei, ita nec cõtentio, seu externa dis-

cordia

cordia quæ licita est, quamuis sit circa veritatem quando nō fit serio ad oppugnandam veritatem, sed fit gratia disputationis, vel vt crescamus in doctrina, vel vt exploremus doctrinam alterius.

Obseruandum est nec discordiam internam, quę absolute dicitur *discordia*, nec discordiam externam, quæ absolute dicitur *contentio* esse contra Charitatem Theologicam, nisi quando fit ex displicentia Dei, nec esse contra beneficientiā, seu beneuolentiam erga proximum, nisi quando fit ex displicentia ipsius proximi, aut quando ea constituimur in periculo probabili odij, erga proximum à quo discordamus, aut cum quo contendimus.

DIFFICVLTAS II.

Quid sit schisma: & quale, & quantum peccatum, & quibus pœnis puniatur?

CIRCA Primum *schisma* est nomen Græcum, quod Latine idem est quod *sciſſura, seu sciſsio*, & vsu Ecclesiæ appropiatum est ad significandam separationem qua quis separatur ab vniuersali Ecclesia: schisma ergo est *separatio ab vniuersali Ecclesia*. Et non est separatio à particulari Ecclesia, nec à particulari Episcopo, quia hæc separatio tātum est schisma secundum quid. Et quamuis separatio ab vniuersali Ecclesia quoad Fidem diuinam, quæ est vna in tota Ecclesia, sit verum schisma, & hæreticus sit verè schismaticus, nomine tamen schismatis absolutè, & simpliciter, vt ab hæresi condistinguitur significatur separatio ab vniuersali *Ecclesia*, vel quoad directionem, & obedientiam, vel quoad communicationem in actionibus spiritualibus, v.g. in receptione Sacramentorum, in cultu Religionis in ieiunijs, & in alijs.

Et quamuis separatio à corpore vniuersalis *Ecclesiæ* excepto Romano Pontifice, qua quis vnitus, & subditus Romano Pontifici, seiungitur à reliquo corpore Ecclesiæ se gerens in actibus spiritualibus, quasi ab eo corpore seiunctus, & tanquam non vnus ex eo, sit verum schisma, nomine tamē schismatis simpliciter, & absolute significatur separatio à

tota *Ecclesia*, vt includente Ecclesiam, & caput ipsius nempe Romanum Pontificem, qua quis, & est rebellis Romano Pontifici, vt tali, se gerens tanquam non subditus illi, & est se inductus à reliquo corpore in actionibus spiritualibus eas exercens tanquam non vnitus illi, quia hæc dicta tota separatio, est absolute, & simpliciter separatio ab vniuersali Ecclesia, quia est à tota *Ecclesia* includente corpus, & caput: imò etiam separatio à solo Romano Pontifice vt tali, nomine schismatis simpliciter, & absolute, significatur, vt quando quis ei, vt tali est rebellis, eum non recognoscens vt talem, & se gerens tanquam non subditus illi, quamuis speculatiue iudicet esse subditum illi, quia Romanus Pontifex est principalissima pars *Ecclesiæ*, reliquum vero corpus multo minus principalis, ob quod vt aduertit Petr. Hurt. disput. 168. sect. 1. existimamus pœnas latas contra peccatum, seu crimen schismatis tantum ferri contra schisma à tota Ecclesia, vt includente corpus, & caput, & etiam contra schisma à solo capite non vero contra schisma à solo corpore Ecclesiæ excepto Romano Pontifice, quia scilicet istud non est absolute, & simpliciter schisma, & etiam quia hoc crimen nunquam contingit: alia vero duo priora sunt schismata simpliciter, & absolute, & non raro contingentia. Vnde Romanus *Pontifex* nequit esse simpliciter, & absolute schismaticus, quia nequit separari à seipso vt Papa: potest tamen esse schismaticus secundum quid, quia in actibus spiritualibus, & in exercitio sui officij potest se gerere, vt non vnitus corpori Ecclesiæ.

Ad schisma autem non requiritur intentio expressa, & directa se separandi ab vnitate *Ecclesiæ*, & ab obedientia Romani Pontificis, sed sufficit indirecta, & virtualis, qua quis se separat dum efficit opus externum, quo se separat quamuis alia intentione volitum, v. g. congregare Concilium generale absque Romani Pontificis authoritate, & illud iam legitime dissolutum prosequi, & exhibere alicui quasi Vicario Christi distincto à Romano Pontifici signa obedientiæ vt contingit existentibus in Anglia.

Circa secundum quod quæritur, schisma est peccatum ex suo genere, seu obiecto mortale, & nullum schisma ex se, seu

ratione

ratione sui opponitur formaliter Charitati, quia quodcumque potest esse sine odio Dei, & proximi, sed schisma à Romano Pontifice solo, est contra obedientiam generalem in omni materia, quia dictum schisma est ab ipso media rebellione in ipsum, vt superiorem in omni materia, in nulla eum recognoscendo vt superiorem: est enim in schismatico à Romano Pontifice propositum in nullo obediendi ei, schisma vero ab Ecclesia excepto Romano Pontifice discernendum est ex motiuo contra quam virtutem sit. Et schisma ab Ecclesia, & à Romano Pontifice simul est contrà obedientiam generalem, & contra eam virtutem contra quam est ex motiuo.

Circa tertium. Prima pœna quam schismatici quamuis non hæretici incurrunt ipso facto, est excommunicatio maior lata in prima excommunicatione Bullæ Cœnæ Domini. Vnde reseruata est Papæ ab ea tamen potest schismaticus non hæreticus absolui virtute Bullæ Cruciatæ, & etiam potest absolui virtute Iubilei concedentis absolutionem à casibus Bullæ Cœnæ. Et quando schisma est occultum potest absolui ab Episcopo. Eam tamen excommunicationem non incurrunt fautores nec defensores, nec receptores schismaticorum, vt aduertunt Sancius lib. 2. capit. 36. Bonac. disput. 3. quæstion. 4. punct. vltim. Castro tract. 6. disput. 4. punct. 6. Soarez & Lorca, quia id non exprimitur in dicta Bulla, & antea tempore Caietani exprimebatur vt constat ex eius summa verbo excommunicatio, cap. 7. nec exprimitur in aliquo alio loco vbi vigeat impositio excommunicationis contra illos.

Est autem dicta excõmunicatio lata tantũ contra schismaticos à Papa, siue solo, siue simul cũ Ecclesia non vero à sola Ecclesia iuxta ea quæ nuper dicebamus, quia scilicet isti nõ sunt simpliciter schismatici sicut sũt priores: & multo minus contra schismaticos ab Episcopo particulari, quãuis etiã simul sint ab Ecclesia illius ob eandẽ rationẽ, quia scilicet isti non sunt schismatici simpliciter, sed tantũ secundum quid.

Secunda pœna imposita schismaticis est priuatio totius iurisdictionis Ecclesiasticæ, nẽpe absoluendi, excõmunicadi,

concedendi indulgentias, & beneficia in can. *didicimus* 24. q. 1. ita vt illam illicite, & inualide exerceant; quod Bonacina, & alij existimant tantum esse verum quando schismaticus est publice denunciatus, vt schismaticus.

Tertia pœna imposita schismaticis est inhabilitas ad obtinenda in futurum beneficia in cap. *Quia diligentia* de electione quod est verum, vt contra Aymonem docent communiter Doctores, etiam postquam est acta pœnitentia de peccato ipso schismatis.

Et quamuis sint qui existiment schismaticos priuari ipso facto beneficijs ante schisma obtentis: & etiam fieri irregulares. Vtrumque tamen est falsum absque sufficienti fundamento dictum, vt aduertunt Sanc. Bonac. Hurt. & Castro.

Ordinatum tamen ab Episcopo schismatico manere suspensum ab Ordine suscepto ab illo, dicimus tract. de suspens. dif. 13.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm bellum sit licitum?

EX Hæreticis alij docent Bellum secundum se, seu intrinsece esse illicitum, & consequenter omnia *B*ella esse illicita. Alij docent Bellum solis Christianis esse illicitum adhuc contra infideles. Alij tantum damnant Bellum contra Christianos.

Conueniunt tamen Catholici Bellum secundum se, seu intrinsece non esse illicitum, nec esse illicitum Christianis, nec alijs contra Christianos.

Et in primis, quod Bellum ratione sui, seu intrinsece non sit illicitum, supponunt Augustin. relatus 23. quæst. 1. & 2. Nazianz. oratione 3. de pace. Ambros. 1. officiorum, cap. 40 & 41. Greg. lib. 12. cap. 24. Isidorus. lib. 18. Ethimolog. cap. 1. & Bern. serm. ad milites. Et id constat ex Scriptura, quia in veteri testamento narrantur multa Bella facta à sanctissimis viris, & non constat facta fuisse ex præcepto Dei. Et in Scriptura sæpè milites laudantur, quod supponere videtur Baptista. Lucæ 3. dum quibusdam militibus ab ipso consilium salutis animæ petentibus respondit:

nomi-

Neminem concutiatis, nec calumniam faciatis, & contenti estote stipendijs vestris. Et tamen si bellare esset illicitum, id illis dicerer; & ratione constat, quia ex vna parte, nec bellum defensiuum, nec recuperatiuum, nec vindicatiuum, est iure aliquo prohibitum, quia de eo iure non constat, & ex altera parte, quodcumque bellum ex dictis est rationi conforme: quod in primis constat in bello defensiuo, quia rationi consonum est iniurias hostium inuadentium propulsare, quod sæpè nequit fieri, nisi medio bello. Deinde etiam in recuperatiuo, & vindicatiuo, quia etiam est rationi consonum, res ita iniuste ablatas recuperare, & iniurias illatas vindicare, alias scelerati audaciores fierent, quæ sæpè nequeunt fieri, nisi medio bello quando scilicet non est superior ad quem recurratur pro propulsatione iniuriæ, & pro recuperatione rei iniustæ ablatæ, & pro vindicta iniuriæ, aut si est superior non vult petitioni prædictorum acquiescere.

Quod autem bellum non sit illicitum Christianis, nec alijs adhuc contra Christianos constat, quia ex vna parte non est illis iure aliquo positiuo peculiariter prohibitum, nec generaliter posset, nisi solo iure diuino. Et ex altera, rationi consonum est Christianis, & etiam alijs contra Christianos se defendere ab hostibus iniuste inuadentibus; & res sibi iniuste ablatas recuperare, & iniurias sibi illatas vlciscì quod sæpè nequit fieri nisi medio bello, quod amplius constabit, quando causas, seu conditiones ad iustitiam belli assignemus.

Quod si obijcias primo illud Paralyp. 28. *Non ædificabis domum nomini meo, eo quod sis bellator, & sanguinem fuderis.* Et Matth. 26. illud dictum Petro à Christo: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Et illud ad Rom. 12. *Nulli malum pro malo reddentes non vos defendentes scriptū est enim mihi vindicta, ego retribuam dicit Dominus*, in quibus testimonijs supponi videtur bellum ratione sui, & intrinsece esse malum, quod videtur confirmari ex eo quod bellum sit contrarium paci, quæ est fructus Spiritus Sancti. Respondemus Deum Paralyp. 28. noluisse quod Dauid ædificaret Tēplum, vt sic eum puniret ob homicidium iniustum Vriæ, & in maiorem reuerentiā Tēpli ædificandi, quia in bello fudit san-

guinem quamuis iuste. Et Matth. 26. & ad Rom. 12. tantum significari vindictam priuatam esse illicitam, & etiam defensionem innocentis quando ob potentiam aduersariorũ futura est inutilis, qualis foret defensio, qua Petrus intendebat defendere Christum. Et ad confirmationem respondemus Bellum esse contrarium paci iniquæ, non vero paci veræ, & tutæ, imò ad hanc Bellum ordinari.

Quod si secundo obijcias Isaiam, cap. 2. dum loquens de tempore Messiæ ait: *Conflabunt gladios in vomeres, & non exercebuntur vltra ad prælium.* Et illud Matth. 5. *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe & illi alteram, & ei qui vult tunicam tuam tollere, dimitte ei, & pallium.* Et illud 2. ad Cor. 10. *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia*, in quibus testimonijs supponi videtur Bellum esse Christianis illicitum saltem prohibitione diuina Christi. Et id contineri videtur in Cõcilio Nicæ. can. 11. dum in eo imponitur pœna Christianis qui post Fidem Christi acceptam redeunt ad militiam quod refertur de pœnitentia dist. 5. can *si quis vero*, id quoque supponere videtur Leo. epistol. 90. alias 92. ad Rusticum, dum ait: *Contrarium est omnino Ecclesiasticis regulis post pœnitentiæ actionem redire ad militiam sæcularem.* Respondemus in eo loco Isaiæ significari pacem futuram tempore Messiæ non prohibitionem bellandi. Et in illo Matth. sermonem dirigi ad priuatas personas in Ordine ad priuatas iniurias, & nõ ad Principes in Ordine ad publicas iniurias, dum autem priuatis personis percussis in vna maxilla dicitur præbendam est alteram percutienti, tantum dicitur, ne iniuria accepta, ita exardescant desiderio vindictæ, vt aliquid cõtra rationem in percutientem faciant, sed potius vt parati sint maiores iniurias pati, si eas pati ratio suadeat. Et in illo 2. ad Cor. 10. tantum est sermo de armis quibus in militia spirituali contra peccata, & contra dæmonem certare debemus. Et in Conci. Nicæ. in eo can. 11. tantum est sermo de his qui signum militum infidelium quod deposuerant vt baptizarentur, postea post baptismum, iterum illud assumebant. Et Leonem in ea epistola tantum loqui de his qui post publicam pœnitentiam iniunctam redibant ad bellum ante eam expletam.

Quod

Quod autem hostes, siue fideles, siue infideles sint flagellū Dei, quo Deus peccata nostra punit non obstat, vt medio bello alias licito conemur illud auertere: sicut etiam licite possumus conari auertere infirmitatem, quā Deus solet immittere in pœnā peccatorū, quia Deus ita vult prædicta in pœnam peccatorum, vt ex illis tantum vellit absolute, & efficaciter, id quod nos non impedimus, quia illa quoad aliquid eorum vult esse subiecta nostræ humanæ diligentiæ.

DIFFICVLTAS IIII.

Apud quem sit, authoritas indicendi bellū?

CONVENIVNT DD. in quocumq; etiam priuato esse authoritatem defendendi se, & sua, & hæc recuperandi etiam occidendo inuasorem, imò etiam ad id colligendi copias quas occasio obtulerit, quando aliter nequeat se, & sua defendere, aut ea recuperare. Et quando aliqui iniuste inuadunt ciuitatem aliquam, in quocumq; etiam priuato esse authoritatem colligendi exercitum ad resistendum donec moneatur Princeps.

Est tamen difficultas, in quo sit authoritas indicendi Bellum defensiuum, & recuperatiuum quando non est instans aliqua necessitas grauis excitans etiam priuatos ad defensionem, & ad recuperationem, & indicendi bellum etiam pure offensiuum, seu vindicatiuum.

Circa quam etiā conueniunt DD. eā authoritatē, seu potestatē esse in illis, & solis, qui in ciuitatibus habent supremā potestatē, nullū in ciuilibus recognoscentē superiorē. Quia ex vna parte absq; dubio in ipsis est à natura authoritas ad impediendas refarciendas, & vindicandas proprias iniurias: & potestas quā subditi à natura haberent ad proprias iniurias impediendas, refarciendas, & vindicandas translata est ad superiorē nō solū illa quā haberēt erga suos cōcines, ne in Republica esset magna perturbatio si in quolibet remaneret dicta potestas erga illos, sed etiāquā haberēt ergaextraneos subditos alij Principi, vt cōmode possint à suo superiore defēdi, & protegi, & ex altera parte prędicti habētes supremā potestatē nequeūt aliter proprias iniurias, & suorū subditorū

impedire, resarcire, & vindicare nisi medio bello ergo in ipsis,& solis est authoritas ad indicendum bellum, & poterũt, quando requisita ad id ad sint.

In reliquis ergo qui habent superiorem in ciuilibus non est dicta potestas, quia potestas, seu authoritas quam à natura haberent ad impediendas,resarciendas,& vindicandas proprias iniurias,translata est ad superiorẽ, & potestas quæ est in alijs superioribus ipsi supremo subordinatis non est ad illas impediendas,resarciendas,& vindicandas respectu sibi non subitorum,sed tantum respectu sibi subditorum,& respectu horum non est medio bello, sed media sententia, aut æquiualente.

Vnde vt aduertunt Mol.disp.100.& Ægid.disp.31. n.63. quando natio aliqua sit adeo barbara, vt nullum habeat superiorem,sed diuisa sit familijs, tunc in singulis familijs erit authoritas ad indicendum bellum,& poterit quando adsit legitima causa, quia tunc non abdicarunt à se potestatem quã habent à natura ad impediendas,resarciendas, & vindicandas proprias iniurias,quæ aliquando non possunt impediri, nec resarciri,nec vindicari,nisi medio bello.

Prædicta tamẽ non tollũt in Principibus alteri subiectis ex huius expressa cõcessione, aut ex legitima præscriptione posse esse potestatem indicendi bellum, quia potestas hæc existens in supremis non est incommunicabilis.

Ita tamẽ in Principibus supremis est authoritas indicẽdi bellum etiam pure offensiuum, vt quãdo bellũ est illicitũ, quia est in iacturã Fidei (quale solet esse bellũ quo Principes auxiliantur hæreticis contra fideles, & quale solet esse bellum inter fideles ex quo infideles occasionem sumunt deuastandi Prouincias fidelium)tunc Pontifex Romanus potest id prohibere Principibus Christianis, & sub pœna excommunicationis,& sub alijs quia ad Rom. Pontificem attinet Fidei,& Christianismo,vt Christianismo prospicere.

Addimus in Romano Pontifice,& in reliquis inferioribus Episcopis, qui etiã sunt supremi Principes in ciuilibus etiã esse authoritatẽ indicẽdi bellũ etiã offensiuum,quia eo ipso quod in illis potestas suprema ciuilis, seu laica etiam est authoritas ad indicendũ bellũ,quia hæc authoritas comita-

tur

tur illã. Vnde dicti Episcopi possunt illud licite indicere, & nullã incurrũt irregularitatem, quamuis in eo bello fiant plura homicidia: nec illam incurrunt quamuis Iudices laici ab illis constituti ipsorum authoritate puniant morte malefactores, quia eo ipso, quod dictis Episcopis conceditur dicta potestas laica, eis conceditur absque præiudicio ad exercẽdum suum officium Episcopale & aliorum ordinum.

DIFFICVLTAS V.

Quæ causæ requirantur, vt Princeps possit licitè inferre bellum alteri?

SVPPONVNT Doctores, nullum Principem posse alteri inferre bellum absque legitima, & proportionata causa, vt ex se patet, ac proinde non posse, nisi adsit causa magni momenti, quia bellum est magnum malum, quia in eo fiunt plures cædes, & regiones vastantur. Imò Princeps ipse inferens bellum, & eius Respublica solent constitui in periculo, malum autem magnũ nequit inferri, nisi ob magnam causam ipsi malum proportionatam.

Causa autem magni momenti, quæ generatim requiritur ad iustitiam belli, est grauis aliqua iniuria, quæ Principi, aut eius Reipublicæ, aut eius subditis facta sit, vel immineat, si imminet, vt bello defensiuo impediatur iure defensionis, & si iniuria facta est, vt bello offensiuo, seu agressiuo, vel resartiatur iure iustitiæ commutatiuæ, si resarcibilis est, vel vindicetur iure iustitiæ vindicatiuæ. Addidimus: *Aut eius Reipublicæ, aut eius subditis*: quia princeps custos est Reipublicæ, & subditorum.

Ita tamen dicta grauis iniuria requiritur ad iustitiã belli, vt non sufficiat quando alia suauiori via potest dictæ iniuriæ obuiari, vt si quando iniuria imminet, intentans iniuriare desistit ab eo intento, & si quando iniuria est iam irrogata, qui eam irrogauit, offert sufficientem satisfactionem. Speciatim verò plures enumerantur causæ sufficientes ad licitè indicendum bellum.

Pri-

Prima causa ad id sufficiens, est rebellio subditorum, tum quia ob eam digni sunt supplicio graui: Tùm etiam, quia ex rebellione fit iniustitia, seu iniuria Principi contra dominiũ ipsius, quæ potest ab ipso recompensari.

Secunda causa, est contumelia aliqua grauis Principi, aut Reipublicæ, aut subditis irrogata, vt medio bello recõpensetur, si recompensari potest, & vt vindicta sumatur.

Tertia causa, est iniusta defensio malefactorum, ne iuste puniantur, vt ea defensio medio bello, impediatur.

Quarta causa, est iniusta inuasio aduersariorum contra Principem, aut contra rempublicam, aut contra subditos Principis, vt bello resistatur.

Quinta causa, est violatio fœderis & pacti initi non sine graui damno, aut in vita, aut in honore, aut in bonis fortunæ.

Sexta causa, est opem, & auxilium hostibus iniustis ferre.

Septima causa, est negatio transitus innoxij per alienã Prouinciam, quia iure naturali negari nequit.

Addimus Primò, contra non paucos, vt aduertunt Pet. Hur. §. 49. Victo. Lorc. & alij, nimiam Barbariem nationis ineptã ad politiam, & ad regimẽ conuenientem, esse causam sufficientẽ ad indicendũ bellũ, quãdo resistunt subijci eis, à quibus conueniẽter regentur, non tã quia id sit eis maximè vtile, quã quia resistendo inferunt iniuriã multis illius Barbarę nationis, qui volunt conuenienter Regi, & ad id cupiunt auxilium, sicut etiã possunt subijci medio bello, qui resistunt prædicationi Euangelij, quia eo inferunt iniuriam volentibus illud audire, & ad id cupiunt auxilium.

Addimus secundò, in quo Doctores conueniunt acquisitionem dominij in populos, & amplificationem Imperij nõ esse causam sufficientem ad indicendum bellum, quia tunc absque occasione & causa à populis data eis auferetur libertas si erant liberi, aut absque occasione, & causa à Principe data, ei auffertur dominium in subditos.

Sed an idololatria, & alij ritus infidelium, & infidelitas ipsa tàm positiua, quàm priuatiua, tàm in subditis ciuiliter, quàm in non subditis ciuiliter sint causæ sufficientes ad bellandum contra eos, dicimus tract. de fide, disp. 10.

DIF

DIFFICVLTAS VI.

Quæ aut qualis cognitio causæ requiratur ad licitè inferendum bellum?

SVPPONIMVS Ad licitè inferendum bellum sufficere cognitionem certam causæ sufficientis, v. g. cognitionem qua Princeps certo cognoscit *P*rouinciam aliquam ad se pertinere, sufficere ad inferendum bellum ei, qui illam possidet, aut ei qui eam occupare vult: & cognitionem purè dubiam absque opinione, an *P*rouincia illa ad se pertineat, non sufficere ad inferendum bellum, ei qui est in possessione bona fide incepta, si iste sit vnus, de quo dubitatur, an pertineat ad ipsum, quia in eo dubio melior est conditio possidētis: & quando est dicta cognitio purè dubia, & Prouincia illa, à nullo, de quibus dubitatur ad quem ex illis pertineat, possidetur, vel si possidetur, sed non possessione pacifice, & bona fide incepta non sufficere ad indicendum bellum pro ea *P*rouincia acquirenda, quia tunc *P*rouincia diuidēda est, vel sorte vni ex illis attribuenda: & si dissentiant, quia alter vult, quod diuidatur, & alter quod sorte attribuatur dissentio, hæc est sorte dirimenda, & ei qui non vult acquiescere potest ab altero licitè inferri bellum, quia in non acquiescēdo infert iniuriam illi alteri, de qua re dicimus tract. de bonitate & malitia disp. 4. dif. 22. in casu autem diuisionis Prouinciæ maiorem partem ego atribuerem ei *P*rincipi pro quo esset minus dubium pro quantitate minoritatis dubij, & in casu sortis, si amitteret ego ei redderē aliquid pro excessu illo minoratis dubij iuxta quantitatem excessus?

Est tamen difficultas, an sufficiat Principi cognitio opinativa, seu probabilis opinio iuris ad Prouinciam vt possit bellum inferre alteri, pro quo etiam est probabilis opinio iuris ad illam, & è contra. *P*rocedit autem difficultas quando controuersia est de *P*rouincia nulli alteri *P*rincipi subdita, quia quando est subdita alij, est absque dubio expectanda sententia illius Principis cui subdita est?

Cir-

Circa difficultatem ergo Molin. disp. 103. Azor, lib. 13. c. 29. & alij docent, in eo casu posse alterum contra alterum, & è contra bellare, quia ex vna parte suppremus Princeps nullum alium coram quo comparere debeat recognoscens, est legitimus iudex suarum causarum: & ex altera parte iudex potest opinione probabili, adhuc minus probabili ductus pro se sicut pro quocumque alio sententiam proferre, ac proinde pro executione sententiæ pro se latæ potest alteri bellum inferre; è contra. Opinio hæc non caret probabilitate, & multo minus caret probabilitate opinio Soar. Cranado, & Petri Hurt. asserentium eum, pro cuius iure est probabilior opinio posse infere bellum alteri, pro cuius iure est minus probabilis opinio, quia ex vna parte est legitimus iudex in ea causa ob rationem dictam: & ex altera parte habet maius & melius ius, quia est probabilius & ad ferendam sententiam duci potest probaliori opinione.

Vazq. verò 12. disput. 64. Salas tract. 8. de conscientia sect. 13 Montesi. disp. 29. quæst. 5. Lorca disp. 29. & 2. 2. disp. 53. & Turrian. disp. 90. docent, in casu dicto neutrum posse contra alterum bellare, adhuc eum, qui habet ius probabilius, & meritò, quia bellum, vt licitè inferatur debet inferri, vel ad impediendam iniuriam imminentem, vel ad satisfactionem iniuriæ illatæ, vel ad vindictam illius, vt pœna dignus puniatur, sed neuter Princeps, quando pro suo iure est probabilis opinio, quamuis minus probabilis, est dignus pœna, nec formaliter infert alteri iniuriam, ex eo, quod non sinat alterum, sua propria authoritate Prouinciam illam, de qua est cõtrouersia, occupare quia in id non sinẽdo, procedit prudẽter & cordate, qui autẽ prudẽter procedit nõ est dignus pœna, nec formaliter infert iniuriã, quãuis forsã materialiter, seu reipsa inferat: quod autem in id non sinendo procedat prudenter, & cordate, probatur, quia ex vna parte, vel pro illo altero non est lata sententia, vel si lata est quia ab ipso lata est, etiam pro non sinente eum occupare prouinciam, lata est, quia etiam ab eo lata est pro se ipso, & ex altera parte probabiliter iudicat (quamuis id minus probabiliter iudicet quam alter) ad se pertinere prouinciã illam & non ad alterum, ergo Principi non sufficit opinio probabilis,

quam-

quamuis minus probabilis iuris ad illam: quod verum existimamus, quamuis ipse Princeps sit in possessione pacifica *Prouinciæ*, quia possessio tantum fauet in puro dubio absq; opinione probabili.

Addimus in casu dictæ Controuersiæ Iudicem legitimũ non esse ipsos Principes supremos; sed Prouinciam ipsam de qua est Controuersia, sicut est ipsa, quando nullum habet supremum Principem (vt diximus tract. de Bonitate & malitia disput. 4. diffic. 22.) quia tunc se habet Prouincia illa sicut si non haberet Principem, quia est litigium super ipso Principatu: ex eo autem, quod vterque Princeps sit supremus, tantum fit vnum non esse iudicem alterius, nec è contra, & esse iudices suarum causarum intra proprias Prouincias: non verò *Prouinciæ*, de qua est controuersia inter ipsos. Ex quo constat ad rationem aduersariorum, saltem illos Principes quamuis supremos non esse legitimos Iudices in casu dicto: imò nec probabilius ius est melius, nec maius ius, quia excessus iuris tantum sumitur ex excessu titulorum, ex quibus oritur ius.

Quando autem alicui *Principi* ex litigantibus, iudices illius *Prouinciæ* sunt prudenter suspecti, resolutio controuersiæ reuocanda est in iudices arbitros, & nolenti acquiescere, inferri potest bellum. Iudices autem arbitri tenentur controuersiam iuxta propriam opinionem resoluere, quia quando iudices sunt arbitri proprio iudicio eorum committitur controuersiæ resolutio: & eodem modo poterunt iudicare iudices ordinarij illius *Prouinciæ*, quando non recusantur tamquam suspecti, & sic iudicando melius iudicabunt: quo verò modo iudices ordinarij possint, & debeant generaliter iudicare dicimus tract. prædicto, diffic. 21.

(?.)

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm Princeps possit inferre bellum pro iniuria illata, quando ipsi offertur sufficiens satisfactio.

CONVENIVNT Communiter Doctores quando Principi iniuriato offertur plena satisfactio ante inchoatum bellum, non posse ab eo inferri bellum ei, qui iniuriauit & offert talem satisfactionem, quia tunc cessat causa iusta belli. Vnde ei, qui iniustè impedit possessionem alicuius rei, v. g. alicuius Prouinciæ non potest iustè inferri bellum, si desistat ab impediendo, & expensas factas recompenset: & ei, qui iniustè occupat aliquam rem, v. g. aliquam ciuitatem non potest licitè inferri bellum, si ciuitatem tradat, & damna illata, si aliqua illata sunt, recompenset: & si tradantur Principi illi, qui impediendo iniustè, aut iniustè occupãdo rem aliquam, facti sunt digni pœna, & ei Principi, qui tradit dignos pœna pro iniuria alii Principi facta, si aliqui sunt, non potest à Principe iniuriato iustè bellum inferri: si tamẽ Princeps ipse iniuriam irrogauit dignam morte, ipsi potest bellum inferri, si seipsum non tradat.

Est tamen difficultas, an possit continuari bellum contra eum, qui post inchoatum, offert plenam satisfactionem?

Maior in 4. q. 20. Driedo lib. 2. de libertate Christiana, cap. 6. & Caiet. verbo bellum, partem affirmatiuam tuentur, quia bellare est actus iustitiæ vindicatiuæ, ac proinde eo ipso, quod bellum inchoatur incipit executio iustitiæ vindicatiuæ; ab executione autem iustitiæ vindicatiuæ nullus tenetur desistere, sed potest eam perficere.

Molina verò disput. 103. Soarez disp. 13. sect. 7. Turria. disput. 90. dub. 3. & Castro tract. 6. disput. 5. puncto 3. partem negatiuam tradunt, & meritò quia, eo ipso, quod offertur plena satisfactio cessat causa iusta, non solum inchoationis belli, sed etiam continuationis, quia bellum non

so-

ſolum non poteſt inchoari, ſed nec continuari, niſi vel ad impediendam iniuriam imminentem, vel ad recompenſationem iniuriæ illatæ, vel ad eius vindictam, ergo quotieſcumque offertur deſiſtentia ab iniuria imminente, ſi pro ea eſt bellum, vel recompenſatio iniuriæ illatæ, ſi pro ea eſt bellum, vel traditio eorum, qui digni ſunt pœna ſi pro ea eſt bellum, ceſat cauſa iuſta, ſeu titulus continuationis belli, ergo tunc iniuſte continuabitur.

Quia tamen quando bellum eſt inchoactum Princeps ipſe, & reliqui ſub ipſo iniuſte bellantes, ex eo quod bellum inchoauerint facti ſunt digni morte, niſi bona Fide inchoauerint (quod rarò conſtabit) ideò poſt inchoactum bellum eſt moraliter impoſsibilis plena ſatisfactio, quia non fiet plene, niſi omnes digni morte tradantur Principi iuſte bellanti, quod moraliter eſt impoſsibile. Si tamen defacto tradantur, Princeps cui traduntur poteſt, ſicut ſi eſſet victor, iuſtas pœnas ſumere, non tamen reliqua damna belli inferre.

Ad rationem ergo aduerſariorum reſpondemus, quod etiam ſi omne bellum ſaltem comitanter ſit actus iuſtitiæ vindicatiuæ, quia non ſolum bellum purè offenſiuum, ſeu vindicatiuum, quod tantum fit ad vindicandam iniuriam illatã, ſed etiàm bellum defenſiuum, quod fit iure defenſionis, etiam poteſt fieri ad vindicandam iniuriam illatam, in impediendo eum, qui ſe defendit ab iniuſto aggreſſore, ob quod hoc bellum non eſt purè defenſiuum: & bellum reparatiuum, quod fit iure iuſtitiæ commutatiuæ ad ſatisfactionem pro iniuria illata ſumendam, etiam poteſt fieri ad eam vindicandam, ob quod etiam bellum hoc non eſt purè reparatiuum, ſed vtrumque tâm reparatiuum, quàm defenſiuum etiam eſt vindicatiuum, ſeu offenſiuum: nihilominus, qui iuſte inchoauit bellum tenetur ab eo deſiſtere oblata plena ſatisfactione, vt ceſſent multa mala, quæ in executione iuſtitiæ vindicatiuę medio bello poſsunt fieri, & ad executionẽ iuſtitiæ vindicatiuę extra bellum non ſunt neceſſaria, & ideò nec poſſunt licitè fieri.

DIFFICVLTAS VIII.

Qui possint militare?

SVPPONIMVS Omnes, quibus non est iure positiuo prohibitum, posse militare in bello iusto, quia id non est illicitum ex natura rei, seu iure naturali.

Est ergo difficultas, an id sit aliquibus iure positiuo prohibitum?

Circa quam conueniunt Doctores Clericis, saltem in Subdiaconatu constitutis, prohibitum esse iure Ecclesiastico propria manu in bello offensiuo quamuis iusto pugnare: & etiam milites ducere: & tormenta in hostes dirigere: & eis qui dirigunt, præesse, vt constat ex Can. *Eos qui*, 20. q. 3. & ex Can. *Clerici*, & ex Can. *quicumque*, 23. quæst. 8. & ex cap. *Sententia*, ne Clerici, vel Monachi, & ex cap. *Multa*, de voto, & ex alijs. Vnde nihil prædictorum possunt absque peccato mortali, quia quodcumque ex eis est materia grauis. Peccant autem peccato mortali non iniustitiæ, sed irreligionis, quia prohibiti sunt intuitu status destinati ad virtutem religionis contra virtutē religionis, seu ad cultum Diuinum.

Nihilominus licitè possunt in bello iusto exhortari milites ad pugnandū, adhuc in ipso conflictu: quia ex vna parte, id est, ex natura rei licitum: & ex altera non est iure aliquo positiuo prohibitum. Quod etiam credimus verum quamuis exhortentur ad occisionem alicuius in particulari, quia hoc non est prohibitum, nec ob id incurritur irregularitas, adhuc occisione sequuta, quia id tantum est animare, seu exhortari milites, qui sunt ministri publici, seu iuridici ad exequendam vindictam: quod non est cooperari, vt ministrū publicum, nec illicitè cooperari, irregularitas autem ex occisione non incurritur, nisi ob occisionem, aut factam in iuste, aut factam tamquam à ministro publico quāuis iuste. In cap. autem in dubijs, de pœnis, vbi Innoc. III. supponit clericos exhortantes ad pugnādum peccare, tantum est sermo de exhortantibus in bello iniusto,

Addi-

Addidimus primò, *in bello offensiuo*, quia in bello mere deffensiuo sui, aut innocentis, aut Reipublicæ possunt pugnare propria manu. Imò etiamvsq; ad victoriam à qua pax Reipublicæ dependet, quia in his casibus iure naturali pugnare tenemur, lex autem Ecclesiastica non derogat iuri naturali, nec tunc ob occisiones ab ipsis factas incurrunt irregularitatem; quia id non efficiunt iniuste, nec vt ministri publici, sed tamquam priuatæ personæ iure defensionis, & adeptionis pacis.

Addidimus secundò, *in bello iusto*, quia in iniusto, nec propria manu pugnare possunt, nec ad id exhortari, vt patet, & tunc non solum pugnantes, sed etiam ad id exhortantes, fiùt irregulares, si ex suo opere, aut ex sua exhortione sequatur mors, aut mutilatio aliqua in aduersarijs: reliqua ad irregularitatem ex deffectu lenitatis in militibus dicimus tract. de irregularitate, disp. 2. diffi. 12.

Ad pugnandum autem propria manu, & ad reliqua in bello Clericis in Sacris constitutis iure Ecclesiastico prohibita, solus Rom. Pontifex dispensare potest, quia ad illa prohibiti sunt iure Pontificio, in quo nullus Pontifex Romano inferior, dispensare potest absque eius commissione, cuius nullum adest vestigium. Qui autem ex dispensatione Rom. Pontificis pugnant non incurrunt irregularitatem, etiam si mutilent, & occidant, quia eo ipso, quod Pontifex ad id dispensat, censetur nolle eos ob id irregularitatem incurrere.

Addidimus tertiò, *Clericis saltem in Subdiaconatu constitutis*, quia reliquis, quãuis in minoribus ordinibus, & quãuis beneficiatis, & quãuis religiosis, & quãuis ad chorum deputatis, nõ est prohibitũ adhuc subueniali, vt aduertunt Coua. in Clem. *si furiosus*, p. 2. § 3. Lor. disp. 51. & Bonac. disp. 2. q. vlt. sect. 1. §. 4. quia consuetudine declaratum est dictã prohibitionem ad solos in Sacris constitutos, siue clericos, siue religiosos extendi incurrent tamen irregularitatem si propria manu occidant, aut mutilent, aut ad id cooperentur iuxta ea, quæ dicimus tract. de irregul. disp. illa 2. dif. 12.

Obseruandũ est, vt optimè Bonac. sect. 2. Valen. Regin. & Gran. fidelibus licitum esse, secluso scandalo & periculo Fidei vocare infideles ad bellum iustum in auxilium contra

alios fideles: Imo licitum esse fidelibus auxiliari infidelibus contra alios fideles, vt Granado aduertit.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm possit esse bellum iustum ex vtraque parte?

SVPPONIMVS Bellum posse esse iniustum ex vtraque parte vt contingit, quando vna factio fouet causam iniustã & altera non habet authoritatem indicendi bellum.

Circa difficultatem ergo conueniunt communiter DD. bellum non posse reipsa, seu materialiter esse iustum circa eandem rem ex vtraque factione aduersa, & meritò, quia in primis in bello defensiuo, vt iustum sit ex parte eius, qui se defendit requiritur, quod ipsi immineat iniuria proportionata bello, à parte aduersa, ergo nequit esse iustum ex vtraq; parte, quia si verè imminet, talis iniuria est iustum ex parte se defendentis, & iniustum ex parte alterius, à quo imminet; & si non imminet nequit esse iustum ex parte se defendentis. Deinde in bello reparatiuo vt sit iustum ex parte eius, qui sibi vult reparare damnum aliquod sibi iniuste illatum, requiritur, quòd verè, & reipsa sit illatum, & reparabile sit, ergo nequit esse iustum ex vtraque parte, quia si damnum verè illatum est, & est reparabile, bellum est iustum ex parte eius, qui intendit damnum illud sibi reparare, & iniustum ex parte alterius: & si non est verè illatum, non est iustum ex parte eius qui intendit sibi aliquid reparare, & est iustum ex parte alterius, qui illud non intullit: Et tandem in bello offensiuo, seu vindicatiuo, vt sit iustũ requiritur, quod alter factus sit dignus pœna infligenda medio eo bello, ergo impossibile est, quod sit iustum ex vtraque parte, quia si alter factus est dignus pœna infligenda medio eo bello, est iustum ex parte intendentis punire, & non ex parte illius, qui factus est dignus pœna: & si non est factus dignus pœna sic infligenda, nó erit iustum ex parte illius, qui infert bellum offensiuum, seu vindicatiuum.

Addidimus prim : *Non posse reipsa, seu materialiter esse iustum ex vtraque parte, seu factione*: quia formaliter & in cõscientia gerentis bellum potest esse iustum intercuniẽte bona Fide, seu ignorantia inuincibili: quia in eo ex parte cuius est reipsa & materialiter iniustum potest esse bona Fides, & iudicium prudens, quo inuincibiliter iudicet bellum ex sua parte esse iustum, vt patet.

Addidimus secundò: *Non posse reipsa, & materialiter esse iustum ex vtraque parte circa eandem rem*: quia circa diuersas potest verè, & reipsa esse iustum ex vtraque parte, vt cõtingit, quando quis oppugnat arcẽ, in qua sunt multi innocentes, & multi nocentes, quia tunc innocentes iusto bello defendunt arcem, ne occidantur, & non defendunt per se, sed per accidens nocentes, quia cum ipsis sunt mixti: & qui oppugnant arcem iusto bello oppugnanti lam, vt oppugnent nocentes, quamuis per accidens, etiam oppugnent innocentes. Est ergo iustum ex parte innocentium, quia seipsos per se defendunt, & est iustum ex parte oppugnantium arcem, vt oppugnent per se nocentes in ea existentes.

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm licitum sit bellare in die festo?

CONVENIVNT Doctores, quando occurrit necessitas, aut maior commoditas considerabilis bellãdi in die festo, esse licitum bellare in eo: adhuc nõ audiendo Missam, si ob eam audiendam elabatur occasio, aut maior commoditas bellandi.

Est tamen difficultas, an sit licitum bellare in die festo, quando id non est necessarium, nec cõmodius considerabiliter, sed potest absque considerabili incõmodo differri, vsq; ad diem festum?

Caiet. & Bañ. q. 40. art. 4. Soar. sect. 7. Bonac. pun. vlt. §. 4. & Cast. p. 6. docent, id esse illicitum: tùm quia id est opus seruile, seu proprium seruorum, nempè eorum qui stipendijs viuunt: Tùm etiam, quia in die festo vacandum est rebus spiritualibus.

Lorc. verò q. 4 art. 4 Cran. disp. 4 sect. 7. Ægid. disp. 31. n. 128. & Pet. Hurt disp. 169. in fin. docent, id esse licitum: & meritò quia non est prohibitum, nec specialiter, quia nullibi id habetur, nec generaliter sub prohibitione operis seruilis, quia bellare non est opus seruile, seu proprium seruorum, quia etiam magnates, & Principes id efficiunt, quamuis fere omnes etiam ex magnatibus id efficiant stipendiati, & nonnulli solis eis stipendijs viuant, quod autem bellare impediat vacare operibus spiritualibus non sufficit, vt sit illicitum in die festum, dum non impediat audire Missam, quia hoc tantum præcipitur in die festo, imò & auditio Missæ potest prætermitti, si ob audiendam Missam dilatio belli fiat notabiliter incommoda.

Prohibitio autem facta ab Alex. 3. in c. 1. de tregua & pace, qua prohibuit bellare à quacumque feria 4. post occasum solis, vsque ad feriam 2. in ortu solis: & ab aduentu Domini, vsque ad octauam *Epiphaniæ*, & à septuagesima, vsque ad octauam *Paschæ*, vel non fuit recepta, vel contraria consuetudinæ fuit abrrogata.

DIFFICVLTAS XI.

Vtrùm licitum sit in bello vti insidijs?

CERTVM Est non est esse licitum in bello vti mendacio: nec Fidem adhuc hostibus violare. Est tamen difficultas, an sit licitum vti insidijs, seu stratagematibus?

Circa quam conueniunt *Doctores* licitum esse in bello vti insidijs: & eis ex mandato Dei vsus est Iosue aduersus vrbem Hai Iosuæ, 8. & Iudith. contra Holofernem Iudith, 11. & ratione constat, quia Insidiæ nihil aliud sunt quam occultatio, seu dissimulatio veritatis medijs rebus, seu factis effecta, vt elongari ab hostibus, quod præseferat speciem pauiditatis, aut metus, & non est fictio, seu simulatio falsitatis, nec actiua deceptio, in occultatione autem, seu dissimulatione veritatis nulla ex obiecto reperitur moralis malitia, etiam si ex ea decipiendi sint alij, quia non tenemur alijs, præsertim hostibus manifestare veritatem.

Vt autem occultatio, seu dissimulatio veritatis excusetur à peccato veniali mendacij efficienda est absque animo decipiendi, seu significandi aliquid falsum: quia id est mentiri: potest tamen fieri animo, vt ipsi hostes passiue decipiantur, & id intenditur insidijs.

DIFFICVLTAS XII.

Quando & quomodo inchoandum est bellum?

CIRCA Bellum defensiuum certum est, tunc posse inchoari, quando opus est necessaria defensione. Est tamē difficultas de bello aggressiuo, siue reparatiuo damna illati, siue vindicatiuo iniuriæ illatæ.

Circa quam conueniunt Doctores bellum aggressiuum non esse inferendum, nisi quando est necessarium, vel ad reparandum damnum iniuste illatum, vel ad vindicandam iniuriam illatam, quod bello ipso intenditur, & alias potest intendi: quia bellum non est voluntatis, sed necessitatis, quia bellum aggressiuum est quædam vis, quæ non est adhibenda, nisi vel vbi damnum illatum non potest aliter reparari, vel vbi iniuria illata non potest aliter vindicari.

Vnde quando in mora, seu dilatione nullum sit graue periculum, qui intendit inferre bellum prius tenetur legatione, aut alia via intentare alia media pacifica ad obtinendum intentum, quando non sunt desperata.

Ante inchoationem ergo belli examinanda est causa belli à Principe consilio prudentum adiuto: & causa examinata procedendum est iuxta qualitatem cognitionis, vel certæ, vel probabilis, vel dubiæ ipsius causæ, eo modo quo diximus diff. 12.

(2?)

DIFFICVLTAS XIII.

Quæ sint licita in bello iusto contra hostes?

CONVENIVNT DD. in bello iusto inchoacto ante partam victoriã, ea omnia licere contra hostes, quæ necessaria sunt ad obtinendum finem intentum, si alias nõ sint intrinsece mala, quia in actione iusta omnia media, quæ necessaria sunt ad obtinendum finem illius, si alias non sunt illicita, licite fiunt.

Quia ergo in bello defensiuo, finis est propria, & suorum defensio contra iniquum inuasorẽ: & in bello aggressiuo reparatiuo, finis est recuperare amissũ: & in purè offensiuo, seu vindicatiuo, finis est vindicare iniuriam illatã, ideò in quolibet iusto bello ex dictis licitum est, quidquid est necessarium ad finem proprium, quamuis sit occisio hostium, & eorũ captiuitas & bonorum ipsorum ablatio, & direptio, & quia in bello defensiuo, & in reparatiuo, qui se defendunt, & qui damna sibi illata reparare intendunt, etiam iniuriantur ab hostibus iniuria digna punitione, seu vindicta. Ideò etiã in his duobus bellis licita sunt contra hostes nõ solum ea, quæ sunt necessaria ad defensionem & reparationem, sed etiam ea quæ sunt necessaria ad vindictam proportionatã iniuriæ, nempè inferre illis damna in bonis fortunæ, & in libertate, & in vita.

Vnde in quolibet bello iusto in ipso actuali conflictu ante partam victoriam licitæ sunt occisiones hostium, eorum captiones, & bonorum destructio, quia in ipso actuali confrictu hæc omnia sunt necessaria ad finẽ belli, nempè vel ad defensionem, vel ad reparationem damni obtinendam, & saltem ad vindictam iniuriarum, quæ ab hostibus factæ sunt, & tunc fiunt, & fieri intenduntur ab ipsis.

Post partam verò victoriam fieri potest licitè contra hostes quamuis ipsi se dederint (nisi dediti fuerint sub cõditione indemnitatis, quia hæc conditio adimplẽda est) quidquid

est

est necessarium ad finem belli obtinendum, nempè in bello offensiuo quidquid est necessarium ad vindictam sumendam, & in bello defensiuo fieri potest, quidquid est necessarium ad defensionem, & ad vindictam iniuste inuadentium, & in reparatiuo quidquid est necessarium ad reparationem damnorũ, & ad vindictã eorum, qui damna illa intulerunt: & in quolibet bello fieri potest licitè contra hostes, quod est necessarium ad satisfactionem expensarum, quæ factæ & faciendæ sunt intuitu belli.

Vnde inquolibet bello iusto, hostes nocentes, quos nõ constet bona Fide processisse, possunt saltem in vindictã bonis spoliari, & in seruitutem redigi, & occidi, quia omnibus his malis digni effecti sunt, quia delictũ iniusti belli est atrocissimum. Excipimus Christianos non apostatas à Fide, nec pugnantes ex parte apostatarum, nec ex parte non baptizatorum contra fideles, qui non possunt in seruitutẽ redigi ab alijs Christianis ob consuetudinem receptam, quamuis possint detineri, vt pretio vita eorum redimatur, quia facti sunt digni morte.

Nullus tamen hostium potest occidi (nisi alias sit dignus morte) ad securitatem in futurũ stabiliendam, quamuis eius mors sit necessaria ad id, vt cõtra nonnullos aduertunt Lor. disput. 54. n. 8. & Cast. tract. 6. disp. 5. p. 4. quia nullus potest occidi ob peccatum, quod non commisit nec habet animũ declaratũ illud cõmittendi, quãuis prudentissime timeatur illud cõmissurũ. Vnde securitas in futurũ quãuis sit causa sufficiens ad non remittendam mortem alias debitam, non tamen ad eam alias non debitam inferendam.

DIFFICVLTAS XIIII.

Vtrùm in bello iusto possint innocentes hostium occidi?

COnueniunt Doctores innocentes adhuc in ipso actuali congressu belli non posse per se directè, seu ex intentione occidi, quia vnusquisque habet ius ad vitam, quod non amittit, nisi ob culpam propriam: Posse tamen in

actuali conflictu ante partam victoriam per accidens, & indirectè occidi, vt quando nocentes non possunt occidi, aut aliter damnificari, nisi etiam innocētes occidantur, vt cōtingit quando in arce aliqua sunt mixti nocentes, & innocētes, & ad victoriā necessarium est arcem illam quati: & quando in naui aliqua Turcarum sunt Christiani remiges, & ad victoriam necessarium est nauim illam mergi.

Post partam tamen victoriam nequeunt innocentes occidi, v.g. Infantes Turcarum, quia si ob aliquem finem possent occidi, maximè ob stabiliendam securitatem in futurū, ob hanc autem non possunt, vt diximus diffi. præcedente, & multò minus in vindictam, seu punitionem, quia non sunt ea digni. Quod autē sint pars Reipublicæ nocentis morte dignæ non sufficit vt occidantur, quia Respublica nullam habet ius in vitam illorum, vt ratione talis iuris possit Respublica occisione ipsorum puniri, præsertim quod non sunt pars Reipublicæ vt nocentis.

Illi autem sunt innocentes, qui non repugnant, nec auxilium præstant repugnantibus, vt contingit omnibus infantibus & non paucis de populo: & præter infantes, qui ex natura rei, seu iure naturali sunt innocentes, iure positiuo præsumuntur innocentes. Primò, fœminæ, 2. Præsbyteri, 3. Religiosi, 4. Rustici ad agriculturam euntes, & in agro laborantes, & inde redeuntes, 5. Legati, 6. Peregrini, seu exteri, 7. Mercatores accedentes & abeuntes, 8. sponte dediti, 9. obsides. Hi omnes præsumuntur innocentes, quandiù oppositū non constat.

DIFFICVLTAS XV.

Vtrùm innocentes hostium possint in seruitutem redigi?

VIctoria de iure belli, n. 42. Valen. pun. 3. Mol. disp. 120. Soar. disp. 13. sect. 7. Ægid. disp. 21. dub. 7. Gran. disp. 4. sect. 8. Cast. punct. 4. & communiter DD. partem affirmatiuam probabilissimè tuentur, quod supponitur in pluribus iuribus ciuilibus, & Ecclesiasticis, & ratione videtur proba-

ri.

ri. Primò, quia innocentes ſicut partes Reipublicæ nocentis, ergo poſſunt puniri ob delictum Reipublicæ ſunt pars totius phyſici poteſt puniri ob delictum totius. Secundò, quia Reſpublica nocens habet ius in libertatem innocentium, quia in extrema neceſsitate poteſt eos in mancipia vendere, ergo victor qui eò ipſo eam Rempublicam iuribus quæ habet, priuare, & ea ſibi appropriare poteſt, etiam poteſt innocentes illius libertate priuare eos in ſeruitutem redigendo.

Bañez verò quæſt. 40. art. 1. dub. 12. Lorca diſp. 54. & Petrus Hurtado diſp. 169. partem negatiuam tradunt quod etiam ſentit Sylueſter verbo Bellum 1. quæſt. 10. con. 3. & nō abſque probabilitate, quia nullus eſt verus titulus, quo innocentes poſsint in ſeruitutem redigi, quia in primis quod innocentes ſint pars Reipublicæ nocentis nō ſufficit, vt poſſint licite puniri in ſeruitutem eos redigendo, quia vnio moralis, quæ eſt inter partes Reipublicæ non ſufficit vt eo ipſo quod aliqua, aut aliquæ factæ ſint dignæ pœna, omnes reliquæ fiant dignæ pœnæ ſicut non ſufficit vt eo ipſo quod aliqua, aut aliquæ ſint delinquentes reliquæ fiant, delinquentes, quia dicta vnio inter illas non tollit eas eſſe abſolute, & phyſicè diſtinctas, & habere animas, & voluntates diſtinctas quibus regantur, & ideo delictum vnius quod ortum habet, ex voluntate non attribuitur alteri, nec dignitas pœnæ ex delicto orta, quod non reperitur in partibus totius phyſici, quia omnes eadem anima informantur, & eadem voluntate reguntur, ob quod delictum totius phyſici in quālibet eius partem redundat, & in qualibet puniri poteſt, & delictum cuiuslibet partis in totum, & in quamlibet aliam partem redundat, & in toto, & in qualibet alia parte puniri poteſt. Ex quo conſtat ad primam rationem aduerſariorum.

Deinde ſecundò, quod Reſpublica nocens habeat ius in libertatem innocentium in quo ſuccedit victor, quod aſſumitur in ſecunda ratione aduerſariorum, non ſufficit vt innocentes poſsint à victore in ſeruitutem redigi, quia Reſpublica tantum habet ius in libertatem innocentium in extrema neceſsitate exiſtens, ad eos ſcilicet in ea neceſsitate exiſtens vendendos in mancipia, ac proinde victor, qui Reipu-

blicæ

blicæ nocenti succedit in eis iuribus tantum habebit eam potestatem nempe vendendi eos in mancipia, quando sit in extrema necessitate, & non redigendi eos in seruitutem, sicut nec Respublica eorum, quia ipsi non manent minoris iuris, sed eiusdem ac erant ante captionem. Ex quo constat ad secundam rationem aduersariorum.

Tandem tertio quod sit periculum, quod innocentes saltem infantes masculi postea quando maiores, futuri sint hostes, & nocentes alicui nationi, v.g. quod infantes Maurorum futuri sint nocentes Christianis, inter quos, & Mauros est Bellum continuum non sufficit, vt possint in seruitutem redigi, quia non sufficit quod id fiat in pœnam, quia sic non potest fieri, quia pœna non potest infligi ante delictum commissum, nec sufficit ad vitanda damna, quæ ab illis quando maioribus creduntur futura, quia præterquam quod difficile est, quod ob vitanda damna propria quæ creduntur prouentura ab aliquo nondum illa intendente, nec moliente possint illi damna inferri, damna illa propria possunt aliter quam illos in seruitutem redigendo, vitari, nempe eos capiendo, & seruando apud nos absque seruitute curando aliquibus modis, ne fugiant, & ad suos redeant.

De facto tamen innocentes hostium non baptizati in seruitutem rediguntur tuta conscientia, quia id fit iuxta opinionem communem, & maximè probabilem.

Iura autem tam ciuilia, quam Ecclesiastica in quibus supponitur captos in bello iusto posse in seruitutem redigi tantum intelliguntur de nocentibus non de innocentibus.

DIFFICVLTAS XVI.

Vtrùm innocentes hostium possint suis bonis spoliari?

CONVENIVNT Doctores innocentes posse indirectè, & per accidens priuari bonis nempe quando nocentes non possunt aliter suis priuari, aut aliter puniri, & hoc est necessarium ad finem belli.

Est

Est tamen difficultas, an innocentes possint per se, & directè suis bonis priuari.

Victoria de iure belli numer. 40. Soarez disput. 13. sect. 7. Molin. disput. 121. Valent. disput. 3. quæstion. 16. punct. 3. Granado sect. 8. Hurtado sect. 12. & communiter Doctores partem affirmatiuam tuentur, quia id sit iure gentium introductum.

Sylvester verò q. 10. Lorca disp. 52. n. 16. in fin. & disp. 55 n. 6. & Cast. p. 4. n. 20. partem negatiuam tradunt, & nō absq; probabilitate, quia innocentes non possunt suis bonis priuari in pœnā ob rationē, ob quā difficultate præcedente diximus non posse in seruitutē redigi. nec ad eos priuandū suis bonis sufficit quod Respublica ipsorū habeat ius aliquod in bona innocentiū pro aliquo casu cui victor succedit, quia sicut tunc Respublica propria non poterat illos suis bonis priuare, nec poterit victor, quia ad summum succedit in iure quod habebat Respublica ipsorū: nec ad id sufficit cōsuetudo vniuersalis, qua Respublicæ cōmuniter in eo cōsenserūt (ob quod id dicitur introductū iure gentiū) quia cōsuetudo hæc est cōtra rationē, & iniusta (ac proinde nō potest habere vim legis) quia contra rationē est consentire in eo quod vergit in præiuditiū innocentiū, quia nulla causa sufficiens esse potest, vt innocentes tunc damnificētur: imò Respublicæ in eo non consenserunt positiue, sed ad summum permissiue: imò id non dicuntur permittere, quia id fit à victore quando Respublica hostium nequit victori resistere.

Vnde vt aduertit sylvest. post partam victoriam restituenda sunt innocentibus bona, quæ supersunt ex illis, quæ ab ipsis accepta fuerunt in conflictu belli, imò vt Castro aduertit ea bona, quæ innocentibus destructa fuerunt, restituēda sunt illis à victore quamuis nō sit factus ditior, quia vsus est bonis alienis innocentium in suum commodum, qui non tenebantur ei donare sua bona, quia sufficiebat quod ei illa mutuarent.

Tandem quod nocentes possint postea vti bonis innocentium ad nocendum, non sufficit vt innocentes suis bonis spolientur, quia cōtra rationem est ad vitāda damna propria damnificare eos, qui ad ea damna non intendunt cooperari,

nisi

nisi quando damna propria talia sunt, vt in alijs sit obligatio ex misericordia subueniendi patienti ea propria damna media damnificatione in ipsorum bonis, quia tunc illi alij non acquiescendo propriæ damnificationi, essent irrationabiliter inuiti.

Quod si innocentes non possunt per se licite bonis spoliari, multo minus Ecclesiæ, & Ecclesiastici innocentes in quo conueniunt communiter *Doctores*. Imò Syluester verbo bellum in fine, & Soarez sect. 7. num. 14. addunt eodem priuilegio quasi immunitatis gaudere bona quorumcumque sint, si in Ecclesia ad custodiam reponantur: id tamen quamuis sit pie dictum, & valde pie fiat, quando fit, non est verum, quia nullo fundamento id affirmatur: fatemur personas laicas quamuis nocentes in Ecclesia gaudere priuilegio immunitatis nisi sin ea iniuste repugnauerint.

Vnde difficile existimamus repręsalias esse licitas; contingunt autem repræsaliæ (dictæ à reprædo) quæ etiam dicuntur pignorationes) quando quis damnificatus in suis bonis ab aliquo alterius Reipublicæ, & Princeps damnificantis admonitus, non punit damnificantem, nec curat vt satisfaciat damnificato, hic damnificatus licentia sui Principis sibi satisfacit ex bonis aliorum illius Reipublicę, siue nocentium, siue innocentium, cuius erat ille qui damnificauit: hæc ergo acceptio bonorum personarum alterius Reipublicæ, cuius erat ille qui damnificauit, facta ex licentia Principis illius, qui fuit damnificatus, vt ex illis bonis satisfiat damnificato dicitur repræsalia.

Has ergo repræsalias, seu acceptiones bonorum, quanuis fiant ex bonis innocentium approbant communiter Doctores. Solus Lorca disp. 52. eas reprobat quando fiunt ex bonis innocentium, & non absque aliquali ratione, quia contra rationem videtur, & absque titulo ab innocentibus bona accipere, vt fiat satis damno ab alijs, seu à nocentibus illato, vt supra expendimus, cui maxime fauet, cap vnicum de iniurijs in 6. dum repræsaliæ contra innocentes dicuntur contrariæ æquitati naturali.

De facto tamen innocentes tuta conscientia in bello adhuc parta victoria spoliantur suis bonis à victore: & ex-

tra bellum ob repræsalias, quia hæc duo fiunt iuxta communem, & maximè probabilem opinionem: vt tamen iuxta eã repræsalię respectu innocentium sint licitæ. Primò requiritur quod fiant authoritate Principis illius qui damnificatus est. Secundò, quod Princeps illius, qui damnificauit admoneatur damni facti à suis subditis, vt curet satisfactionem fieri. Tertiò, quod constet damnum esse verefactum, & Principem illius qui damnificauit admonitum non curare de satisfactione. Quartò requiritur ne repræsaliæ concedantur contra personas Ecclesiasticas innocentes, quia hæ sunt specialiter exceptæ in capitulo vnico de iniurijs in 6. sub pœna excommunicationis ipso facto, si sint personæ singulares qui eas concedunt, aut qui alias generaliter concessas ad eas personas extendunt: etsi sit Respublica sub pœna interdicti ipso facto.

DIFFICVLTAS XVII.

Vtrùm licitum sit concedere militibus ciuitatem in prædam?

CONVENIVNT Doctores licitum esse Principi, vel Duci concedere militibus ciuitatem in prædam, Hispane, *Parasaquearla*, quando id sit necessarium ad finem belli, saltem ad finem vindictæ. Ita tamen vt iuxta opinionem nostram quam difficultate præcedenti tradidimus, innocentes non possint per se, & directè bonis spoliari, possint tamen peraccidens, quãdo scilicet ob impetũ, & breuitatem belli non possunt discerni bona innocentium à bonis nocentium: non vero possint illis spoliari quando discerni possunt, & ideo bona *Ecclesiastica* non possunt diripi (in quo *Doctores* communiter conueniunt) quia discernũtur esse Ecclesiarum: & bona, quæ accepta sunt ab innocentibus, quia non fuerunt cognita esse eorum, quando id constet, sunt illis restituenda, etsi destructa fuerunt, sunt illis à victore restituenda, si vsus est illis in suum commodum nempe in finem belli.

Nihilominus iuxta communem, & maximè probabilem

opinionem

opinionem quam retulimus difficultate præcedenti tuta conscientia innocentes possunt à victore suis bonis spoliari directè, & per se, adhuc parta victoria post quam iam id non est necessarium ad finem belli, quia est iam obtentus.

DIFFICVLTAS XVIII.

Quibus acquirantur bona hostium accepta in bello iusto?

SVPPONIMVS Omnia bona iniuste pugnantiũ esse in potestate victoris, vt ea capiat, vel destruat, quia saltem in supplicium, & vindictam possunt omnibus spoliari.

Hoc ergo supposito conueniunt Doctores omnia bona iniuste pugnantium, siue mobilia, siue immobilia, quæ in bello iusto capiuntur, acquiri victori. Est tamen difficultas cui ex victoribus acquirantur an Principi, an militibus.

Circa quam conueniunt Doctores bona immobilia acquiri Principi indicenti bellum. Et meritò, quia Princeps in omnibus militat, quia omnes authoritate, & sumptibus ipsius militant. Et ob hanc rationem existimamus attento solo iure naturali etiam omnia mobilia hostium ipsi acquiri excipiendo ex his, & ex immobilibus ea quæ necessaria sunt ad reparationem, seu satisfactionem damnorum, quia hæc sic necessaria primo loco acquiruntur eo cui facienda est satisfactio, siue ipsi Principi, siue Reipublicæ, siue aliquibus particularibus.

Addidimus *attento solo iure naturali*, quia attentis legibus positiuis humanis, & consuetudinibus vim legũ habentibus, bona mobilia fiunt militum illa capientium (nisi vbi forsan sit alia consuetudo) vt sic ad pugnam animentur.

Circa bona aliena, quæ sunt apud hostes ea iniuste possidentes quia furto, aut aliter sunt iniuste ablata, existimamus attento iure naturali, ea omnia tam mobilia, quam immobilia restituẽda esse veris dominis, quia sunt eorum, & nullo titulo naturali fiunt victoris capientis illa. Est tamen victori extrahenda æstimatio operarum, & industriæ quas adhibuit

ad ea recuperanda, & capienda ab hostibus ea iniuste possidentibus.

Addidimus *attento iure naturali*, quia attento iure cæsareo, bona mobilia exceptis nonnullis fiunt victoris capientis: si ea bona fuerint in loco tuto apud hostes victos, qui ea iniuste abstulerunt, vt constat ex lege *si quid bello* 28. iuncta lege post liminio, ff. de captiuis, *& post liminio reuersis*, quod probabiliter creditur vniuersali consuetudine vbique receptum: & etiam receptum est in Regno Castellæ, leg. 26. tit. 26. part. 2. vbi requiritur quod bona capta pernoctauerint apud hostes victos, quamuis non fuerint in loco tuto, aut quod si non pernoctauerint, quod fuerint intra muros alicuius arcis: quod satis conuenienter est statum, quia ex vna parte iam bona illa iniuste possessa ab hostibus victis, moraliter censentur nunquam euentura in potestatem dominorum, & moraliter censentur omnino amissa: & ex altera parte, lex illa, & consuetudo est maximè rationabilis, & bono communi expediens, vt milites animentur ad spoliandos hostes rebus alienis iniuste ablatis.

Addidimus *exceptis nonnullis*, quia aliqua bona mobilia non fiunt capientium, sed redeunt ad statum quem habebant ante capturam (extracta tamen, seu soluta æstimatione operæ & industriæ) quæ ob id dicuntur gaudere priuilegio post liminij, quia scilicet ex priuilegio redeunt ad eundem statum quem habebant antequam hostes illa iniuste acciperent à veris dominis, & antequam essent post limem, seu terminum Regni in quo fuerunt ablata: ea autem bona, sunt homines tam serui, qui redeunt ad antiquum, & verum Dominum quam liberi, qui redeunt ad antiquam libertatem, & naues vsibus belli aptæ, & equi, & equæ frenis assuetæ, & muli onerarij, quæ sunt antiquis dominis restituenda nisi vbi vigeat contraria consuetudo.

Obseruandum tamen est res alienas in bello iniuste ablatas, quæ creduntur nunquam euenturas in potestatem dominorum, vt regulariter contingit, posse emi ab iniuste possidentibus illas, eas vendentibus. Ita tamen vt si compareat Dominus earum, vt eas repetat ipsi restituantur

pretio

prætio soluto ei qui eas emit, aut toto si sit aliqualiter minus, quia eas sic emendo negotium Domini vtiliter gesit, si verò prætium sit valori rerum æquale non est eminenti totum restituendum, sed tantum illud quo res emptæ, dicerentur emptæ in vtilitatem Domini.

DIFFICVLTAS XIX.

Vtrùm captis in bello licitum sit fugere?

SVPPONIMVS Captos in bello iniusto (quales sunt Christiani capti â Mauris) posse fugere; & eos ad fugiendum iuuare, & â possidentibus eos eripere, esse opus laudabile misericordiæ: & idem est de natis ex sic captis. Et non solum posse fugere, sed etiam posse â suis Dominis subripere quantum sit satis ad recompensationem iniuriæ, & operarum præstitarum, etsi duret bellũ (vt durat inter Christianos, & Mahumetanos) posse quodcumq; malum suis dominis inferre ex præsumpta voluntate suorũ Principum.

Est tamen difficultas de captis in bello iusto, & de natis ex eis, an possint fugere, & possint ad id iuuari, & â possidentibus eos eripi.

Nau. cap. 17. num. 103. Mol. tract. 3. disp. 37. Anton. 3. p. tit. 4. §. 4. Turrecrema. & Glossa in can. *ius gentium*, de prima partem negatiuam tuentur, quæ in eo can. significari videtur, & in leg. 1. Cod. de seruis fugitiuis, dum dicitur *seruus fugitiuus furtum sui facit Domino.* Et ratione probatur, quia seruus prætio emptus non potest fugere. Ergo nec in bello captus, cõsequentia probatur, quia titulus quo quis bello fit seruus est potiòr, quia fit seruus condonatione vitæ, quæ est potior quam pecunia, qua seruus emptitius fit seruus.

Sotus verò 4. de iustitia, quæst. 2. art. 2. Valen. disput. 3 q. 16. p. 3. Grana. sect. 10. Bonaci. disp. 2. quæst. vltima sect. 1. punct. vltim. & Castro punct. 4. num. 14. partem affirmatiuam tradunt & meritò, quia vniuersali consuetudine est sic introducta seruitus belli, vt significatur instituta de rerum diuisione, non vero seruitus prætio empta quamuis titulus

ſeruitutis belli ſit potior,& nobilior titulo ſeruitutis emptitiæ: & ideo quanuis ſeruus emptitius,& quicumque ab illo deſcendens non poſsit fugere, niſi quando inhumaniter tractatur à *Domino*,aut quando ab eo inuitatur ad peccatum,& rogatus non deſiſtit ab inuitando.*Seruus* tamen in bello captus,& omnis ab illo deſcendens,poteſt licite fugere,poteſt autem ſeruus in bello captus fugere, niſi quando liberaliter abſque coactione promiſit non fugere, præſertim ſi id iuraue rit;& non poteſt fugere niſi tendat ad propriam patriam,vel ad amicam ſuæ nationis,quia ſolo acceſu ad aliquã earum recuperatur libertas(vt cõſtat ex legepoſtliminio ff.de captiuis) ob quod ius fugiendi introductum eſt,& ſic intelligitur Canon.*Ius gentium* in quo ſignificatur illicitã eſſe fugam;nempe quando fit manendo intra cõfines Regni Domini,& non fit ad propriam,vel ad amicam patriam.

Addimus ſeruos in bello iuſto captos poſſe fugere etiam poſtquam venditi ſunt alijs:quia venduntur, cum eodem onere cumquo ſunt ſerui illius,qui illos in bello iuſto captiuauit,quia ex eo quod vendantur alijs,non fiunt peioris conditionis.

Sed quamuis ſerui bello iuſto capti poſsint licite fugere nihilominus poſſunt â Dominis caſtigari ob fugam ſi apprehendantur,antequam ſint extra Regnum dominorũ, non in pœnam,quia fuga in illis non eſt delictum, & pœna non infligitur niſi ob culpam ſeu delictum,ſed in cuſtodiam, quia timore caſtigationis detinentur,ſicut qui ſunt in carcere grauem pœnam timentes,poſſunt licite fugere,& nihilominus,ob fugam poſſunt grauiter caſtigari non in pœnam, ſeu punitionem,ſed in cuſtodiam. Vndè dicti ſerui non habent ius fugiendi omnino independens, ſed limitatum, quia non habent ius fugiendi impune, & dominis reſiſtendo.

DIFFICVLTAS XX.

Quibus modis contingat Principes, & Duces, & milites peccare in bello, & ad restitutionem teneri.

IN Primis peccat contra iustitiam Princeps in bello si dãna suis subditis illata iniuste ab aduersarijs, cùm his cõponat absq; consensu eorum, qui damnificati sunt, ita vt his nõ fiat debita satisfactio, & tunc ad hanc Princeps tenetur, nisi quando compositio bono communi expedit, quia pro bino communi Princeps potest subditos ad iacturam obligare.

Secundò, peccant contra iustitiam Princeps, Duces, & milites ad bellum iniustum cooperantes, Princeps indicendo, Duces gubernando, & milites militando, & tenentur ad restitutionem damnorũ, quæ illata sunt aduersarijs, & sumptuum qui ab aduersarijs fiũt, quia omnes prædicti ad ea cooperantur. Ad eorum tamen restitutionem, Primo loco tenetur Princeps. Secundò Dux Generalis. Tertiò, alij ministri subordinati, & maioris priùs quàm minores maioribus subordinati. Quartò loco puri milites. Nihilominus in Principe non cogente milites ad militandum in eo bello iniusto siue, sibi subditos, siue extraneos non est obligatio restituendi illis damna, quæ patiuntur ab aduersarijs, quia tũnc Princeps non est causa illorum.

Tertiò, qui absquè authoritate publica quamuis aliàs sit titulus, mouet bellum ad vindicandam iniuriam peccat contra iustitiam, quia tunc illud iniuste mouet: & consequenter tenetur ad restitutionem damnorum, & sumptuum hostium. Qui tamen absquè authoritate publica mouet bellum ad defendendum, vel ad recuperandum propria, quæ nequit aliter defendere, vel recuperare, non peccat contra iustitiam, nec ad restitutionem tenetur; quia vnicuiquè licet defendere, & recuperare sua, si aliter non potest.

Ob-

Obseruandum est in his duobus postremis casibus singulos qui sunt in eo exercitu iniusto peccare contra iustitiã, & ad dictam restitutionem teneri, etiam illos qui custodiũt sarcinas quia omnes, sua præsentia animando eos, qui exequuntur, concurrunt ad id. Excipimus eos qui sunt in exercitu ad componendam pacem, vel ad confessiones audiendas, vel ad curandos infirmos, vel ob aliam honestam causam, quia isti per se non animant milites ad id. Qui verò in dictis casibus bona fide damnificauit, siue bellum indicendo, sine militando non peccauit, nec ad restitutionem tenetur, nisi aut res hostis sit apud ipsum, quia tùnc ea est restituenda, aut nisi damnificatione, factus sit ditior; quia tunc excessus istè quo factus est ditior restituendus est iuxta regulam generalem de restitutione.

Quartò, Princeps, & Dux peccant contra fortitudinem si temere, & absquè necessitate exponunt exercitum maximo periculo, quia inducunt exercitum ad id, quòd in ipso exercitu est contra fortitudinem, tamen non peccant contra iustitiam in exercitum, nisi eum cogant ad id: quòd indicant Val. disp. 3. q. 16. p. 3. §. item peccat, & Lorca sectione 3. numer. 8.

Quintò, Princeps aut ministri deputati ad soluenda stipendia peccant contra iustitiam, si illa non soluant, aut si non soluant statuto tempore, & tenentur ad restitutionam damnorum, quæ milites patiuntur ex eo quod eis non soluuntur statuto tempore, vt quando propter id vili sua vendunt, aut infirmantur, aut a luchro aliquo cessant.

Sextò, Duces peccant contra iustitiam accipiendo à populis munus, vt exercitum alio transferant, vt eos non grauent hospitio militum, si aliàs alium populum grauant: quia tantum possunt grauare populum sufficientem ad hospitium, & non alios aphuc acceptatione munerum, etiam si in eorum potestate sit hunc, aut illum grauare. Vndè tenentur ad restitutionem muneris accepti.

Septimò, Duces peccant contrà iustitiam, signando famulos suos, aut amicos in ministros eis minuendo sti-

pēdiū à Principe asignatū, vt sibi reliquū reseruēt: peccant autē in dictos signatos (nisi cōstet eos id liberaliter velle) & tenentur ad restitutionem partis stipendij minutæ.

Octauo ducespeccāt cōtra iustitiam, quādo recipiūt plura stipēdia quā sint milites, repræsentando plures, quā sint, & tenētur ad restitutionem nō solū stipendiorū, quæ furtiue recipiūt, sed etiam damnorum, quæ indè Principi obueniūt, qui credēs plures esse milites nō mittit alios ob quod exercitus peius tractatur ab aduersarijs, imo aliquando vincitur.

Nono, milites peccant cōtra iustitiam quandō deserūt stationem, aut pugnam, quamuis sit euidēs periculum mortis, dum est spes aliqua, quod poterūt aduersarijs resistere, quia ad id tenētur ex pacto, & etiā peccant cōtra iustitiā, si absq; facultate ducis deserūt castra, quia ex pacto tenentur ad ea nō deserenda; & in vtroq; dicto casu tenentur ad restitutionē damnorum si aliqua inde aliquando eueniant.

Decimo, milites peccant cōtra iustitiam quando inferūt aduersarijs damna cōtra ordinem ducis nolētis ea illis inferri, vt eis nō inferantur, seu in gratiam ipsorū aduersariorū, quia tūnc iuferūt illa absq; authoritate, ac proinde tenētur ad eorum satisfactionem: sednō peccant cōtra iustitiam, nec ad restitutionē tenētur quanto inferūt damna aduersarijs cōtra ordinē ducis nolentis illa inferri, nō in gratiam aduersariorū, sed vt seruetur disciplina militaris, ne scilicèt milespolijs occupatus reeardetur ab insequēdo hostes, quia tūc damna illa vt sunt damna aduersariorum non fiunt cōtra voluntatem ducis, nec absq; eius authoritate.

Decimoprimo, milites peccant cōtra iustitiā, si ab eisapud quos hospitantur, accipiunt aliquid præter id quod illis debitum est (nisi constet id ab eis, liberaliter donari, quod raro continget) & tenentur ad restitutionem excessus accepti.

Decimosecundo, milites contra iustitiam peccant quando faciunt, sibi plures domos in hospitium asignari; & in vna tantum hospitantur accepto stipendio ab alia, vel ab alijs, & ad restitutionem huius stipendij tenentur: & nō minus, imò magis peccat: qui mala fide schedulas confert ad eas plures domos, & in eo est obligatio imò, & primo loco restituendi dictum stipendium.

DI-

DIFFICVLTAS XXI.

Quid sint seditio & rixa, & quale peccata?

CIRCA Prius. *Seditio est pugna mutua absque legitima causa inter plures conciues eiusdem Reipublicæ*, ob quod dicitur bellum ciuile, in quo differt à bello absolute quod est inter hostes diuersæ Reipublicæ, & differt à rixa, quia hæc est inter paucos: & etiam quia hæc potest esse inter non conciues. Dicitur autem seditio, quasi seorsim itio, quia conciues in seditione alij alio eunt. Nomine autem conciuis etiam comprehenditur Princeps illius Reipublicæ, quia seditio non solum est quando est pugna inter ipsas partes Reipublicæ excluso Principe, sed etiam quando Princeps accedit ad vnam partem, aut quando est pugna inter ciues ex vna parte, & inter Principem ex altera.

Rixa verò *est mutua pugna inter paucos absque legitima causa, & priuata authoritate*: differunt autem seditio, & rixa à discordia, & contentione de quibus egimus dif. 7. quod discordia consistit in dissensione, seu contradictione cordium, seu voluntatum; & contentio in contraditione verborum: seditio vero, & rixa in contradictione factis exercita.

Circa posterius seditio, & rixa ex parte aggressoris sunt peccata contra iustitiam, & ex obiecto sunt mortalia. Addimus primo *ex obiecto*, quia rixa ex leuitate materiæ qualis solet esse inter pueros, & inter fœminas pugnis rixantes absque probabili periculo grauis damni, tantum est peccatum veniale. Addimus 2. *ex parte aggressoris*, quia seditio, & rixa ex parte alterius possunt esse licitæ, quia quis potest licite rixari, cum eo qui ei intendit fuste, aut alapa percutere si nequit aliter defendi. Et vir honoratus non tenetur cum graui dedecore fugere alterum rixari volentem. Nec ministri iustitiæ tenentur fugere eum quem comprehendere intendunt, & resistit, quando comprehensio illius nequit absque graui in commodo differri.

DIFFICVLTAS XXII.

Quid sit duellum?

DVELLVM (Quod Græci Monomachiam appellant) est mutua pugna inter paucos ex condicto (id est, ex conuentione partium præterita) in loco assignato, quod si fiat authoritate publica cum quibusdam publicis conditionibus à Principe decretis; nempè adhibitis patrinis, & creatis iudicibus pugnæ, & aliis, dicitur duellum publicum, & solemne. Si vero fiat authoritate priuata, & absque conditionibus publicis dicitur diffidatio (Hispane *desafio*) seu duellum priuatum, & singulare certamen. Est autem duellum, siue publicum, siue priuatum inter paucos, quia si inter plures, si non sit inter conciues dicitur bellum, etsi sit inter eos dicitur seditio.

Obseruandum est duellum ob varias causas, seu fines solere fieri. Ex quibus prima est, vana roboris ostentatio, & acquisitio honori, & nominis viri robusti. Secunda est, causare voluptatem in spectantibus. Tertia est terminatio alicuius litis. Quarta est vindicatio alicuius iniuriæ factæ. Quinta est defensio proprij honoris, qui videtur amitti si duellum oblatum non admittatur. Sexta est vitatio alicuius periculi vitæ, aut honoris, aut diuitiarum quod quis subibit nisi duellum acceptet. Septima est terminatio belli inter hostes, quia ex pacto inter vtramque factionem bellum resoluitur in duellum.

DIFFICVLTAS XXIII.

Vtrùm duellum susceptum ob roboris ostentationem, & ob voluptatem spectantium sit licitum?

CONVENIVNT Doctores duellum ob primam causam, nempè ob roboris ostentationem esse illicitum. Et etiam duellum ob secundam causam, nempè ad recreandos

ſpectatores, quia ex natura rei eſt contra rationem exponi probabili periculo pereundi, & probabili periculo occidēdi alterum (qualibus exponuntur duellatores) ob finem inanem, qualis eſt roboris oſtentatio, & ob finem parui momēti qualis eſt recreatio ſpectantium. Vnde duellum ob vtramuis cauſam dictam eſt iure naturali prohibitū, & ob eaſdem rationes torneamenta cruenta ob vtramuis cauſam exercita. Et alij ludi cruenti ob vtramuis cauſam exerciti iure naturali prohibentur, imò, & iure Eccleſiaſtico.

Nihilominus duellum inter milites vtriuſque factionis in bello initum, non pure in roboris oſtentationem, ſed in acquiſitionem bonæ exiſtimationis apud aduerſarios, vt ſic aduerſarij animo frangantur, & milites propriæ factionis promoueantur, & animentur licitum eſt, ex licentia ſaltē interpretatiua Ducis: eſt autē licitū ex parte militantis in bello iuſto nō ex parte alterius, quia illū exponi periculo propriæ vitę pro magnobono cōmuni, & cōſtitui in occaſione, vt poſſit militem iniuſti belli occidere, vt cōtingit indicto duello, licitū eſt, & laudabile. Et non ſolū eſt licitū illud ab aduerſarijs oblatū acceptare ſicut, & totū bellum, ſed etiam ad illud prouocare aduerſarios etiam ſi ex parte aduerſariorū ſit illicitum, quia id eſt, eos prouocare ad minus peccatū ex parte aduerſariorum non ſolum quando fit prouocatio ad illud vt in illud reſoluatur totum bellum, quia iſtud eſt peius ex parte aduerſariorum, ſed etiam in noſtro caſu, nempè quando fit, vt milites propriæ factionis animentur, & aduerſarij animo frangantur, quia id etiam fit, vt aduerſarij minus noceant, & vt forte non reſiſtant toto exercitu, ſed fugiant, vel vt ſe dent.

Qui vero iter agens inuenit pontem, aut alium tranſitum à pugnatore aliquo occupatū oſtentationis roboris gratia neminem permittente tranſire, niſi cum eo pugnet, aut niſi ei ſe ſubijciat, poteſt cū eo abſq; peccato iniuſtitię cōtra illum pugnare, ſi abſq; graui incōmodo nequit iter omittere, nec illud alio agere: imoſi omnibus pēſatis periculū cui, in ea pugna ſe exponitnō ſit maioris momēti quā damna, quę eo periculo intēdūtur vitari, poteſt ſe ei periculo exponere abſq; peccato temeritatis contra fortitudinem.

Addimus vt aduertit Petrus Hurtado disput. 170. §. 24. quod si vir honoratus non præuiderit eam occasionem, sed subito in ea se inuenerit, si nequit pedem sine dedecore referre, quia id apparent fugere, possit quamuis nullum aliud damnum sibi immineat, pugnare cum illo, quia tunc non peccat contra fortitudinem quamuis se exponat periculo vitæ, quia ex causa satis rationabili se illi exponit: nec peccat cõtra iustitiam in illum, quia ipse euitat graue damnum in suo decore quod amitteret occasione ab illo ipsi oblata impediendo ius iustitiæ quod ipse habet ad transeundum, nec peccat contra misericordiam, nec contra aliam virtutẽ ex eo quod non euitat peccatum, quod ille alter committit pugnando cum ipso, ne transeat, quia nec ex misericordia, nec ex alia virtute tenemur ad vitandum peccatum alterius cum graui detrimento proprio: præsertim quando alter est expositus ei peccato, vt contingit in casu præsenti.

DIFFICVLTAS XXIV.

Vtrum duellum susceptum ad terminandam litem, seu ad indagandam veritatem sit licitum?

OLIM Vsitatum erat, vt quando alicuius criminis, vel alicuius iuris probatio erat obscura, & dubia veniretur ad duellum, vt qui in eo victor existeret reputaretur verum dicere, & qui victus falsum: vnde tunc duellum erat probatio, & victoria erat sententia pro victore.

Est ergo difficultas. An duellum ob dictam causam esset, & sit licitum.

Circa quam conueniunt Doctores duellum ob dictam causam susceptum non esse licitum, & vt illicitum damnatur in capit. 1. & 2. de purgatione vulgari, & in capit. monomachiam, causa 2. quæstion. 5. quia duellum est res adeo atrox, & simul inutilis, & fallax ad indagandam veritatem, quia contingit innocentem, & dicentem veritatem vinci in

duello

duello à nocente, & à dicente falsum, quia hic est fortior, & dexterior quam ille.

In hoc autem duello triplex malitia repetitur, alia iniustitiæ contra iustitiam in alterum ob periculum occidendi illum, alia superstitionis contra religionem, quia eo duello tentatur Deus absque necessitate, quia eo intenditur quod Deus miraculosè seruet innocentem, & dicentem verum, quod non est necessarium quia si est sufficiens probatio cõtra reum, condemnabitur à iudice, & si deficiat probatio declarabitur liber, & alia malitia temeritatis contra fortitudinem, quia vterque absque rationabili causa se exponit probabili periculo patiendi mortem ab altero: imo prouocanti alterum ad hoc duellum imputatur triplex hoc peccatum, quia inducit alterum ad illud.

DIFFICVLTAS XXV.

Vtrùm duellum susceptum ad vindicandam iniuriam sit licitum?

CONVENIVNT Doctores contra Lyram in cap. 17. primi Reg. 1. duellum susceptum ad vindicandam iniuriam illatam, non esse licitum. Ita Valen. q. 16. pun. 1. Sanc. lib. 2. cap. 3. num. 15. Ægid. disp. 32. num. 5. & Becan. cap. 25. q. 2. & meritò, quia dictum duellum non est licitum priuata authoritate susceptum: quia nulli priuato, seu particulari licitum est iniuriam sibi illatam vindicare, quia ad id est Princeps constitutus, nec authoritate publica Principis, quia contra rationem est absque alia rationabili causa eum, qui intendit aliquem punire morte, vt eum puniat; exponi probabili periculo patiendi mortem ab ipso puniendo, in duello autem vterque pugnans exponitur probabili periculo mortis.

Addimus, vt aduertunt Prædicti duellum posse suscipi ad vindicandam iniuriam resoluendo bellum purè vindicatiuum ad id indictum, in duellum quando Princeps proba-

bili-

biliter timet vincendum esse in bello, & nequit bellum recusare: quia etiam si tunc ille, qui authoritate Principis punire intendit exponatur probabili periculo mortis, sed non absque rationabili causa, sed ex maximè rationabili, nempè ne totus exercitus iuste bellans succumbat, & vincatur. Addimus, *& nequit bellum recusare*, quia bellum purè vindicativum nequit inferri absque spe moraliter certa victoriæ ob rationem dictam de duello, quia scilicet est contra rationem cum, qui intendit aliquem morte punire, vt eum puniat exponi probabili periculo patiendi pœnam à puniendo.

DIFFICVLTAS XXVI.

Vtrùm licitum sit acceptare duellum ad defensionem proprij honoris, qui videtur amitti illud recusando?

NON Desunt, qui existiment licitum esse acceptare duellum ob hanc causam, ne scilicet quis recusando illud habeatur timidus, & quasi gallina. Ratio eorum est, quia tunc prouocans ad duellum habet se quasi inuasor honoris ipsius prouocati: ergo prouocatus potest se defendere acceptando duellum. Et confirmatur, quia vir honestus non tenetur fugere agredientem (quamuis possit) quia fuga est viro honesto ignominiosa, sed potest se ab inuasore, seu aggressore defendere, adhuc eum occidendo, sed non acceptare duellum est viro honesto ignominiosum: ergo non tenetur recusare duellum oblatum, sed potest illud acceptare.

Caiet. verò & Armilla, verbo duellum, Soar. sect. vltim. Lorca quæst. 45. art. 2. Becan quæst. 5. Castro puncto 7. Sancius cap. 39. num. 9. & communiter Doctores docent, non esse licitum acceptare duellum ob dictam causam, & merito: quia prouocatus acceptans duellum oblatum se exponit absque causa sufficiente periculo probabili moriendi, &

etiam

etiam occidendi prouocantem, ergo id eſt illicitum, conſequentia patet, antecedens autem, nempè quod abſque ſufficiente cauſa ſe exponat dicto periculo. Probatur. Primo: quia quamuis non acceptare duellum ſit ignominioſum, apud vulgares, & improbos, tamen apud probos, & ſapientes eſt non acceptanti honorificum, quia id eſt, conforme legi naturali & diuinæ, quod præponderat opinioni falſæ vulgi. Secundo, quia prouocatus poteſt ſuo decori proſpicere, etiam apud vulgares quamuis non acceptet duellum, ſi dicat prouocanti paratus ſum me defendere, quandocumque me inuaſoris (quia id poteſt licitè facere) nolo tamen modo ex condicto acceptare duellum, quia hoc eſt peccatum magnum contra legem naturalem, & Dei, & *Eccleſiæ*. Tertio, quia ſi prouocatus, cognitus ſit cõmuniter non timens, Deum & eius fortitudo ſit communiter ſuſpecta: Ita vt eum omnino recuſare duellum attribuatur etiam apud probos, & ſapientes timiditati, non timori Dei, poteſt, non acceptando duellum, licitè, aut per ſe, ſiue per epiſtolam, ſiue aliter, aut per alterum, reſpondere prouocanti, vt ſcias me non eſſe timidum, ego egrediar ad locum aſsignatum, & tempore aſsignato, deſiderans tamen non pugnare tecum, niſi me inuadas: & poterit exire, quia exire abſque animo abſoluto pugnandi cum animo tantum ſub conditione, ſi prouocans inuadat, ad ſe defendendum cum moderamine debito, nec eſt contra legem Dei nec naturæ, quia id eſt neceſſarium prouocato ad euitandam infamiam etiam apud probos, ne habeatur quaſi gallina, nec id videtur contra prohibitionem aliquam Eccleſiæ, quia Eccleſia tantum prohibet duellum, & in caſu dicto non acceptatur duellum oblatum, ſeu pugna oblata, ſed tantum acceptatur egreſsio ad locum aſsignatum, & tempore aſsignato abſque animo abſoluto duellandi, ſeu pugnandi, ſed tantum cum animo ſe defendendi ſi inuadatur à prouocante, quod non videtur alienum à mente Leſij libr. 2. capit. 9. num. 83. & 84. & id probabile conſent Philiucius tomo 2. tractatu 29. numero 145. & *Petrus* Hurtado diſputat. 170. ſect. 13. Nihilominus, id eſt, difficillime approbandum.

Ad

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus, quod etiam si prouocans ad duellum se habeat quasi inuadens honorem prouocati; hic tamen potest suum honorem defendere modis prædictis absque acceptatione duelli. Et ad confirmationem concedimus, virum honestum non teneri fugere aggredientem, sed posse se defendere adhuc eum occidendo, quia fuga est illi notabiliter ignominiosa, tamen non acceptare duellum non est illi ignominiosum, quia dictis modis potest se ab ea ignominia defendere, saltem apud probos & prudentes.

Quando ergo quis iratus vocat alterum dicens: *veni mecum, aut post me: quia paucis te volo seorsim conuenire*: tenetur sic vocatus procedere sicut prouocatus expresse ad duellum, quia tunc fere expresse vocatur ad illud habendum in loco & tempore à vocante assignandis.

DIFFICVLTAS XXVII.

Vtrùm licitum sit acceptare duellum, quando est necessarium ad euadendum periculum imminens vitæ, aut honoris, aut diuitiarum magni momenti?

PRIMO Est difficultas, an si quis tibi minetur mortem, aut iacturam magnam honoris, aut diuitiarum, siue per se ipsum, siue per iudicem in iudicio, nisi acceptes duellum ad quod te prouocat, possis illud acceptare, si probabiliter credas malum illud tibi inferendum nisi duellum acceptes?

Abulens. 1. Reg. cap. 17. Salon 22. q. 64. art. 3. controu. 3. & Soar, disp. 13. sect. vltima, n. 5. docent, id non esse licitum, quia qui tunc acceptat duellum non tàm est defensor sui, quàm inuasor prouocantis ad illud, quia non coactus, sed libere illud acceptat, & inuadit prouocantem ad eum occidendum.

Caiet.2.2.quæſt.93.art.8.Nauarr.cap.11.num.39.Valenc. quæſt.17.puncto 1.& Becan.cap.26.docent, id eſſe licitum ad euadendum periculum mortis, aut æquiualentis, non verò ad euadendum periculum aliarum rerum Priorem partem probant ratione, qua eam nos poſtea probabimus. Poſteriorem verò ſic, quia periculum mortis cui exponitur acceptans duellum, eſt maioris ponderis quam amiſsio honoris, & quam amiſsio diuitiarum, ergo non eſt in eas commutandum, & multò minus in periculum earum.

Bañez verò quæſt.64.art.7.dub.4.Leſsius lib.2.cap.9. dub.8.Sancius lib.2.cap.39.Petr.Nauar.2.de reſtitutione, cap.3.in 2.par.dub.13.Ægid.diſput.32.dub.2. Petr. Hurt. a ſect.1.& Caſtr.puncto 7.docent,& merito licitum eſſe acceptare duellum ad euadendum periculum moraliter certum in vita,& in graui honore,& in diuitijs in magna quantitate: Id autem probatur, & in primis ad euadendum periculum in vita, quia tunc periculum vitæ moraliter certum obiectiue (id eſt vitæ moraliter certo amittendæ) quale ſupponimus imminere, ſi non acceptetur duellum commutatur in periculum vitæ dubium, & incertum obiectiue, cui exponitur acceptans duellum, ergo id eſt conſultius,& conſequenter licitum.

Deinde id eſſe licitum ad euadendum periculum in graui honore, & etiam ad euadendum periculum in diuitijs in magna quantitate moraliter incertum obiectiue. Probatur quia grauis infamia, & etiam amiſsio diuitiarum in magna quantitate, quæuis earum, ſeu periculum vtriuſuis earum, moraliter certum obiectiue (id eſt grauis infamiæ, aut amiſsionis diuitiarum certo moraliter euenturæ) commutatur in periculum incertum, ſeu dubium mortis, cui tunc exponitur acceptans duellum, quod periculum eſt malum minoris conſiderationis quam illud moraliter certum quamuis rerum minoris multo conſiderationis, ergo id eſt, conſultius, & licitum: Ex quo conſtat ad rationem pro Caietano adductam eius antecedens eſſe falſum, quando periculum vitæ eſt dubiũ, ſeu incertũ & periculũ grauis infamiæ, aut amiſſionis magnarum diuitiarum eſt certũ ſaltem moraliter, quia hoc eſt peius illo, aliàs nõ eſſet licitũ bellũ pro dominio tẽporali.

Ad

Ad rationem verò pro Abulensi respondemus, eum qui in casu dicto acceptat duellum, potius esse defensorem sui, & sui honoris, & rerum suarum quam inuasorem, quia compulsus metu mortis, aut grauis infamiæ, aut amissionis magnarum diuitiarum certo moraliter imminentis acceptat duellum, quamuis id faciat libere, Id est, quamuis ita acceptet, vt possit non acceptare, quia etiam qui occidit latronem se inuadentem libere occidit, & tamen non est inuasor latronis, sed defensor sui, aut suarum diuitiarum in magna quantitate, quia occidit illum compulsus metu amittendi vitam, aut diuitias in magna quantitate.

Addimus vt optime Bañez, Ægid. Nauarr. Hurt. & Cast. in casu dicto, Innocentem non solum posse acceptare duellum, sed etiam ad illud prouocare, quando fuerit necessarium ad euadendum dictum periculum, quia ex vna parte ex eo, quod prouocat non exponitur maiori periculo, & ex altera non prouocat ad malum, sed ad minus malum, nempè vt se exponat periculo incerto occidendi. Et addimus vt etiam prædicti, non solum posse illum prouocare ad duellũ, sed etiam posse illum occultè occidere. Imò addimus vt optime Ægidius, & Castro contra Sancium, & Nauarr. prædictum non teneri illum occulte occidere, adhuc ad vitandum periculum vitæ quamuis licite possit, quia certius est illum occulte occisum damnari, quam si pugnet in duello ob quod vitandum innocens laudabiliter potest mortem pati.

Secundò est difficultas, an si innocens damnetur ab iniquo iudice, vt subeat mortem, vel vt duellum acceptet, vt in eo pugnet cum altero possit illud licite acceptare?

Nauarr. cap. 11. num. 39. Sanc. capit. 39. Ægid. dub. 2. num. 17. Petr. Nauarr. num. 289. Becan. quæst. 3. & Bonac. tract. de censuris, disp. 2. quæst. 6. puncto 1. num. 18. partem affirmatiuam tuentur, quia innocens ille quamuis nõ patiatur iniuriam ab eo altero, sed à iudice, tamen habet ius euadendi certam mortem, medio periculo in certo duelli quam vis sit cum detrimento illius alterius Innocentis quo iudex vtitur tanquam instrumento ad executionem partis iniustæ sententiæ sub disiunctione.

Abulen. verò 1. Reg. cap. 17. q. vlt. Sylvest. verbo. duellũ,

q.2. Antonin. 3.p.tit.4.cap.vlt. Soar. disp.13. sect.vltima, & Castro puncto 3. partem negatiuam tradunt, & meritò, quia innocens iste tantum timet iniuriam à iudice non ab illo altero, si ipse non acceptet duellum, ergo nequit intendere occidere alterum quamuis iste alter prouocet ipsum ad illud dum ipsum non inuadat, quia tunc illum occideret, aut ad id conaretur non se defendendo ab illo, quia ille non est inuasor, nec tunc illum occideret per accidens, & indirectè, sed per se, & directe. Vnde non habet ius euadendi certam mortem medio duello inito cum eo, qui ante acceptationem duelli, ne illam ipsi facit iniuriã, & non acceptato duello nullam timet iniuriam ab illo.

Quod si innocens nequit in casu dicto acceptare duellũ cũ eo altero multo minus poterit eum ad illud prouocare.

Et ob eandẽ omnino rationẽ non potest quis acceptare duellũ cũ aliquo ad instantiã alicuius inuasoris vitæ, aut grauis infamiæ, aut grauis iacturæ in bonis fortunæ quãuis inuasor iste offerat, quod desistet si duellũ ineat cu eo altero.

Addimus, vt aduertunt Azor lib. 2. c.5. Philiuc. tom.2. tract,29 c.8. Petr. Hurt. sect.4. & Becan. licitum esse duellũ, aut pugnam inter duos iuste damnatos ad mortem, si iudex optionem det, vel vt mutuo pugnent, & victor euadat incolumis, vel vt executor eos vita priuet, quia tunc vterque ex præscripto iudicis censetur esse executor iustæ sententiæ in alterum: quam mutuam pugnam credimus illicitam inter patrem & filium: nihilominus absque pugna credimus licitum esse data optione iudicis patrem damnatum ad mortem, esse executorem iustæ sententiæ mortis sui filij, si ob id patri concedatur incolumitas: & è contra filium sic damnatum esse executorem iustæ sententiæ mortis sui patris, quia tunc id fiet ex rationabili causa, & neuter erit rationabiliter inuitus, quod compluti contigit, nempè oblatam optionem Patri, & ab eo recusatam admissam fuisse à filio ex beneplacito Patris, ea tamen conditione, vt qui esset executor mortis alterius maneret ex officio publicus executor: quia tunc deficiebat executor, & non facilè inueniebatur, & sic mansit filius, quem sæpè vidi, & audiui dictum officium exercere.

DIF-

DIFFICVLTAS XXVIII.

Vtrùm duellum sit licitum ad defensionem diuini honoris?

EXEMPLI Gratia, si quis mahumetanus dicat Mahumetam esse Christo Domino sanctiorem, & potentiorem, aut si quis Apostata, imaginem Christi crucifixi verberet; quod nuper Matriti quinquies accidit; & non sine miraculo magno: nam imago ipsa verberantibus Hispano sermone, quinquies dixit: *Cur me cæditis? quid feci vobis*: his verbis, Imaginis, grande aliud prodigium accessit, nam ex scapulis, ipsius etiam quinquies sanguis profulsit: atque vt portentū hoc, in publico Tribunali sanctæ Inquisitionis coram Regibus, & vniuersa Curia Matritensi me præsente iudicialiter euulgatum, magis mihi innotesceret, ego ipse à primario tanti sceleris architecto, cum iam ad nececem, & ignem sibi satis debitum, ire cogeretur, inuestigaui: & ipse ita accidisse, me simul, & aljis audientibus, palàm professus est, cuius responsio vtpote in eo articulo facta, & potius ad augmentum supplicij, quam ad decrementum iuuans, omni exceptione maior habenda est: & dum ipsi obijcerem quare in experimento tanti, & tan inusitati miraculi non fuerint commota viscera eius, verbis non respondit, sed signis suam duritiem & pertinaciam recognoscens.

Est ergo difficultas, an in his, & in alijs similibus casibus, licitum sit duellum, quando inchoatio, aut continuatio sacrilegij nequit aliter impediri, quam acceptando, aut offerendo duellum?

Circa hanc difficultatem Castro Legionensis tract. 6. disp. 5. p. 7. num. 14. docet, tunc esse licitum duellum, quando aliter sacrilegium nequit impediri: quod addit, quia si aliter possit adhuc occidendo sacrilegum (quod laudabile existimat) ait non esse licitum offerre, nec acceptare duellum, ne absque necessitate innocens se exponat periculo patiendi mortem à sacrilego.

Nos

Nos tamen consequenter ad ea, quæ diximus tract. de Fide disp. 10. diffi. 9. existimamus, tunc non solum non esse licitum duellum sed nec occidere sacrilegum. Quia Deus & Christus saltem vt Deus, nullo verbo, nec facto alterius verã iniustitiã patitur: & quamuis Christus saltem vt homo iniustitiam veram pateretur, nullus posset licite ad eam impediendam iniuriantem occidere: nec ad id conari, nec in periculo illum occidendi constitui, vt quis conatur, & constituitur in duello: quia Deus & Christus etiam vt homo posset se ipsum ab iniuriante defendere, seu iniuriam impedire, & nõ vult: pro defensione autẽ innocentis potentis se defendere, & nolentis, non est inuasor occidendus ab alio.

DIFFICVLTAS XXIX.

Vtrùm licitum sit duellum inter hostes vtriusque factionis ad terminandum bellum?

SVPRA diff. 23. diximus duellum inter hostes vtriusque factionis licitum esse ex parte militantis in bello iusto ad promouendum bellum, seu ad animandum milites propriæ factionis ad illud: & non tantum esse licitũ illud acceptare oblatum ab hostibus, sed etiã hostes ipsos ad illud prouocare, quia tunc hostes nõ prouocantur ad id, quod est ipsis absolutè illicitum, sed tantum ad id, quod est minus illicitũ. Addimus ex parte militantis in bello iusto, quia ex parte militantis in bello iniusto, semper est illicitũ (etiã illud acceptare) sicut & totum bellum, cuius duellum illud est pars.

Hoc ergo supposito conueniunt Doctores circa præsentem difficultatem duellum inter personas vtriusque factionis, esse licitum ex parte militantis in bello iusto ad dirimendum bellum reuocando causam belli, seu bellum ad duellum ex conuentione vtriusque factionis, ita vt illius factionis sit victoria, cuius miles vicerit: quia tunc si ille miles duellans exponitur periculo propriæ vitæ est

pro magno bono communi, & si constituitur, in occasione occidendi, est occidendi dignum morte, & autoritate publica quæ laudabiliter fiunt.

Est autem licitum non ex parte factionis militantis in bello iniusto, sicut nec totum bellum, sed tantum ex parte factionis militantis in bello iusto, sicut & totum bellum: vt autem adhuc ex parte eius sit licitum requiritur, vt Doctores aduertunt, quod non habeat minorem spem victoriæ ex duello, quam ex bello, sed nõ requiritur quod habeat maiorem, quia nulla est causa ob quam requiratur maior.

Et tunc non solùm est licitum acceptari duellum si tunc duellum est licitum, vt patet, sed etiam ad illud prouocare, quia tunc prouocans non prouocat ad aliquid, quod sit absolute malum, sed ad id quod est minus malum, quia prouocat ad duellum loco totius belli iniusti, quod est peius, quã duellum vt patet.

Et non solum est licitum duellum inter milites ordinarios ad dirimendum bellum, sed etiam inter ipsos Duces generales, imò & inter Principes ipsos, quando habent exercitus armatos, & coram positos: imò etiam quando exercitus non sunt armati, aut si sunt armati, tamen non sunt præsentes vnus alteri, & è cõtra, si dicti Duces, aut Principes possunt, tunc duellare absque tumultu populorum, quia tunc duello inter eos euitantur maiora damna, nempe bellum præsens, aut futurum. Et ob hanc rationem idem credo quã do nondum habent exercitus, si non interueniente duello inter ipsos futurum est bellum inter exercitus ipsorum.

Obseruandum est licitum esse Principi, Ducibus, & alijs militibus promittere, & se obligare ad non sucurrendũ suis duellantibus succumbentibus: quia eis non succurrere potest licite fieri, quia fieri potest ex rationabili causa, ne scilicet totus exercitus periculo exponatur, quia exercitus aduersariorum arma sumet contra exercitum succumbentis in duello si ei socij succurrant.

DIFFICVLTAS XXX.

Quibus pœnis afficiantur duellantes illicite ſeu abſque cauſa legitima.

IN PRIMIS iure antiquo in cap. 1. de clericis pugnantibus in duello. Clericis in duello re ipſa pugnantibus imponitur ſuſpenſio, non tamen ipſo facto incurrenda, vt ex contextu vtrumque deducitur â Sancio, lib. 2. cap. 39.

Secundò Tridentinum iure nouo, ſeſſion. 25. cap. 19. de reformatione, excommunicat ipſo facto dominos temporales concedentes locum duello, & etiám ipſos duellantes, & ſpectatores eorum, & duelli patrinos, & conſilium dantes ad id, & etiam eos qui quacũque ratione ad id ſuadent. Deinde dictos dominos temporales priuat dominio ac iuriſdictione territorij in quo concedunt duellum, & ipſos duellantes, & patrinos punit bonorum proſcriptione, & perpetua infamia, & duellantes in loco duelli morientes, priuat Eccleſiaſtica ſepultura.

Tertiò Pius IIII. in motu proprio edito anno 1560. excommunicat ipſo facto excommunicatione Papæ reſeruata exceptis Imperatore, & Regibus omnes permittentes in ſuis locis duellum, ſeu ſingulare certamen, & ipſos facientes diffidationes, & inuitantes, & procurantes, & auxilium, conſilium vel fauorem dictis pugnantibus dantes, & eis aſsiſtẽtes, & chartas ſubſcribentes, & publicantes, ſeu de illis ſe intromittẽtes, & ex prædictis clericos etiã priuat omni dignitate, beneficio, & officio *Eccleſiaſtico*, & inhabiles reddit ad alia impoſterũ obtinẽda loquitur autẽ Pius 4. de duello.

Quartò, Gregor. XIII. in quodam motu proprio edito anno 1582. qui incipit: *Ad tollendam*: extendit pœnas Tridẽtini, & Pij IIII. ad duella inter priuatos ex condicto inita, nempè ſtatuto tempore, & in loco conuento, quanuis abſque patrinis, & abſque alijs vſitatis cæremonijs fiant, & ſtatuit, dictis excõmunicationi, & alijs pœnis ſubiacere dominos locorũ hæc dicta duella permittentes, & ea quantũ in ſe fuerit non impedientes, & etiam omnes mandantes, & inſti-

gantes,& auxiliũ,consiliumq; dantes,& equum, arma,pecunias,comitatum,& alia subsidia scienter subministrantes, & spectatores ex proposito,& socios se prebentes,quãuis illi, qui ad locum assignatũ pugnaturi accesserint,non pugnent, quia impediuntur nisi per ipsos cooperantes aliquo modo ex dictis steterit,ne pugna sequatur. Vnde dictis pœnis non subijciuntur ipsi duellatores si pugna nõ sequitur,reliqui vero nẽpè cooperatores eis subijciuntur quamuis non sequatur exceptis ijs à quibus pugna fuerit impedita.

Quintò,Clemẽs VIII. in motuproprio edito anno 1592 confirmat dictum decretum Tridentini,& dictos motus *Pij* IIII & Gregorij XIII. contra duella,quos affert Pet. Hur. à sect. 22. vbi *Clemens* extendit prædictas pœnas ad duella priuata,sicut Greg XIII. & ad eos, qui quoquo modo efficiunt aliquid conducens ad duellũ nullis personis exceptis. Ciuitates ver ,& terras, & oppida, & castra,& loca in quorũ territorijs fit duellum, id permittentibus dominis, aut Magistratibus,aut Senatu,subijcit interdicto,cuius relaxationẽ,& etiã absolutionẽ ab excõmunicatione in singulares personas reas dicti duelli ipso facto lata reseruat *Papæ*.

Circa dictum decretum Tridentini , & dictos motus Pontificum contra duella obseruandum est in eis esse sermonem,non solum de duellis initis ad eruendam veritatem, sed etiam ob quãcumque aliam causam insufficientem ad illud licitè ineundum: & tantum esse sermonem de duellis in rigore, nempè ex condicto tempore futuro, & in loco assignatis: Et quamuis in Tridentino, & in motu *Pij* IIII. tantum fit sermo de duellis solemnibus factis authoritate publica, & patrinis , & alijs cæremonijs, vt ex eorum contextu deducitur: In motibus tamen Gregorij XIII, & Clementis VIII. etiam esse sermonem de duellis priuatis:& pœnas in eis statutas non incurrere Principem licitè permittentem, aut concedentem duellum: nec eum qui licite ad illud cooperatur, si id aliquando licite fiat; & dictas pœnas etiam priuationem Ecclesiasticæ sepulturæ exceptis excommunicatione, & interdicto, quæ ipso facto incurruntur, exigere sententiam iudicis competentis, & ante eam non incurri, ab ea tamẽ ex commu-

nica-

nicatione, quamuis *Papæ* reſeruata poſſe delinquentem abſolui à confeſſarijs noſtræ Societatis, quia eorum priuilegium non eſt expreſſè reuocatum quoad hoc, quod requirit *Pontifex* vt ceſſet. Et etiam poſſe abſolui virtute Bullæ Cruciatæ, ſemel in vita, & ſemel in morte, & bis virtute duarum Bullarum: & quando duellum eſt occultum poſſe ab Epiſcopo: & ab eiſdem poſſe interdictum relaxari, à quibus poteſt dicta excommunicatio auferri: de his tamen legendi ſunt Sancius in ſum. lib. 2. cap. 39. Bonacin. tract. de cenſuris, diſp. 2. quæſt. 6. puncto 1. à num. 38. Caſtro. diſp. 5. in fine, & Petr. Hurt. ſect. 21.

DISPVT. X.

De *ſcandalo*.

DIFFICVLTAS I.

Quid & quotuplex ſit ſcandalum?

NOMEN *Scandalum* Græce, idem eſt quod Latine *offenſio*, & ſignificat tria. Primo ſignificat offendiculum, quod obijcitur in via. Secundò, offenſionem ipſam pedis (Hiſpane tropiezo) cuius offendiculum eſt cauſa. Tertiò, lapſum, ſeu ruinam ex offenſione ſequutam: metaphorice autem ſcandalum ſignificat eadem tria. Primò, dictum, vel factum alterius quo proximus offenditur. Secundò, ipſam proximi offenſionem, ſeu propoſitionem peccati faciendi. Tertiò, ipſum lapſum, ſeu peccatum, quod ex offenſione, ſeu propoſitione ipſa ſequitur.

In preſenti ergo ſcandalum ſumitur non ſecundo modo pro offenſione, ſeu propoſitione ipſa, ſed primo, & tertio modo, nempe, & pro offendiculo ipſo, & pro lapſu, ſeu pecca-

to: Vnde scandalum, de quo agimus est duplex alterum actiuum, seu se tenens, ex parte scandalizantis, nempè offendiculum, quod quis proximo suo ponit, & alterum passiuum, seu se tenens ex parte scandalizati, nempè lapsus, seu peccatum proximi, quod ipsi sequitur ex offendiculo posito.

Scandalum actiuum *est dictum, vel factum minus rectum præbens occasionem ruinæ*, dicitur, *minus rectum*, quia deficit à rectitudine, siue vere, siue apparenter, quia vt scandalum sit actiuum debet moraliter influere in peccatum alterius, ita vt quasi admonitio, vel tanquam exemplum inducat alterum ad peccandum: Id autem solum conuenit dicto, aut facto malo, vel habenti speciem, seu apparentiam mali, & non dicto, nec facto bono, vel indiferenti non habenti speciem mali, quia quod est tale non inducit ad peccandum, quamuis ex eo alius sumat aliquando occasionem peccandi. Scandalum verò passiuum *est lapsus, seu peccatum eius, qui scandalizatur.*

Scandalum autem passiuum potest dupliciter subdiuidi. Primò, in scandalum datum, nempè in scandalum quod oritur ex scandalo actiuo alterius, inducente, & in scandalum acceptum, nempè in scandalum quod sequitur, seu sumitur ex opere alterius, siue bono, siue malo non inducente. Secundò, scandalum passiuum, præsertim acceptum potest subdiuidi in scandalum Phariseorum, nempè quod oritur ex malitia scandalizati (quo modo Pharisei, aliquando scandalizabantur ex verbis Christi) & in scandalum pusillorum, nempè quod oritur ex infirmitate (id est ex passione, quæ est infirmitas animæ) aut ex ignorantiæ scandalizati.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm scandalum sit peccatum: & quale?

Supponimus primò, scandalum passiuum esse peccatum,

vt

vt patet: quamuis non semper imputetur ei, ex cuius verbo, aut opere sequitur de quo postea: & non esse speciale peccatum scandali, quia ex eo quod quis occasione data, vel accepta ab alio, peccet, non committit peccatum contra correptionem fraternam, seu contra misericordiam spiritualem, cui soli opponitur scandalum spirituale vt speciale, sed tantum committit peccatum contra eam virtutem, contra quam etiam peccaret, quamuis non peccaret occasione data, aut accepta ab alio: qui enim occasione data, aut accepta ab alio committit furtũ, qui eo ipsõ peccat peccato scandali passiui, tantum peccat peccato furti contra iustitiam, & non contra correptionem fraternam, & sic de alijs scandalis passiuis.

Supponimus secundò, scandalum actiuum esse peccatũ scandali, quoties in actu secundo, seu in effectu inducit ad peccatum, siue eiusdem, siue diuersę speciei, ab ipso scandalo actiuo, aut quando id probabiliter timetur: quod addimus, quia quando non inducit in actu secundo, aut quãdo id probabiliter non timetur, nõ est peccatũ scandali, etiam si aliâs sit peccatũ alterius speciei, v.g. Furti aut homicidij, ac proinde quando quis suo verbo, aut opere malo, vel habẽte apparentiam mali, non inducit in actu secundo ad peccatũ, nõ peccat peccato scandali actiui, quia non est causa peccati in alijs, quod est verum, etiam si in videntibus, vel in audientibus sequatur rumor, vel admiratio, vel suspicio, (quæ improprie, & latè dicuntur scandalum) aut quia non inducit actiue ad hæc, sed tantum habentur occasione sumpta ex verbo, aut ex opere illius, vel quia rumor, & suspicio, & admiratio sequutæ in alijs non sunt peccatum, quia in illis alijs est sufficiens fundamentum ad eas habendas.

Ita tamen scandalum actiuum in actu secundo est peccatum scandali, vt aliquando sit speciale peccatum scandali determinate oppositum correptioni fraternæ, quæ est actus virtutis misericordiæ spiritualis, & aliquando sit tantum scandalum generale nulli peculiari virtuti determinate oppositum, sed varijs modo huic, modo illi pro varietate peccatorum, ad quæ inducit; tunc est speciale peccatum scãdali, vt diximus tractatu de peccatis, disp. 2. diff. 3. quando

scandalizans medio illo inducit alterum ad peccandum, intendens directè, seu expressè, quod ille alter peccet, seu ruat spiritualiter, quia nisi id intendatur, scandalum actiuum, non opponitur determinate correptioni fraternæ, quia hæc directè tendit in emendationem, seu subleuationem miseriæ spiritualis proximi. Scandalum autem spirituale determinate opponitur correptioni fraternæ, quæ est actus misericordiæ spiritualis.

Qui ergo suo peccato, v.g. furti inducit in actu secundò, alterum ad peccatum furti intendens directè quod peccet, peccat triplici peccato: nempè proprio peccati furti, quod committit, & peccato furti quod alter committit, quod ipsis scandalizanti imputatur, quia suo exemplo est causa illius, & peccat peccato scandali specialis opposito misericordiæ spirituali: imò si id intendatur ex odio, seu ex displicentia personæ proximi etiam peccabit quarto, peccato odij contra beneuolentiam, seu beneficentiam erga proximum. Qui verò suo peccato, v.g. Furti inducit alterum ad peccatum furti, nō intēdēs directe quod peccet, peccat duplici peccato furti, proprio, & alieno proximi quod etiam est verum de inducente complicem ad peccatum, vt quādo quis inducit fœminam ad peccandum cum ipso, quod licet etiā tunc peccat peccato proprio fornicationis, & alieno fœminæ quam induxit, vt contra Vazq. diximus tract. de Eucharistia disp. 9 dif. 8. Qui verò suo verbo, aut opere non malo, habente tamen speciem mali, inducit alterum ad peccandū, tantum peccat peccato alieno proximi ad quod inducit, quando eum inducit absque intentione ruinæ spiritualis illius, & absque displicentia personæ illius.

Addimus scandalum actiuum, seu inductionem ad peccatum factam absque dicta intentione ruinæ, & absque odio (quæ est scandalum generale vt est scandalum, seu inductio esse mortalem, quando est ad mortale, & esse tantum venialem, quando tantum est ad veniale, siue ea inductio fiat medio veniali, siue medio mortali, siue verbo, aut opere non malo, quia scandalum, vt scandalum, seu inductio vt inductio, tantum est peccatum, quia est causa peccati, & consequenter, si est causa peccati mortalis erit mortalis,

quam-

quamuis fiat medio solo veniali, aut medio opere non malo: & si tantùm sit causa peccati venialis, erit tantùm venialis quamuis fiat medio peccato mortali: imo inductionem ad peccatum factam ex intentione ruinę spiritualis in proximo (quæ est scandalum speciale) quamuis sit mortalis, quãdo est ad mortale, non tamen esse mortalem quando tantùm est ad veniale, vt contra Vazquez 12. disp. 102. cap. 7. & contra Ægidium disp. 32. num. 51. docent communiter Doctores, & nos diximus tract. de peccatis disput 2. diffic. 3. quia quamuis veniale proximi ea intentione intentum, sit malum, omni temporali maius, tamen in suo genere mali spiritualis est leue. Imò est leuius temporali, quoad hoc: nempe quod facilius potest reparari, & minus vrget quam temporale.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm licitum sit suadere alteri minus malum, seu peccatum, vt omittat maius?

CONVENIVNT Doctores non esse licitum absq; labe scandali actiui suadere alteri absolute minus malum, seu peccatum, quia idest inducere ad peccatum quamuis minus quã aliud, & in illud moraliter influere. Est tamẽ difficultas, an sit licitum suadere minus peccatum non absolute, sed comparatiue ad maius, vt hoc maius, omittatur abeo, qui est paratus, seu determinatus ad maius illud committendum, verbi gratia, an Petro determinato ad adulterium possit licite suaderi simplex fornicatio, vt omittat adulterium quando aliter nequit ab adulterio dissuaderi.

Caietan. 22. q. 78. art. 4. Gabr. in 4. distinct. 15. q. 11. ar. 3. dub Abulens. in cap. 19. Reg. & Perei. in capit. 19. Genes. disp. 1. Castro p. 6. & Petr. Hurt. disp 173. section. 10. partem negatiuam tuentur, quia non sunt facienda mala, vt in-

de proueniant bona, vt dicitur ad Rom. 3. non enim est licitum assumere, nec consulere medium prauum ad obtinendum finem bonum, quia bonitas finis non purgat malitiam mali medij, non enim licet furari, nec id consulere ad dandam eleemosynam, ergo non est licitum assumere, nec suadere medium minus malum ad euitandum finem magis malum, quia medium minus malum, vere est malum.

Adrianus verò quodlib. 3. artic. 25. Vazq. de scandalo, artic. 1. Sanct. 7. de matrim. disput. 11. Moli. disput. 335. Basil. 5. de matrim. capit. 18. §. 5. Beca cap. 27. quæst. 4. & Bonac. tract. de peccatis, disput. 2. punct. 2. partem affirmatiuam tradunt (quam satis significat Augustin. lib. 2. de adulterinis coniugijs cap. 15.) & meritò: quia licitum est suadere ei, qui est paratus ad peccandum, quod minus peccet, sic in communi non assignando illi materiam minoris peccati quamuis præiudicetur ob meam suasionem electurum materiam minoris peccati, v.g. fornicationem simplicem, vt omittat adulterium, ergo etiam erit licitum assignare, & proponere ei simplicem fornicationem, vt omittat adulterium, & ad eam suadere, consequētia patet, quia moraliter in idem incidit suadere ad minus peccatum non assignata materia, & ad idem minus assignata materia sicut moraliter in idem incidit suadere ad peccandum non assignata materia, & suadere assignata materia, quod etiam est verum quamuis is cui suadetur minus peccatum, non cogitauerit de eo minori peccato, quia si licitum est suadere illi minus peccatum, sic in communi quamuis præuideatur eum electurum minorem materiam, de qua non cogitabat, etiam erit licitum suadere ei minus peccatum assignata illi materia de qua non cogitabat.

Ratio autem â priori huius nostræ conclusionis est, quia dicta suasio moraliter non tendit formaliter ad ipsum peccatum minus, sed ad omissionem excessus, & maioritatis alterius peccati maioris: est tamen prudenter, & paulatim procedendum, ita vt primo dissuadeatur peccatum absolute (si est spes aliqua id obtinendi) quod si id obtineri nequeat, & necessarium iudicetur, ad ma-

ius

ius vitandum, ei ſuadeatur peccatum minus.

Sed quamuis determinato ad peccatum maius, poſsit ſuaderi minus, vt omittat illud maius, non tamen ei qui non eſt determinatus, quamuis certo ſciatur eum commiſſurum illud maius; quia ſic eſſemus cauſa, vt is qui non eſt determinatus ad peccandum determinetur ad id.

Ad rationem ergo aduerſariorum reſpondemus quod quamuis nunquam ſint facienda mala, vt inde proueniant bona, nec eligendum ſit malum medium ad obtinendum finem, alias bonum, nec ea ſint abſolute ſuadenda, & ideo, qui eligit, & exequitur minus malum, quamuis id eligat, & exequatur, vt omittat maius, quando etiam maius poteſt omitti, peccat, & qui illud minus ſuadet abſolute, etiam peccat, quia moraliter ſuadet formaliter, & abſolute fieri, quod non poteſt fieri, tamen qui illud ſuadet ei qui eſt determinatus ad maius, quando hoc maius facturus eſt niſi efficiat minus, & ad id, vt non efficiat illud maius, tunc non ſuadet illud minus formaliter, vt malum, nec abſolute, ſed omiſsionem exceſſus, & maioritatis peccati, & quaſi ſub conditione, nempe ſub hac ſi determinatus es committere adulterium deſiſte ab adulterio, & ſufficiat ſibi ſimplex fornicatio.

Ex dictis deducimus licitum eſſe ſuadere latroni determinato ad maius furtum quod committat minus, vt omittat maius, & non ſolum reſpectu eiuſdem perſonæ, ſed etiã reſpectu diuerſæ, quia licitum eſt ſuadere minus peccatum, vt omittat maius. Imo addimus licitum eſſe eum iuuare ad committendum minus furtum reſpectu eiuſdem perſonæ, ſi aliter nequit diſſuaderi à maiori, non vero reſpectu perſonæ diuerſæ. Ratio prioris eſt, quia tunc non iuuat inuito Domino, ſed ipſo volente ſaltem interpretatiue, quia ſic iuuando proſpicit bonis *Domini*, & facit quod Dominus ipſe faceret ſi non poſſet aliter obuiare maiori furto: in quo diſtinguitur peccatum contra iuſtitiam à peccatis contra alias virtutes; nempè quod qnamuis licitum ſit ſuadere ad peccatum minus contra alias virtutes non tamen ad

illud

illud iuuare, seu cooperari, quia suasio ad minus peccatū contra alias virtutes moraliter non tendit formaliter, vt fiat minus, sed vt non fiat maius, cooperatio vero moraliter tendit formaliter etiam ad ipsum minus peccatum ad quod est cooperatio. In peccatis vero contra iustitiam respectu eiusdem personæ licitū est ad minus cooperari, quia quamuis cooperatio moraliter tendat formaliter ad ipsum minus peccatum, excusatur tamē quia non est iniuriosa proximo, sed potius fauorabilis, & ideo non est mala, quia si esset mala tantum esset mala malitia iniustitiæ, seu iniuriæ contra eum cui fit iniuria, tunc autem non est iniuriosa illi, sed potius fauorabilis. Hoc autem quod dicimus cooperari ad minus peccatum in materia iustitiæ quando aliter nequit obuiari maiori, esse licitum, tantum est verum respectu eorum bonorum quorum proximus est Dominus, & est potens libere, disponere de illis, quia in alijs bonis, vt in bonis vitæ quamuis sit licitum suadere ad minus peccatum, v.g. ad vulnerationem, vt omittat homicidium, non tamen est licitum cooperari ad minus, v.g. ad vulnerationem, quia sicut ipse non potest seipsum vulnerare, vt euittet homicidium sui ab altero committendum, ita nec voluntas ipsius potest alterum excusare à vulneratione ipsius, poterit tamen licite pati vulnerationem, ne occidatur, quia tunc ex rationabili causa eam patietur, quod vero quamuis sit licitum suadere ad minus furtum, vt euitetur maius respectu alterius diuersæ personæ ob rationem generalem dictam, & ob eam nequeat ille diuersus esse in eo rationabiliter inuitus, tamen cooperari ad illud minus furtum bonorum alterius personæ, nequit esse licitum, quia cooperatio etiam tendit formaliter ad ipsum minus furtum, & ab eo peccato nequit cooperans excusari voluntate aliqua præsumpta alterius domini rei raptæ minori illo furto, quia id nequit præsumi nisi in casu in quo dominus ille teneretur ex misericordia illam rem raptam offerre, vt contingeret si esset committendum magnum furtum bonorum pauperis, quod dimes oblatione illius rei raptæ minore furto teneretur ex misericordia impedire. Quamuis autem qui suadet, aut consulit absolute furtum, siue magnum, siue paruum teneatur

ad

ad restitutionem etiamsi non, primo loco, sed secundo: qui tamen suo exemplo inducit alterũ ad tale furtum nullomodo tenetur ad restitutionem, vt optimè Sãcius lib. 1. cap. 6. & Bonac. de peccatis, disput. 2. quæst. 4. p. 2. & Laym. lib. 2. tract. 3. cap. 13 quia est causa valde imperfecta, & mortuo modo influens, secus est qui suo consilio.

Ex dictis constat tunc esse licitum redimere iniquam vexationem, siue propriam, siue alienam præbendo vexanti occasionem, vel materiam peccati quoties ei præbemus occasionem, vel materiam minoris peccati, vt omittat maius vt contingit quando latroni volenti me, aut proximum occidere, offero illi pecuniam, & materiam furti ne occidat, quod est maius peccatum, & quando volenti eligere pernicioſum Prælatum, offero pecuniam ne eum eligat, quia hoc est maius peccatum. Et quando nolenti administrare baptismum, vel Sacramentum Pœnitentiæ ei, qui est in extrema necessitate quando deficit alius minister, offero pecuniam, vt id administret non tanquam pretium Sacramenti æstimando illud pecunia, sed ad mouendum media pecunia animum eius, qui in ea necessitate non vult Sacramentum administrare, vt illud administret, quia tunc tantum offero illi materiam minoris peccati nempè venditionis Sacramenti, quod est minus, quam in ea necessitate non baptizare, vel non audire confessionem: est autem minus non essentialiter, quia sic maius est peccatum simoniæ, quod est contra Religionem, quam non administrare Sacramentum, quod est contra misericordiam minorem virtutem Religione, sed accidentaliter, quia id non administrare est maximum peccatum contra misericordiam, dicta autem simonia non est maximum contra Religionem, qua ratione furari mille scuta est accidentaliter peius quam frustra iurare etiam si hoc sit essentialiter maius, vtpote perfectiori virtuti oppositum.

(?)

DIF-

DIFFICVLTAS IIII.

Vtrùm licitum sit inuitare ad actum peccati eum qui iam est determinatus ad illum?

CONVENIVNT Doctores non esse licitum, eum qui est determinatus, seu paratus ad actum, intrinsece, seu iure naturali malum, v.g. ad fornicationem, aut ad homicidium, inuitare ad illum, quamuis alias sit illum exequuturus: quia etiamsi ea inuitatione ille non moueatur, nec inducatur, inuitatio tamen illa ex se est ad actum intrinsece malum, quæ eo ipso nequit non esse mala.

Est tamen difficultas, an quando inuitatio est ad actum non intrinsece malum, sed tantum iure positiuo, vt ad cœnandum in die ieiunij sit licita.

Circa quam conueniunt Doctores non esse licitum eũ, qui est paratus ad eum actum, v.g. ad cœnandum, in die ieiunij inuitare ad cœnandum, si alias non erat cœnaturus, aut quia non habebat paratam cœnam, aut aliter, quia tunc inuitatio illa vere influit in actu, secundò in eum actum peccati, & est causa moralis illius, quia secluſa inuitatione illa, non fieret. Et ideo, qui eodem modo suaderet ad furtum, teneretur ad restitutionem.

Punctum ergo difficultatis in eo est, an licitum sit inuitare ad eum actum peccati, illum qui determinatus est ad illum, & alias eum est facturus (siue eundem numero, siue distinctum) v.g. eum qui determinatus est ad cœnandum, & alias etiam est cœnaturus quamuis non inuitetur.

Caiet. 2.2.q.147.art.4. Nauar. cap.21.nu.24. & Petr. Hurt. disp.173.nu.154. partem affirmatiuam tuentur, quæ potest exemplis probari: quia in primis in bello iusto licitum est offerre bellum hostibus iniustè bellantibus, & ad illud prouocare, & etiam prouocare ad singulare certamen, & tamen hostis iniustè bellans peccat bellando, & singulare certamen ineundo. Et etiam est licitum petere iuramentum

ab

ab eo qui iuraturus est per falsos Deos, in quo istè peccat. & mutuum petere ab eo, qui daturus est illud sub vsuris, & nō aliter in quo etiam iste peccat. Et martyres sæpè inuitarunt tyrannos, & carnifices, vt sibi tormenta inferrent, quæ inferre non poterant absque peccato, ergo licitum est inuitare ad actum peccati eum, qui determinatus est ad illum, siue eundem, siue numero distinctum.

Vazq. vero quæst. 43. art. 1. dub. 3. Turria. disp. 95. dub. 6. & Castro puncto 10. partem negatiuam tradunt, & meritò; quia inuitans ea inuitatione quantum est ex se conatur ad actum peccati in altero, siue eundem, siue numero distinctum; imò si ob inuitationē fit actus numero distinctus, non solum conabitur, sed vere erit causa moralis illius in actu 2. ab actu autem illo siue eodem, siue distincto nequit separari malitia supposito iure positiuo quo prohibitus est, ergo inuitare ad illum est illicitum, sicut illicitū est inuitare ad fornicationem paratum ad eam, & qui alias erat fornicaturus quamuis non inuitaretur; quod autem fornicatio sit iure naturali mala, & fractio ieiunij iure positiuo, nihil refert, quia supposito eo iure positiuo, etiam est inseparabilis malitia à fractione ieiunij, sicut a fornicatione.

Obseruandum tamen est, eum qui inuitat eum, qui paratus est ad occidendum aliquem, & qui eum aliàs occisurus est, non peccare, nec incurrere irregularitatem, si inuitatio cedat in bonum occidendi, vt si Petro occisuro hodie aliquem, suadeat, vt occidat cras, & occisuro in hoc loco, vt occidat in distantiore, vt mutatione loci, vita occidendi protrahatur; & eum qui inuitat eum, qui est paratus ad furandum, & qui aliàs furaturus est, non peccare, nec ad restitutionem teneri, si inuitatio cedat in bonum illius cui faciendum est furtum, vt si inuitatus ob inuitationem minus, aut tardius furetur. Imò hæc duo esse vera, quamuis inuitatio, aut suasio sit moralis causa distincti numero actus occidendi, & furandi ab eis actibus, quibus aliàs fieret occisio, & furtum, quia tunc inuitatio est ad minus peccatum, quamuis distinctum à maiore: eum tamen qui inuitat paratum ad homicidium, & qui alias etiam si non inuitetur occisurus est, quamuis

ob

ob inuitationem crudelius occidat, quàm aliàs occisurus erat, & occisione numero distincta, quamuis peccet ob rationem nostræ conclusionis, non tamen incurrere irregularitatem, si eandem personam occidat, quàm aliàs occisurus erat, quia ille sua inuitatione fuit impertinens ad occisionē illius, quia alias futura erat, quamuis fuerit pertinens, & conduxerit ad crudeliorem, & ad actum numero distinctū: & eum qui inuitat ad furtum respectu eiusdem personæ eum qui determinatus erat ad id, & aliàs illud erat facturus quāuis actu distincto, etiamsi peccet ob rationem nostræ conclusionis, non tamen teneri ad restitutionem, quia sua inuitatione fuit impertinens ad damnum, quia alias erat faciē dum, quamuis actu numero distincto; si tamen fuit causa maioris furti teneri ad restitutionem illius excessus, quamuis secundo tantum loco.

Ad fundamentum autem aduersariorum ab exemplis desumptum respondemus licitum esse indicere bellum, & illud representare, & offerre, quando necessarium est ad defensiònem, vel ad reparationem damnorū, vel ad vindictam, quod non est directè prouocare ad bellum iniustum, quamuis aduersarij inde indirectè, & quasi passiuè prouocentur ad illud, quod non est illicitum, quando adest legitima causa, vt adest ex parte iuste bellantium, qui directè tantum intendunt, vel defensionem, vel reparationem, vel vindictam iustam. Est tamen licitum militi iustè bellāti directè, & quasi actiuè prouocare ad singulare certamen, sed non semper, nisi quando, id est, prouocare ad minus peccatum, vt quando prouocatio ad illud fit loco totius belli, aut aliter de quo diximus dif. 23. & 29. Et ad exemplum petendi iuramentum ab eo, qui iuraturus est per falsos Deo, & petendi mutuum ab eo, qui daturus est illud sub vsura, Respondemus ea aliquando esse licita, vt statim dicemus dif. 7. quia id non est petere, quod est malum, sed quod est bonum, aut saltem indifferens: secus esset petere iuramentum per falsos Deos, & petere mutuum sub vsuris. Ad exemplum vero martyrum inuitantium tyrannos, vt sibi inferant tormenta. Respondemus id (quamuis ex obiecto illicitum) fecisse Martyres bona Fide, & zelo Religionis Christianæ, quia id absque

scrupulo

ſcrupulo iudicabant licitum ad oſtendendam ſuam conſtantiam in fide: & ideo excuſati ſunt à peccato.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm ob vitandum ſcandalum paſsiuum aliorum teneamur omittere opera præcepti?

SVPPONIMVS Scandalum actiuum, quo quis influit moraliter, vt alter peccet, ſiue verbis eũ inducendo (quãuis eis ſolum in actu 1. inducendo) ſicu facti, ſue exemplo eum alliciendo in actu 2. ad peccandum ſemper eſſe illicitum, ſiue alter ſcandalizetur ex malitia, ſiue ex infirmitate, ſiue ex ignorantia vincibili, quia nunquam eſt licitum verbis ſuadere ad peccatum, nec exemplo in illud in actu 2. moraliter influere.

Hoc ſuppoſito difficultas non eſt de ſcandalo paſsiuo, ſeu de peccato facto inductione alterius, ſeu facto occaſione data, quia iſtud ſemper eſt vitandum omittendo verbum, aut factum quod eſt cauſa illius, ſed de ſcandalo paſsiuo facto occaſione nõ data, ſed accepta ex opere bono præcepto alterius, nõn inducente ad illud, vt quando quis ſuo opere bono præcepti non habente ſpeciem mali non inducit, nec allicit alterum ad peccandum: alter tamen ex eo opere accipit occaſionem peccandi, ſeu quod idem eſt paſsiuè ſcandalizatur, an tunc ille teneatur ceſſare ab eo opere bono præcepti ad vitandum ſcandalum paſsiuum, ſeu peccatum proximi committendum occaſione accepta ex opere illo præcepti.

Innocentius in cap. *Niſi cum pridem*, & Cardinalis, & Imola in Clement. 1. de immunit. Eccleſiar. Decius in c. *Cum teneamur*, Couar. in Reg. peccatum, 1. p. relectionis à nu. 4. Soar. diſp. 10. ſect 3. & Petr. Hurt. diſp. 173. num. 264. docent opera præcepti poſitiui omittenda eſſe ob vitandum ſcandalum paſsiuum proximi adhuc ex malitia: quibus non pauci fauent, dum docent peccatum, aut circunſtantiam

aliàs necessario explicandam in confessione esse tacendam, ne inde confessarius accipiat occasionem peccandi. Probari autem potest. Primò, quia obligatio præcepti naturalis præferenda est obligationi præcepti positiui; obligatio autem vitandi scandalum passiuum proximi adhuc ex malitia, est obligatio præcepti naturalis, ergo ob vitandum scandalum passiuum proximi adhuc ex malitia, omittendum est præceptum positiuum. Secundò, quia vita spiritualis proximi excellentior est vita corporali, sed ob vitandam mortem corporalẽ proximi omittenda est obseruatio præcepti positiui, v. g. audiendi Missam, ergo multo melius ob vitãdã mortẽ spiritualẽ proximi, quæ incurritur scandalo passiuo graui.

Addit Couar. non solũ omittenda esse opera præcepti positiui ob vitandum scandalum passiuum proximi, sed etiam opera præceptorum naturalium, non eorũ, quæ sunt in Decalogo, quia opera contra hæc ita sunt mala, vt ob nullam circunstantiam possint fieri non mala, sed aliorum præceptorum, quæ non sunt in Decalogo, quamuis non semper, nisi quando obseruatio præcepti vitandi scandalum passiuum sit maioris obligationis, quam alius præcepti naturalis, quod non semper contingit.

S. Th. verò 2. 2. q. 43. ar. 7. Nauar. c. 14. n. 44. Vazq. q. 43. art. 7. & 8. dub. 1. Becan. cap. 27. q. 5. Turrian. disp. 96. dub. 1. Basilius lib. 5. de matrim. cap. 18. & Castro puncto 16. docent, & meritò, nullum opus præcepti adhuc positiui omittendum esse ob vitandum scandalum passiuum proximi, adhuc ex passione, & ex ignorantia, quod satis significat Innocent. 3. in capit. 2. de noui operis nuntiatione dum ait. *Quæ sine peccato mortali omitti non possunt, non sunt pro vitando scandalo dimittenda; nec ea debent pro vitando scandalo committi, quæ sine peccato mortali committi non possunt.* Quibus verbis Pontifex non obscurè significat non esse omittendũ opus alicuius præcepti ob vitandum scandalum passiuum adhuc ex malitia, quia Pontifex absolutè loquitur de scandalo absq; limitatione. Quod autẽ respondent Couar. Soar. & Hurtado; nempè Pontificem loqui de præceptis, quæ adhuc occurrente circunstantia scandali passiui obligant, effi-

cit

cit responsionem Pontificis friuolam, quia respõdere quod occurrente circunstantia scandali pasiui non sunt omittenda præcepta, quæ adhuc illa occurrente obligant, est friuolum: & Episcopus cui Pontifex respondebat non egebat ea responsione, quia id erat ipsi *Episcopo*, & omnibus notum. Põtifex ergo supradictis verbis voluit dicere, præcepta, quę alias non occurrente circunstantia scandali obligant, seruãda esse, quamuis ex eorũ obseruatione sumatur occasio scandali pasiui, seu peccati in proximo, quia eorum omissio nõ est medium accommodatum ad illud vitandum.

Ratio autem â priori huius nostræ doctrinæ, & conclusionis est, quia vitare peccatum, seu scandalum pasiuum in altero, tantum obligat secundario ex virtute contra quam est peccatum, seu scandalum illud vitãdum, & primario obligat ipsum, qui peccat, seu pasiuè scandalizatur, obseruare autem quodcumque aliud præceptum obligat primario ex virtute cuius est præceptum, primaria autem obligatio anteponenda est secundariæ: ergo ob vitandum scandalum pasiuum in proximo, quod tantum obligat secundario, non est omittendum opus alicuius alius præcepti adhuc affirmatiui primario obligantis, nisi forsan quando cum scandalo pasiuo adiungitur aliquod graue damnum temporale proximi de quo diffic. 7.

Ad primam ergo rationem aduersariorum negamus obligationem vitandi scandalum pasiuum proximi esse semper præcepti naturalis, quia aliquando tantum est positiui, tunc videlicet quando scandalum pasiuum, seu peccatum proximi est contra ius positiuum, quia non vitare scandalum est contra idem præceptum, & contra eandem virtutem, obligans secundario ad illud vitandum, & primario ipsum scandalizatum, ne scandalizetur, seu ne peccet contra præceptum illud, etiamsi hoc principium generaliter, nempè *vitandum est scandalum*, sit principium, & ius naturale non particulare, sed generale, seu commune determinandum aliquando per ius naturale, & aliquando per positiuum, sicut etiam hoc principium generaliter, nempè *obediendum est Superiori* est naturale, non particulare, sed commune determinandum per ius positiuum Superioris:

& quamuis esset semper naturale (sicut est aliquando) non obstat, quia obligatio primaria præcepti primario impositi obseruandi illud quamuis tantum positiuum anteponēda est obligationi secundariæ præcepti quamuis naturalis *vitandi scandalum passiuum proximi.*

Ad secundam concedimus vitam spiritualem esse excellentiorem vita corporali. Et etiam quod ad conseruandam vitam corporalem proximi omittendum sit præceptum positiuum, v. g. audiendi Missam, imò, & aliqua præcepta naturalia, v. g. soluendi aliquam quantitatem pecuniæ alias debitæ: negamus tamen omittendum esse præceptum aliquod ob vitandum scandalum passiuum proximi, & ob conseruandum vitam spiritualem illius, quæ eo scandalo voluntarie amittitur, quia ad hoc tantum obligat virtus contra quam est peccatum, seu scandalum passiuum vitandum (& non virtus misericordiæ, quia scandalizatus, scandalizatur, & vitam spiritualem amittit propria voluntate, imò, & reparabiliter) obligatio autem primaria obseruandi alia præcepta, anteponenda est obligationi secundariæ vitandi scandalum passiuum, & conseruandi vitam spiritualem: ob conseruandam vero vitam corporalem, destruendam ab ipso proximo (sicut eriam ab ipso amittitur vita spiritualis scandalo passiuo graui) occasione desumpta ex meo opere, quamuis tantum obliger ad cessandum ab eo opere ex virtute fortitudinis contra quam solam, & non contra misericordiam, peccat proximus ipse se occidendo, & tantum obliger secundario: nihilominus hæc obligatio quāuis secundaria anteponenda est obligationi primariæ præceptorū positiuorū, & aliquorū naturaliū (excepto sigilli confessionis) quia est damnū maximū, & irreparabile, de quo amplius dicemus difficult. 7. & quia ad conseruandā vitā corporalem innocētis, quæ amittenda est, nō sumpta occasione ex meo opere, teneor ex misericordia, quę strictius obligat ad id, & primario quam virtus Religionis ad audiendam Missam, & quam virtus iustitiæ ad solutionem alicuius non magnæ quantitatis pecuniæ debitæ, ideo etiam, & maiori ratione ob conseruandam vitam corporalem innocentis modo dicto amittendam, omittenda sunt

præ-

præcepta positiua; & etiam aliqua naturalia excepto dicto præcepto sigilli confessionis, quamuis admittatur hoc esse positiuum.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm ob vitandum scandalum passiuum aliorum teneamur omittere opera non præcepta?

SVPPONIMVS Opera mala; quamuis non inducentia actiuè in actu 2. ad peccandum, quando ex eis sumitur occasio scandali passiui esse ex obligatione omittenda, non solum ratione propriæ malitiæ, sed etiam ratione vitandi scandalum passiuum aliorum adhuc ex malitia: & etiam omittenda esse ex obligatione opera indifferentia, quamuis non inducentia actiuè in actu 2. ad peccandum, quando hæc nullam afferunt vtilitatem, nec spiritualem, nec temporalem, quia in neutro casu adest rationabilis causa, vt possit quis occupari cum scandalo passiuo alterius, nisi quando ex omissione operis, siue mali, siue indifferentis imminet graue aliquod damnum, quia si immineat, quamuis opus sit alias malum, & retineat propriam malitiam, & ob eam debeat omitti, non tamen debet ob vitandum passiuum aliorum, adhuc ex passione, & ex ignorantia, vt quando non mentienti imminet mors, aut aliud graue damnum, si non mentiatur, quamuis tunc mentiendo peccet venialiter contra veracitatem, non tamen peccat contra eam virtutem contra quam peccat scandalizatus, seu (quod idem est) illi non imputatur peccatum scandalizati adhuc factum ex passione, aut ex ignorantia, quia tunc ea virtus eo graui damno imminente non obligat ad omittēdum opus, ex quo in alio sequitur scandalum.

Hoc ergo supposito difficultas est de operibus non malis, vtilibus tamen, siue spiritualiter, qualia sunt opera bona, siue temporaliter, qualia sunt plura opera indifferentia,

an scilicet opera non mala, quæ non sunt in præcepto, sunt tamen vtilia, siue spiritualiter, siue temporaliter, sint ex obligatione omittenda ob vitandum scandalum passiuum alterius, quando ex omissione eorum operũ non imminet aliud damnum, quam carentia vtilitatis eorum. Quod addimus, quia si aliud graue damnum immineat non sunt ex obligatione omittenda ob vitandum scandalum passiuum aliorũ, adhuc ex passione, & ex ignorantia, quod certius est, quãi quando opera sunt mala, aut inutilia.

Circa difficultatem ergo conueniunt communiter Doctores ob vitandum scandalum passiuum aliorum ex malitia (& idem est ob scandalum passiuum ex ignorantia affectata) non esse ex obligatione omittendum opus non malum, quod sit vtile, siue spiritualiter, quale est opus bonum, siue temporaliter, quamuis tale opus non sit sub præcepto; esse tamen ex obligatione omittendum ob vitandum scandalum passiuum, seu peccatum aliorum ex passione, aut ex ignorantia non affectata, quamuis vincibili, aut saltem tale opus esse differendum, quousque scandalizandus admoneatur, vt non scandalizetur. Ita Vazq. dub. 2. Becanus cap. 27. q. 6. & Castro p. 16. & 17.

Ratio prioris partis est, quia ratio non exigit, vt cum priuatione nostræ vtilitatis vitemus peccatũ in malitiosè, aut æquiualenter peccaturo, seu scandalizando, alias sua malitia posset ea, quæ nobis sunt vtilia impedire, quod etiam credimus verum, quamuis opus habeat speciem mali, dummodo ratione apparentiæ mali non fiat scandalum actiuũ, seu non inducat actiuè in actu 2. ad peccatum.

Ratio posterioris partis est, quia ratio exigit, vt adhuc quando absque priuatione nostræ vtilitatis nequit fieri, omittamus opus ex quo sequitur in alio peccatum ex passione, aut ex ignorantia, & sic prospiciamus virtuti contra, quam futurum est peccatum, ne contra eam fiat, & consequenter prospicianus saluti spirituali proximi, & euitemus peccatum illud, quia aliquid est condonandum infirmitati, & ignorantiæ.

Addimus, *aut saltem differendum esse quousque scandalizandus admoneatur*, quia post prudentem admonitionẽ cen-

sendus

ſendus eſt peccare ex malitia dum non conſtet oppoſitum, quia ea admonitione ceſſabit ignorãtia, & cenſenda eſt ceſſare paſsio, quia poſt admonitionem, viriliter curandum eſt paſsionem compeſcere.

Ille autem dicitur ſcandalizari, ſeu peccare ex ignorãtia, qui peccat ignorans vincibiliter ignorantia non affectata, & ille dicitur peccare ex infirmitate, ſeu ex paſsione; qui peccat ex paſsione pręuia appetitus ſenſitiui ſollicitante ad peccatum: ille vero dicitur peccare ex malitia, qui peccat abſque ignorantia; & abſq; paſsione, de quo diximus tract. de peccatis, diſp. 5. dif. 14.

Ex dictis conſtat, mulierem quamuis ornatiſsimam iuxta conſuetudinem patriæ, & qualitatem perſonæ ſe offerentem aſpectui virorum, ſecluſa praua intentione, & ductam vtilitate aliqua ſaltem recreationis, quamuis prudenter, ſeu probabiliter timeat aliquem determinatè, v. g. Petrum ex aſpectu illius ſcandalizandum, ſeu peccaturum contra caſtitatem ex malitia, ipſam mulierem non peccare, ſeu (quod idem eſt) ipſi non imputari ſcandalum, ſeu peccatum ſcandalizati, quia nobis vtilia non ſunt omittenda ob ſcandalum paſsiuum alterius ex malitia. Quod etiam credit verũ Caſtro, quamuis mulier ſit ſuperfluè, & meretricié ornata, quamuis in ſic ſe ornando peccet venialiter: ſi vero prudenter, ſeu probabiliter timeat aliquem determinatè ex aſpectu ipſius ſcandalizandum, ſeu peccaturum eſſe ex paſsione, aut ex ignorantia, ipſam verè peccare, ſeu ipſi attribui peccatum ſic ſcandalizati (niſi quando ſe offert aſpectui illius, quia, id eſt, neceſſarium ad impletionem alicuius præcepti, vt quando exit domo ad audiendam Miſſam in die feſto) quia etiam nobis vtilia, quæ non ſunt ſub præcepto, omittenda ſunt ob vitandum ſcandalum paſsiuum alterius ex paſsione, aut ex ignorantia, aut ſaltem ſunt differenda, quouſque ſcandalizandus admoneatur.

Scandalum autem paſsiuum, ſeu peccatum alterius non præſumitur eſſe ex paſsione, nec ex ignorantia, ſed tantum ex malitia, quando in perſona ipſa non cognoſcitur, ſaltem probabiliter paſsio illa, aut ignorantia, quia neutra eſt alicui attribuenda, niſi ex aliquo prudenti

fundamento, quia vtraque non raro deficit, & abest: vnde quando scandalum passiuum, seu peccatum futurum non timetur in aliquo determinatè, sed in aliquo, vel in aliquibus indeterminatè, seu vagè, vt contingit quando mulier adest in Conuentibus, seu Congregationibus publicis, v.g. in foro dum in eo agitantur tauri non præsumitur peccatum futurum ex passione, nec ex ignorantia, sed ex malitia, quia passio, & ignorantia nequeunt cognosci nisi in persona determinata; ob scandalum autem passiuum ex malitia non sunt omittenda, opera nobis vtilia, ac proinde tunc mulier potest exire ad assistendum agitationi taurorum recreationis gratia, vel ad Templum, vel ad negotia.

Quæ in hac difficultate, & in præcedenti dicta sunt circa scandalum sumptum ex operibus alterius bonis indifferentibus, & malis, etiam dicendum est circa scandalum passiuum sumptum ex verbis, & ex tactibus honestis indifferentibus, & malis, quia eadem currit ratio.

DIFFICVLTAS VII.

Quando imputetur scandalum passiuum, quod etiam est damnificatio temporalis?

CONTINGIT Captiuos Christianos rem igare apud infideles; hi autē ex eo sumunt occasionem occidendi Christianos, & eos depredandi. Et contigit aliquem deponere pecunias apud vsurarium, qui eas mutuat sub vsuris: & deponere vinum apud tabernarium, qui illud vendit mixtum aqua: & sustinere scalam ascendenti ad furandum: & conferre gladium volenti se, aut alterum occidere.

Est ergo difficultas quando imputetur scandalum passiuum, quod est damnificatio temporalis, siue ipsius scandalizati, siue alius Tertij.

Circa quā cōueniunt DD. non requiri minorē causam ad excusandū eū ex cuius opere sequitur scādalū passiuū; quod est damnificatio temporalis, ac quando non est temporalis

dam-

damnificatio, vt patet, quia tunc non est minor damnificatio proximi, quia tunc non tantum est damnificatio spiritualis scandalizati, quæ inuenitur in omnibus scandalis passiuis, sed etiam damnificatio temporalis. Vnde quando scandalum passiuum, quod est temporalis damnificatio, sequitur ex malitia scandalizati, ad minus requiritur in eo, ex cuius opere sequitur, vt ipsi non imputetur, quod hoc opus ex quo sumitur, sit vtile operanti: & si sequitur ex passione, aut ex ignorantia scandalizati, ad minus requiritur in eo, ex cuius opere sequitur, vt ipsi non imputetur, quod opus ex quo sequitur sit sub præcepto.

Addidimus *non requiri minorem causam*, quia re vera maior requiritur, vt ille ex cuius opere sumitur dictum scandalum, excusetur, seu vt ipsi non imputetur, siue scandalum sit damnificatio temporalis ipsius scandalizati, siue alicuius tertij, quia tunc est maior damnificatio proximi, quia nõ tãtum est spiritualis, sed etiam temporalis, ratio autẽ exigit, vt difficilius permittatur maius damnũ, seu quod ad id permittendum requiratur maior causa, & proportionata damno imminenti proximo, ita vt maior requiratur, quando dãnum est notabiliter maius, aut quando non admittitur libere à proximo: ac proinde nõ sufficit sola carentia vtilitatis, sed etiam requiritur, quod ille ex cuius opere sumitur occasio dictæ dãnificationis grauis, nequeat ab eo desistere absque suo graui damno, quamuis non debeat esse tantũ, quanta est damnificatio vitanda, sed sufficiat multo minus, quod arbitrio prudentis discernendum est.

Vnde quando quis sumit occasionem se occidendi ex opere alicuius, nempè quia illi confert gladium, vt iste ex cuius opere collationis gladij alter sumit occasionem se occidendi excusetur â peccato temeritatis contra fortitudinem, quo peccat iste, qui se ipsum occidit, non sufficit quod collatio illa gladij sit ipsi conferenti vtilis, sed etiam requiritur, & sufficit, quod nequeat ab eo opere collationis desistere absque aliquo suo graui damno, siue in vita, siue in honore, siue in diuitijs, quamuis dictum scandalum se occidendi sequatur ex malitia scandalizati, vt aliquando quamuis rarissimè ex ea sequitur. Et quando quis ex venditione, aut

dona-

donatione vini sibi facta sumit occasionem se inebriandi, vt vendens, aut donans excusetur ä peccato inebrietatis quo peccat, qui inebriatur, requiritur quod nequeat ab eo opere venditionis, aut donationis desistere absque suo considerabili incommodo, nempè, aut quod ex omissione illius operis timeat iniuriam ab eo, cui non vendit, aut non donat, aut quod si sit Tabernarius timeat penuriam mentiū, quæ est illi grauiter molesta, vel aliud considerabile damnum, quia quando absque eis damnis possunt ab eis operibus desistere ratio dictat, quod desistant, vt prædicta damna spiritualia, & temporaralia euitentur in altero; (non verò quando absque eis nequeunt desistere) imò etiã dictat quod ob vitandum scandalum passiuum, quod est grauissima damnificatio alterius tertij, quamuis ab hoc libere admissa præsertim ex passione, aut ex ignorantia, ex quarum altera regulariter admittitur, omittatur quodcumque præceptum positiuum, adhuc diuinum (excepto sigilli confessionis, quamuis admittatur esse positiuum, quia hoc est maximi momenti) imò & aliqua naturalia non magni momenti, ex his, quæ non obligant omnino absoiutè, illa scilicet quorum obseruatio censeatur minoris momenti, quam omissio operis, ex quo sequitur dictum scandalum passiuum. Et similis causa requiritur, vt scandalum passiuū, quod est damnificatio temporalis alicuius tertij, eam libere admittentis, si damnificatio tertij, est similis damnificationi scandalizati non imputetur ei ex cuius opere sequitur.

Et maior requiritur causa, vt scandalum passiuum, quod est damnificatio tēporalis alicuius tertij innocētis, cui nullatenus est voluntaria ea damnificatio, vt non imputetur ei, ex cuius opere sumitur occasio, quam vt non imputetur scãdalum passiuum, quod est damnificatio temporalis ipsius scandalizati, aut alicuius tertij libere ab ipsis admissa, vt quando quis sumit occasionē occidendi innocentē ex opere alterius, nempè, quia illi confert gladium, quia ratio dictat, vt huic damnificationi obuietur, adhuc cum maiori incommodo, quam damnificationi libere admissæ, vt patet, vnde etiam requiritur, quod nequeat absq; graui incommodo ab eo opere desistere, imò & maiori quam ad obuiandum dam-

nifi-

nificationi libere admissæ, quod arbitrio prudentis discernẽdum est, & maiori ratione ob vitandum dictum scandalum, seu damnificationem omittenda sunt opera præcepti positiui, excepto dicto sigilli confessionis, & opera aliquorum præceptorum naturalium, quam ob vitandam damnificationem libere amissam à damnificato, vt patet; quod autem obligatio seruandi dicta præcepta positiua, & naturalia sit primaria, & obligatio omittendi opus, ex quo sumitur occasio scandali passiui, quod est damnificatio temporalis, siue libere admissa, siue non libere admissa, sit obligatio secundaria, siue ex iustitia, vt in exemplo occasionis tertij innocentis, & in exemplo deponentis pecunias apud vsurarium, qui eas mutuat sub vsuris, siue sit ex fortitudine, vt in exemplo occisionis, qua scandalizatus se ipsum occidit, siue ex liberalitate, vt quando quis ex opere alterius sumit sibi occasionẽ dilapidandi sua bona, non sufficit vt obligatio illa seruandi dicta præcepta quamuis sit primaria fit anteponẽda, & præualeat obligationibus secundarijs vitandi dicta scandala, quia damnificatio temporalis grauis, quæ est in dictis scandalis magis præponderat, vt dicta scandala vitentur, quam quod obligatio seruandi illa præcepta sit primaria, vt hæc obseruentur, non obstante dicta damnificatione; quod verò ille ex cuius opere sumitur scandalum illud, quod est tẽporalis damnificatio, teneatur tantũ & secundario ad desistendum ab eo opere, ex ea virtute contra quã scandalizatus peccat, & non ex misericordia quamuis damnificatio sit occisio, adhuc innocẽtis, sicut nec ipse scandalizatus damnificans, adhuc occidens innocentem tenetur ex misericordia ad non damnificandũ, probatur, quia obligatio misericordiæ supponit miseriam aliâs futurã, & nõ est circa miseriã futurã ex opere ipso, ex quo oritur tanquã ex occasione, nec ex opere quo immediatè fit, quia circa hanc tantũ est obligatio iustitiæ ad eam nõ causandã, nec indirectè, nec directè, sed tantũ circa eam aliâs causandã; qui enim occidit aliquẽ nõ peccat cõtra misericordiã, sed tãtũ cõtra iustitiã; peccat tamẽ alius, qui potens id impediri absq; graui damno, & non impedit.

Vnde captiui Christiani quoties prudenter timẽt occisionẽ sui, aut ablationẽ brahij, aut aliud graue damnum cor-

porale ab infidelibus, si non remigent, aut si non apponant scalas ad capiendam ciuitatem fidelium: aut si non porrigãt arma infidelibus possũt licitè remigare, & scalas apponere, & arma porrigere, quamuis inde timeant probabiliter cõmittenda esse latrocinia contra Christianos, imò & homicidia, quia ex vna parte quodlibet ex dictis faciendo non concurrunt directè, nec actiuè inducunt infideles ad ea homicidia, sed tantum efficiunt quid indifferens, quo facto infideles possunt bene, & male vti, ac proinde tunc tantum reperitur scadalum passiuum in infidelibus, absque actiuo in captiuis, & ex altera parte ob vitandum dictum scandalum passiuũ, quamuis sic damnificans temporaliter non debent desistere â dictis operibus, offerendo vitam, nec aliud graue damnum corporale patiendo, iuxta ea quæ dicta sunt: tenẽtur tamen ob vitandum periculum graue imminens Reipublicæ Christianæ, quia pro vitando tanto damno communi offerenda est, adhuc vita ex obligatione iustitiæ (contra quam scandalizantur, seu peccãt dicti infideles) quamuis obligatione secundaria, quæ quamuis secundaria præferenda est obligationi primariæ fortitudinis erga propriam vitam.

Imò quando timent mortem, vel ablationem brachij, vel aliud graue damnum corporale possunt ad latrocinia contra Christianos per se ipsos immediatè cooperari, ad latrocinia, videlicet eorum bonorum, quæ Domini eorum bonorum tenentur ex misericordia offerre ad vitandum damnum corporale, quod ipsi captiui timent, quia tunc Domini non possunt esse rationabiliter inuiti respectu eorum captiuorum: Quanta autem bona teneatur quis ex misericordia offerre ad succurrendum indigentiæ proximi dicimus disp. 5. tamen non possunt adhuc timore mortis per se ipsos immediatè iuuare infideles ad homicidia, imò, nec ad vulnera innocentium, vt patet.

Et vt ei qui deponit pecunias in graui quantitate apud vsurarium, qui eas mutuat sub vsuris non imputetur peccatum vsuræ, vsurarij non sufficit sola vtilitas depositionis, sed requiritur timor amittendi grauem partem pecuniæ, si non deponat illas apud vsurarium, vel timor alius grauis damni, & sufficit quod sit minor, & multo quam iniustitia vsu-

ræ facta accipienti eas pecunias sub vsuris.

Qui verò vinum in graui quantitate deponit apud Tabernarium vendentem illud, aqua mixtum peccat, & primario contra iustitiam, quia tunc Tabernarius quasi nomine deponentis vendit illud, quia illud adhuc est deponentis, & tenetur ad restitutionem non restituente Tabernario. Si verò vinum non sit depositum apud Tabernarium, sed ei venditum, si quando venditum fuit, vendens timebat probabiliter eum illud aquatum venditurum, peccat contra iustitiam secundario, (nisi alij non poterat vendere, & illud non vendere esset ei graue, & molestum) non tamen tenetur ad restitutionem, quia non peccat directè contra iustitiam.

Et qui sustinet scalam ascendenti ad furandum graue aliquid, quamuis absque prauo animo sustineat peccat contra iustitiam, & primario, & ad restitutionem tenetur, quamuis secundo loco, nisi ei immineat damnum aliquod, quamuis sufficiat multo minus, quam quod est in dicto furto, quia si non immineat dictum damnum censetur moraliter, & directè cooperari ad furtum.

De conferente gladium volenti se aut alterum occidere iam dictum est.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm licitum sit petere mutuum ab eo, qui exacturus est vsuras?

CONVENIVNT Doctores non esse licitum petere mutuum expressè sub vsuris, quamuis nobis vtile (nisi quando id sit minus peccatum, quam vexatio aliqua redimenda, iuxta ea quæ diximus diffic. 3. quia id est inuitare ad peccatum.

Est tamen difficultas, an sit licitum petere mutuum sub vsuris ab eo, quem probabiliter timemus eas exacturum?

Circa quam conueniunt communiter Doctores, licitum esse illud petere ab vsurario, seu à parato eas exigere. Ita S.

Tho.

Thom. & Caiet. 2.2.q.78. art. 4. & meritò, quia vsurarius, seu paratus ad vsuras exigendas, eas exigit ex malitia, quia eas exigit ex habitu, & consuetudine, re satis ab ipso considerata; ob vitandum autem scandalum passiuum, seu peccatum ex malitia, siue exigendi vsuras, siue quodcumque aliud non est omittendum opus nobis vtile, quale est opus petendi mutuum, quod est nobis temporaliter vtile, & obeandem rationem licitum est petere mutuum à non parato, quamuis probabiliter timeatur exacturus vsuras, quia dum non constet saltem probabiliter exigendas esse ex passione, aut ex ignorantia credendum est exigi ex malitia: tum quia regulariter sic exiguntur: tum etiam, quia nec passio, nec ignorantia attribuenda est ei, in quo non fit cognita, quia aliàs absque fundamento attribueretur.

Et ob eandem rationem licitum est petere iuramentũ ab infideli quamuis sciatur iuraturus per falsos Deos, quando testificatio illius sub iuramẽto est vtilis petenti, quia dũ opsitũ nõ constet credendũ est infidelẽ sic iurare ex malitia, aut ex æquiualente, quia sic iurat ex praua consuetudine, nõ tamen est licitũ priuatæ personæ petere iuramentũ, ab eo qui creditur falsò iuraturus adhuc ex malitia, quia tunc petitio iuramẽti nõ est vtilis, quia iuramentũ illud vtpotè falsum nequit esse vtile. Addimus: *Priuatæ personæ*: quia id petere est licitum iudici, vtpotè consentaneum suo officio, imò quãuis iuramentũ falsum sit futurũ ex passione, aut ex ignorantia, quia id est iudici sub obligatione ratione sui officij; quod autẽ est sub obligatione, seu sub præcepto nõ est omittendũ ob scandalũ passiuũ alterius adhuc ex passione, & ex ignorãtia.

Quæ autẽ diximus nẽpè licitum esse petere mutuũ ab eo quẽ credimus exacturũ vsuras: & petere iuramẽtũ ab eo quẽ credimus iuratarũ per falsos Deos, sunt vera, & intelligẽda, quando commodius, & facilius accipit mutuũ ab eo, & cõmodius, & facilius obtinet iuramẽtũ ab eo, quã ab alio, quia si æquè vtiliter, & facilè potest accipere mutuum ab alio nõ exacturo vsuras, & obtinere iuramentũ ab alio non iuraturo per falsos Deos, non potest ab illis prædictis licitè petere mutuũ, nec iuramentũ illud, quia tunc in omissione petitionis ab eis non deficit vtilitas aliqua, quia nõ minor inuenietur

tur in petitione ab alijs nõ scandalizãdis, seu nõ peccaturis.

Quæ dicta sunt circa dictas petitiones mutuj, & iuramẽti eodem modo sunt vera de petitione Sacramenti ab eo quem credimus illud illicitè administraturum, de quo, & de petitione Sacramenti ab excommunicato diximus tract. de Sacramentis in genere disp. 4. diff. 12.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm licitum sit vendere res indifferentes quando creditur emens eis abusurus?

RES Illæ in præsenti dicuntur indifferentes, quæ vsui bono; & malo possunt deseruire, vt idolum, fucus, agnus, vestis sacerdotalis idolorum, cibus prohibitus.

Supponimus in venditione harũ rerũ indifferentiũ nõ esse scandalũ actiuũ ex parte vendentis, quãuis vendat res destinatas ad prauũ vsum, vt si vendat idolũ, aut vestes sacerdotales idolorũ, quia qui has res vendit non inducit, seu inuitat actiuè sua venditione ad prauum vsum earũ, quamuis emens sumat sibi occasionem eis abutendi, ac proinde tunc tantum intercedere scandalum passiuum.

Hoc ergo supposito difficultas est, an venditio earũ rerũ indifferentiũ, quibus probaliter creditur emens malè vsurus licita sit, non obstante eo malo abusu, seu peccato, seu passiuo scandalo ementis?

Circa hanc difficultatẽ ob rationẽ sæpè repetitã existimamus licitũ esse quæcumq; indifferentia vendere adhuc ea, quæ magis destinãtur ad prauũ vsum, quamuis probabiliter, imò & certo credatur ementẽ esse eis abusurum, si eis est ex malitia abusurus, si venditio sit vendenti vtilis, vt ex se est; secus si nõ sit ei vtilis, vt contingit quãdo res illæ æquè commodè, & facilè possunt vẽdi alij, nõ scandalizando, & non esse licitũ illa vendere, si probabiliter credatur ementẽ esse illis abusurũ ex passione, aut ex ignorantia ob rationẽ sæpè repetitã, post factã tamen prudentẽ admonitionẽ ementi, abusus ipsius censebitur ex malitia, dum oppositũ non constet, quamuis ante monitionem probabiliter crederetur abusus futurus ex passione, aut ex ignorancia.

Vnde

Vnde licitum est vendere, aut locare domum meretricibus paratis ad fornicandum, quamuis ex domo sumant occasionem fornicandi (quando æque commodè, & facilè non potest alij non scandalizando vendi, aut locari) quia sic paratæ peccant ex malitia.

Addimus quamuis ex domo sumant occasionem fornicandi, quia raro ex domo quamuis aptiore ad fornicandum sumunt occasionem fornicandi, quia etiam fornicarentur in quacumque alia domo, in qua habitarent: & tunc quando scilicet ex ea domo, non sumunt occasionem fornicandi potest illis vendi, aut locari, quamuis æquè commodè, & facilè possit alijs vendi, aut locuti, quia tunc nec ex venditione, nec ex locatione scandalizantur.

Et ob rationem dictam ministrare materiam ex se indifferentem, & exhibere ministerium ex se indifferens ei, qui creditur abusurus, seu passiuè scandalizandus, non esse illicitum quando abest praua intentio, si ministratio materiæ, & exhibitio ministerij sit temporaliter vtilis ipsi ministranti, & exhibenti, si abusus est futurus ex malitia qualis præsumitur, dum non constat futurum esse ex passione, aut ex ignorantia.

Vnde ministrare cibaria in die ieiunij ei, qui frangit ieiunium, aut creditur fracturus, est licitum, quando illorum ministratio, siue ea donando, siue vendendo, siue ea mensæ ministrando, siue ea emendo illi, est vtilis ministranti, si abusus futurus est ex malitia, qualis præsumitur, dum oppositū non constet.

Famulus ergo, qui nequit facilè inuenire alium herum, & sibi tam vtilem, potest si in ipso non sit praua intentio, hero frangenti, aut fracturo ieiunium emere cibaria, & ea condire, & ea mensæ ministrare, quia ei est vtile hero famulari. Et eodem modo potest hero infideli emere idolum, quamuis herus sit eo abusurus; & eum ad templum Idolorum comitari, dum non constet herum abusurum esse prædictis ex passione, aut ex ignorantia.

Et idem quoad omnia dicendum est de exhibitione ministerij ex se indifferentis, quod scilicet sit licitæ, quamuis fiat ei, qui abusurus est eo ministerio, si exhibitio illa sit vti-

les

les ipſi exhibenti,& ille cui exhibetur miniſterium ſit abuſurus ex malitia, ex qua præſumitur abuſurus, dum non conſtet ex paſsione,aut ex ignorantia abuſurus.

Famulus ergo, qui nequit facilè inuenire herum, & tam vtilem ſibi, poteſt quando in eo non eſt praua intentio, & non conſtat herum ex paſsione, aut ignorantia abuſurum iuſſu ipſius heri, videre, quo fœmina aliqua eat,& vbi habitet:& ei munuſcula defferre, & herum comitari ad domum concubinæ, ſiue cauſa honoris, ſiue defenſionis heri; & ei pedem ſuſtinere ad ingrediendum per feneſtram domum concubinæ, & ei *Picturam* concubinæ emere, & ire ad concubinam, & ei dicere herus meus te vocat, & eam ad domum heri comitari, & ianuam ei aperire, & eis lectum ſternere, non tamen poteſt eam inuitare ad actum ipſum inhoneſtum cum hero, nec litteras heri eam ad id inuitantis deferre; ſicut nec litteras heri prouocantes aliquem ad duellum,nempè:*Conueniamus tali hora, & tali loco pugnaturi*:ſi famulus ſaltem probabiliter credat litteras eſſe inuitantes ad actum inhoneſtum, vel ad duellum (quod addimus, quia quamuis dubitet, an litteræ ſint inuitantes poſſe eas deferre affirmant Rebel.lib.2.1. par. quæſt.14.num. 5. & Caſtro puncto 11.) & etiam poſſe litteras aliter amatorias non inuitantes defferre, ſicut & litteras ad duellum pertinentes non inuitantes, nempè *Conueniamus tali hora, & tali loco*, non addendo *pugnaturi*, & poſſe ſimiles litteras iuſſu heri ſcribere. Poteſt autem miniſtrare,& exhibere omnia, quæ diximus poſſe,quia omnia ea ſunt ex ſe indifferentia, quæ poſſunt vſui bono, & malo deſeruire, & aliâs ſupponimus herum non abuſurum ex paſsione, nec ex ignorantia, & adeſt vtilitas famulo in ea adminiſtratione materiæ, & in ea exhibitione miniſterij, imò etiam incommoditas, ſi id recuſet, quia id ægre feret herus, vt credi poteſt.

Et eadem omnia poteſt filius ad mandatum parentis præſertim ſi ex omiſsione indignationem patris timeat:& eadem omnia,quę poſſunt famulus,&filius,etiam poteſt quilibet alius titulo alicuius conſiderabilis vtilitatis ſibi acreſcētis; & multo melius titulo vitandi aliquod graue incom-

modum, aut damnum. Imò ad hoc vitandum potest ea ministrare, aut exhibere, quamuis scandalizandus id sit effecturus ex passione, aut ex ignorantia.

Addimus licitum esse alicui præbere munera concubinæ iudicis, & ab ea petere, vt intercedat pro ipso apud iudicem, quando intercessione illius sperat fauorabilem sententiam, & ei non se offert alia via facilis obtinendi talem sententiam, quia id possunt concubinæ, & iudex licitè efficere, & possunt, si velint non se inijcere in periculum probabile turpis amoris.

Vnde qui prædicta præstant in materia luxuriæ, non dicuntur lenones, quando ea efficiunt absque animo iuuandi malam intentionem abusuri: in omnibus tamen prædictis, nempè in ministratione materiæ indifferentis, & in exhitione ministerij indifferentis, præsertim in materia luxuriæ cautè procedendum est, quia vix potest fieri absque peccato, saltem quando exhibitio ministerij proximè accedit ad peccatum, seu ad scandalum passiuum sumptum ex illa.

De prædictis in hac difficultate legendi sunt Nauarr. lib. 5 consil. in 2 editio, consil. 5. de pœnitentia circa finem. Azor lib. 12. cap. vltimo Sanc. lib. 1. sum. cap. 7. Pet. Nauar. lib. 3. cap. 4. dub. 4 Saa verbo, peccatum â num. 9. & Castro tract. 6. disp. 6. puncto 11.

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm qui publicè peccat, etiam peccet peccato scandalo?

CIRCA Hanc difficultatem conueniunt primò communiter DD. eum qui publicè peccat, suo tamen peccato publico, seu exemplo non inducit aliquem ad peccatum, nec id probabiliter, seu prudenter timet, vel quia illi coram quibus peccat sunt valde probi, vel quia iam supponuntur parati ad peccatum illud committendum, vel quia ipse qui

publi-

publicè peccat est adeo improbus, vt de eius exemplo nihil curetur, non peccare peccato scandali, ac proinde eam circunstantiam publicè peccandi, tunc non esse necessario explicandam in confessione: & etiam publicè peccantem non peccare peccato scandali, nec id teneri in confessione explicare quando non aduertit saltem scrupulosè, quod alij suo exemplo inducendi sunt. Consulentem verò peccatum, vel suadentem ad id verè peccare peccato scandali, quamuis non inducat effectiuè, seu in actu secundo ad peccatum, quia quātū est ex parte sua ad id moraliter excitat, perfecto, & viuo modo, & ideò id intētare dicitur; qui verò suo opere, seu exemplo non inducit in actu secundo non peccat, quia modo valde imperfecto, & mortuo excitat ad id, & ideò id non dicitur intentare.

Conueniunt secundo DD. eum qui publicè peccat, credens, aut timens probabiliter suo exemplo aliquos inducēdos esse effectiue, seu in actu secundo ad peccādum verè peccare peccato scandali, vel specialis, si intendat ruinam spiritualem illius, qui inducitur, vel generalis, si illam non intendat. Peccare autem tot peccatis ad quot timet probabiliter inducturus: quod si vt regulariter contingit non timeat, ad quot peccata in particulari sit inducturus, sed ad & plura, non potens numerum suo iudicio assignare, peccat omnibus illis peccatis ad quæ timor illus se extendit saltem confusè.

DIFFICVLTAS XI.

Vtrùm non auferens alteri occasionem peccandi: & eam illi offerens peccet peccato scandali?

SVPPONIMVS Non auferentem alteri occasionem peccandi, vel eam ei offerentem animo, vt verè peccet, non solum peccare ob eum prauum finem, sed etiam ei imputari peccatum, non solum illius qui scandalizatur, & cui oblata fuit occasio peccandi, sed etiam illius, cui non fuit

ablata occasio peccandi sicut etiam peccatum illius, qui nō corrigitur, quando est obligatio, imputatur non corrigenti.

Est tamen difficultas, an non aufferens alteri occasionē peccandi, & eam alteri offerens ex honesta aliqua causa, seu ex honesto fine peccet peccato scandali.

Circa prius Ioann. Sanc. disp. 35. Castro pun 5. & alij docent eum, qui non impedit peccatum alterius ex honesta causa, nempè vt in peccato deprehensus caueat in futurum, vel ex alia non peccare, & meritò: quia tunc non impediens peccatum, non intendit efficaciter illud, sed ad summum illud desiderat ineficaciter, & non peccatum ipsum pro formali, sed tantum pro materiali, actum videlicet ipsum non malitiam, nec ad illud præbet occasionem, sed tantum illud permittit illud non impediendo, ergo illud non impediens motus aliquo fine honesto, vel aliqua honesta causa, nō peccat, quia tunc nō est cur ei imputetur peccatū quod nō impedit.

Vnde custodes vinearum, vel nemorū qui se abscondunt, vt si transeuntes ingrediantur deprehensi, caueant infuturū ipsi, vel alij metuentes custodes esse absconditos, no peccāt. Et parentes vel heri non auferentes filijs, vel famulis occasionem furandi, vt de ipsorum fidelitate experimentum capiant, vel vt si fortè furentur, deprehensi caueant infuturū, non peccant, & maritus suspicans adulterium vxoris, qui se abscondit, vt si fortè inueniatur cum Amasio deprehensa, caueat in futurum non peccat; nec si secum assumat testes, vt si fortè inueniat eam cum Amasio possit ab ea deprehensa separari, vel diuortio, vel occasione licita.

Circa posterius Ioan. Sanc. vbi supra & alij, â quibus non dissentit, Castro docent licitum esse ex honesta causa offerre alteri occasionem peccandi medio indiferente, & meritò, quia offerre occasionem peccandi medio indifferente non est intrinsecè malum, ergo potest ex aliqua honesta causa excusari â peccato præsertim ex causa vtili ipsi offerenti, aut magis vtili scandalizando.

Vnde *Pater*, vel herus desiderans experimentum capere de fidelitate filij, vel famuli, aut eum cautum reddere in futurum, non peccat, relinquēdo clauem in arca, quasi oblitam, & apponendo ei nummos, vbi eos possit facilè inueni-

re

re,& furari:nec maritus peccat, qui eum vxore pasciscitur, vt Amasio eam ad adulterum solicitanti dicat, *Contenta sum vt venias hac nocte tali hora* (dum non addat *& commiscebimur vel æquialens*) vt si fortè veniat, deprehensus caueat in futurum, vel punitione, vel metu, vel alio medio licito: quia verba illa non sunt intrinsecè mala, sed indifferentia, ac proinde possunt honestari ex aliqua causa honesta. Addimus, dum non addat: *& commiscebimur, vel æquialens*: quia si hoc addat quamuis fictè verè peccat contra castitatem, quia ea verba sunt intrinsecè mala contra castitatem, vtpote inductiua ad peccatum contra ipsam.

FINIS.

MATRITI,

Ex Typographia Franciſci Ocampo,
Anno 1632.

INDEX.

DIPVTATIONVM, ET difficultatum, quæ in hoc volumine continentur.

TRACTATVS

De Fide, Pagina 1.

DISPVTATIO I.

De obiecto materiali Fidei diuina, pag. 2.

DIFFICVLTAS I.

Quod sit obiectum Fidei, pagina 2.

2 QVA Ratione Deus sit obiectum Fidei, pag. 4.

3 Quod, & quale sit obiectum materiale Fidei, pag. 4.

4 Vtrum obiecta materialia Fidei creuerint successu temporis, pag. 6.

5 Vtrum obiecta materialia Fidei conuenienter in symbolo tradantur, pag. 8.

DISPVT. II.

De obiecto formali Fidei.

DIFFICVLTAS I.

Quod sit obiectum formale Fidei, pagina 10.

2 QVÆ Includantur in obiecto formali Fidei.

3 Vtrum quæcumque reuelatio Dei, siue publica, siue priuata, quantum est ex se sufficiat ad obiectum formale Fidei, pag. 16.

4 Vtrum reuelatio mediata, seu virtualis sufficiat ad obiectum formale Fidei, pag. 19,

5 Vtrum reuelatio falso existimata sufficiat quantũ est ex parte reuelationis a obiectum formale Fidei, pag. 25.

6 Vtrum posſit eſſe euidentia reuelationis Dei non viſo Deo ipſo reuelante, pag. 27.
7 Vtrum neceſſarium ſit, quod reuelatio ſit in ſe obſcura, vt ſit obiectum formale Fidei, pag. 28.
8 Vtrum neceſſarium ſit, quod reuelatio ſit in ſe euidens, vt ſit obiectum formale Fidei, pag. 31.
9 Vtrum reuelatio diuina poſsit eſſe obiectum formale Fidei circa obiectum intuitiue viſum, pag. 33.
10 Vtrum reuelatio poſsit eſſe obiectum formale Fidei circa obiectum abſtractiuè ſcitum, pag. 36.
11 Vtrum Deus aliquando dixerit falſum, ſeu mentitus fuerit, pag. 39.
12 Vtrum Deus poſsit dicere falſum, ſeu mentiri, pag. 41.

DISPVT. III.
De conditione requiſita ad actum Fidei diuinæ.

DIFFICVLTAS I.
Vtrum ad actum Fidei diuinæ præ requiratur externa propoſitio reuelationis rerum credendarum, pag. 15.

2 VTrum ad actum Fidei diuinæ prærequiſita, ſit aliqua Fides humana reuelationis diuinæ rerum credendarum, pag. 47.
3 Vtrum ad actum Fidei diuinæ præ requiratur Fides humana reuelationis diuinæ habita obteſtimonium Eccleſiæ, pag. 49.
4 Vtrum res noſtræ Fidei ſint euidenter credibiles prudenter, pag. 53.

DISPVT. IIII.
De actu Fidei diuinæ.

DIFFICVLTAS I.
Quid ſit actus Fidei diuinæ, pag. 59.

2 Vtrum actus Fidei diuinæ recte definiatur, quod ſit ſubſtãtia rerum ſperandarum, argumentum non apparentiũ, pag. 61.
3 Vtrum actus Fidei diuinæ fiat compoſitione, & diuiſione, pag. 63.
4 Vtrum actus Fidei diuinæ generetur per diſcurſum, p. 66.
5 Vtrum actus Fidei diuinæ ſit ſupernaturalis in ſua ſubſtantia, pag. 69.
6 Qualis ſit actus Fei diuinæ, pa. 72.
7 Vtrum actus Fdei diuinæ pendeat â voluntate, pag. 75.
8 Vtrum affectus credendi Fide diuina ſit naturalis, an ſupernaturalis in ſua ſubſtantia, pag. 80.

9 Quomodo resoluatur actus Fidei, pag. 86.

DISPVT. V.
De habitu Fidei diuinæ.

DIFFICVLTAS I.
Vtrum sit habitus Fidei à solo Deo per se infusus, & in quo subiecto, pag. 88.

2 Vtrũ habitus Fidei sit vnus, an multiplex? pag. 90.
3 Vtrũ absq; habitu Fidei infuso possit de potentia Dei absoluta elici actus Fidei? p. 92.
4 Vtrum primus actus Fidei diuinæ eliciatur ab habitu infuso pag. 94.
5 Vtrũ habitus infusus Fidei sit, virtus intelectualis? d. 97.
6 Vtrum habitus Fidei diuinę infundatur aliquando absque Charitate? p. 98.
7 Quibus actibus intẽdatur habitus infusus Fidei, pag. 100.
8 Vtrum habitus infusus Fidei aliquando amittatur, & quo amittatur? pag. 102.
9 Quomodo habitus infusus Fidei amittatur peccato mortali infidelitatis, pag. 104.
10 Vtrum in voluntate sit habitus ad affectum requisitum immediate ad credendum Fide diuina? pag. 106.

DISPVT. VI.
De Fide diuina, tàm pro actu, quàm pro actu.

DIFFICVLTAS I.
Vtrum Fides diuina sit speculatiua, an practica? pag. 110.

2 Vtrũ Fides diuina possit esse maior in vno quam in alio, pag. 112.
3 Vtrum Fides diuina possit manere sine Charitate, p. 113.
4 *Vtrum* Charitas sit forma Fidei diuinæ, pag. 115.
5 *Vtrum* Fides diuina formata, & informis sit eadẽ Fides. pag. 116.
6 *Vtrũ* possit quis certo cognoscere se habere Fidem diuinã, pag. 118.

DISPVT. VII.
De habentibus Fidem diuinam.

DIFFICVLTAS I.
Vtrum primus parens habuerit Fidem diuinam? pag. 121.

2 Vtrum Angeli habuerint Fidem diuinam? pag. 124.
3 *Vtrum* Beati habeant Fidem diuinam? pag. 125.
4 *Vtrum* damnati habeant Fidẽ diuinam, pag. 126.
5 *Vtrum* hæritici habeam Fidem diuinam, pag. 128.

DISPVT. VIII.
De necessitate actus Fidei diuinæ ad salutem.

DIF-

DIFFICVLTAS I.
Quid, & quotuplex sit necessitas ad salutem, pag. 131.

2 VTrum actus Fidei diuinæ sit necessarius, vt medium ad iustitificationem, pag. 133.
3 *V*trum ad iustificationē necessarius sit actus explicitus Fidei diuinæ Dei tanquam obiecti, pag. 137.
4 *V*trū ad iustificationē sit necessarius actus explicitus Fidei Dei remuneratoris remuneratione supernaturali, pa. 139.
5 Vtrùm actus Fidei Christi, tanquam obiecti fuerit omni tēpore medium necessarium ad iustificationem, pag. 142.
6 Vtrum ante aduentum Christi Fides explicita ipsius fuerit necessaria, vt medium ad iustificationem, pag. 142.
7 Vtrum in lege Euangelica Fides explicita Christi sit medium necessarium ad iustificationem, pag. 144.
8 Vtrùm Fides explicita Christi in lege Euangelica sit iusto medium necessariū ad ingressum gloriæ, pag. 147.
9 Vtrum Fides explicita misterij Trinitatis sit medium necessariū ad iustificationē, p. 149.
10 Quorum obiectorum Fides sit necessaria omnibus fidelibus necessitate præcepti, p. 151.
11 Quale sit præceptum affirmativum Fidei, & pro quo tempore obliget, pag. 154.
12 Vtrum inter Fideles possit esse ignorantia inuincibilis articulorum, quos tenentur credere, pag. 157.

DISPVTATIO IX.
De actu externo Fidei.

DIFFICVLTAS. I.
Vtrum confessio Fidei sit actus virtutis Fidei, pag. 159.

2 VTrum negatio Fidei prohibita sit, pag. 160
3 Vtrum confessio exterior Fidei sit sub præcepto, & pro quo tempore, pag. 162.
4 *V*trum quando quis in odium Fidei interrogatur, an sit Christianus, vel quid simile teneatur affirmatiue respōdere, p. 165.
5 *V*trum tempore persecutionis liceat Christiano fugere, ne cogatur fidem negare, vel ne puniatur, pag. 167.
6 Vtrum licitum sit factis, aut rebus falsam sectam simulare, pag. 169.
7 *V*trum ad occultandam Fidem nequis ob eam graue damnū patiatur, liceat vti indumento, vel alio signo proprio infidelium, pag. 271.
8 *V*trum licitum sit ex rationabili causa vti indumentis infidelium institutis ad ipsorum dis-

tin-

tinctionem, pag. 173.
9 Vtrum licitum sit ex rationabili causa vti in aumentis infidelium, quibus teguntur, etiam institutis, non tantum ad dignoscendam, sed etiam ad protestandam, seu honorandam falsam sectam, pag. 175.
10 Vtrum licitũ sit Catholico vesci carne diebus prohibitis, quãdo non vescendo deprehenditur Catholicus cum periculo graui, pag. 177.

DISPVTATIO. X.
De infidelitate.
DIFFICVLTAS. I.
Vtrùm infidelitas sit peccatum, pag. 178.

2 VTrum infidelitas sit peccatum maximum, pag. 179.
3 Quot modis contingat infidelitas, pag. 180.
4 Vtrum infidelitas positiua sufficienter diuidatur, in paganismum, Iudaismum, & Hæresim, & quomodo, pag. 184.
5 Quid sit Hæresis, pag. 186.
6 Quæ sint censuræ, & qui gradus propositionũ, quæ aliquomodo opponuntur Fidei, p. 193.
7 Vtrum communicatio cum infidelibus in humano conuictu sit licita, pag. 197.
8 Vtrum licitum sit compellere infideles ad suscipiendam Fidem, pag. 199.
9 Vtrum licitum sit cogere infideles vt suos ritus deserant, pagin. 202.
10 Vtrum non Baptizati præcise, quia infideles sunt possint ab Ecclesia priuari dominio, quod in Baptizatos habent, pag. 205.
11 Vtrum licitum sit de rebus Fidei cum infidelibus disputare, pag. 207.
12 Vtrum licitum sit libros infidelium legere, pag. 209.
13 Vtrum in Ecclesia sit potestas ad puniendos hæreticos baptizatos, pag. 211.
14 Quæ pœnæ statutæ sint contra Hæreticos, pag. 214.

DISPVTATIO. XI.
De regulis Fidei.

DIFFICVLTAS I.
Vtrùm omnes Fideles Baptizati pertineant ad Ecclesiam militantem tanquam membra illius, pag. 218.

2 VTrum Fideles non baptizati pertineant ad Ecclesiam militantem, tãquam mẽbra illius, pag. 220.
3 Vtrum infideles baptizati pertineant ad Ecclesiam tanquam membra illius, pag. 222.
4 Vtrum schismatici non Hæretici pertineant ad Ecclesiam Romanam, vt mẽbra illius, pag. 224.

5 *V*trum excommunicati pertineant ad Eccleſiam tanquam membra illius, pag. 225.
6 Quando ceperit *E*cclesia militans, & an ſit perpetuo duratura, pag. 226.
7 *V*trum *E*cclesia militans ſit viſibilis, pag. 228.
8 Quibus notis, ſeu proprietatibus gaudeat *E*cclesia Chriſtiana, pag. 230.
9 *V*trum in terris ſit aliquod viſibile caput totius Eccleſiæ militantis, pag. 232.
10 *V*trum Romanus Pontifex ſuccedat Petro in Epiſcopatu, & in *E*cclesiæ primatu, p. 234.
11 *V*trum *E*piſcopus Romanus ſuccedat Petro in primatu Eccleſiæ, ex inſtitutione Chriſti, pag 236.
12 Ad quos pertineat electio ſummi *P*ontificis, pag. 237.
13 *V*trum ſit de fide hunc numero Papam, v. g. *V*rbanum Octauũ eſſe verum *P*apam, pag. 240.
14 Ad quos pertineat depoſitio *S*ummi Pontificis, pag. 243.
15 *V*trum *S*ummus Pontifex errare poſsit in tradenda doctrina fidei, & morum, pag. 246.
16 Quid, & quotuplex ſit Concilium, pag. 250.
17 Ad quos pertineat cõgregare concilia, & in eis præſidere, pag. 251.
18 Qui pertineat ad Conciliũ generale, & connocandi ſint ad ipſum, pag. 252.
19 *V*trum Concilium generale errare poſsit in tradendado ctrina fidei, & morum, pag. 254.
20 Quid, & quotuplex ſit traditio, pag. 256.
21 *V*trum *ſit* traditio aliqua diuina, pag 258.
22 Qui libri ſunt ſacri, pag. 259.
23 Quanta *ſit* authoritas editionis vulgatæ, pag. 259.
24 Quantæ authoritatis *ſint* aliæ ediriones *S*criptur*ę* ſacr*ę*, pagin. 260.

TRACTATVS

De Spe.

DISPVTATIO I.

De natura, ſeu eſſentia Spei.

Dlficulas 1. *V*trum ſperare *ſit* actus intellectus, an voluntatis, pag. 261.
2 In quo actu voluntatis conſiſtat actus *S*pei, pag. 262.
3 Quod *ſit* obiectum *S*pei, p. 266.

4 Quod sit obiectū materiale Spei Theologicæ, p.267.
5 Vtrum Beatitudo, & alia bona alterius personæ sint obiectū materiale actus Spei Theologicæ, p.271.
6 Quod sit motiuum, seu obiectū formale Spei Theologicæ, pagin.274.
7 Vtrum licitum sit sperare à creatura beatitudinem, & alia dona gratiæ, p.276.
8 Vtrum actus Spei Theologicæ sit supernaturalis in sua substantia, p.277.
9 Vtrum actus Spei Theologicæ sit certus, p.278.
10 Vtrū sit aliquis ordo inter Fidē, Spē, & Charitatem, p.280.
11 In quibus sit Spes, p.283.

DISPVT. II.
De Timore Desperatione, & Præsumptione.

DIFFICVLTAS. I.
Quid, & quotuplex sit timor, p.288.

2 A Quo habitu eliciatur timor, pag.290.
3 Vtrum in Beatis maneat timor, pag.293.
4 Quid sit Desperatio, p.294.
5 Quid sit Præsumptio, p.296.
6 Vtrum sit præceptū Spei Theologicæ, p.298.
7 Vtrum ille cui facta est reuelatio suæ dānationis, teneatur præcepto affirmatiuo sperandi, & negatiuo non desperandi, pag.300.

TRACTATVS.
De Charitate.

DISPVTATIO I.
De actu Charitatis.

DIFFICVLTAS. I.
Ad quam potentiam pertineat actus Charitatis Theologicæ, p 303.

2 VTrū actus Charitatis Theologicæ in Patria, & in via sint eiusdem speciei, pagina 304.
3 Vtrum actus Charitatis Theologicæ in patria sit intensior, quam in via, p.305.
4 Vtrum dilectio Dei propter se, & dilectio proximi propter Deum sint eiusdem speciei, pag.310.
5 In quo consistat dilectionē Dei esse super omnia, pag.311.
6 Vtrum actus Charitatis, seu beneuolentiæ erga Deum sit amor amicitiæ erga ipsum, pag.313.
7 Vtrum actus Charitatis sit supernaturalis in sua substan-

tia,

tia, pag. 316.
7 Vtrum actus Charitatis sit supernaturalis in sua substantia, pag. 316.
8 Vtrum primus actus Charitatis procedat efficienter ab habitu Charitatis, pag. 319.

DISPVTATIO. II.
De Habitu Charitatis.

DIFFICVLTAS. I.
Vtrum sit habitus Charitatis à solo Deo per se infusus, & in quo subiecto, pag. 326.

2 VTrum habitus infusus charitatis sit virtus, p. 329.
3 Vtrum habitus charitatis sit virtus omnium perfectissima, pag. 331.
4 Vtrum habitus, & virtus Charitatis sit forma aliarum virtutum eis tribuens esse virtutis, pag. 333.
5 Vtrum habitus infusus Charitatis re ipsa distinguatur a gratia habituali iustificante, pag. 335.
6 Vtrum habitus infusus charitatis possit augeri, pag. 338.
7 Quibus actibus Charitatis augeatur habitus infusus Charitatis, pag. 339.
8 Vtrum habitus infusus charitatis intendatur medijs actibus charitatis intensioribus secundum totam latitudinem intensionis ipsorum actuum, an tantum secundum excessum, quo excedunt habitum, pag. 343.
9 Vtrum intensio habitus infusi charitatis, quæ confertur ob actus ipsius charitatis, statim conferatur, pag. 345.
10 Vtrum habitus infusus charitatis possit a Deo augeri in infinitum, pag. 347.
11 Vtrũ habitui infuso charitatis præfixus sit aliquis terminus in hac vita ex lege Dei, p 349
12 Vtrum habitus infusus charitatis possit minui quoad intẽsionem, pag. 350.
13 Vtrum habitus infusus charitatis possit amitti, p. 353.
14 Vtrum habitus infusus charitatis destruatur quolibet peccato mortali, pag 354.
15 Quomodo habitus infusus charitatis expellatur per peccatum mortale, pag. 355.
16 Vtrum peccatum mortale possit esse simul cum habitu charitatis, & gratiæ, pag. 357.

DISPVTATIO. III.
De obiecto Charitatis.

DIFFICVLTAS. I.
Quod sit obiectum formale Charitatis, pag. 360.

2 QVod sit obiectum materiale Charitatis Theologicæ, pag 362.

DISPVT. IIII.
De præceptis Charitatis.

DIFFICVLTAS I.
Vtrum sit speciale præceptum diligendi Deum, pag. 365.

2 Vtrum sit speciale præceptũ diligendi proximum, pag. 370.
3 Vtrum præcepto diligendi proximum etiam teneamur diligere inimicos, pag. 374.
4 Vtrum dilectio amici sit melior & magis meritoria, quam inimici, pag. 377.

DISPVT. V.
De eleemosyna.

DIFFICVLTAS I.
Quid sit misericordia, pag. 379.

2 QVid & quotuplex sit eleemosyna, pag. 382.
3 Quo modo eleemosyna operetur remissionem peccatorum, & reliquos alios suos effectus spirituales, pag. 383.
4 Vtrum eleemosyna corporalis sit sub præcepto? pag. 384.
5 Vtrum præceptum eleemosynę obliget in communibus necessitatibus, pag. 385.
6 Vtrum præceptum eleemosynę obliget in grauibus necessitatibus, pag. 387.
7 Vtrum præceptum eleemosynæ obliget in extrema necessitate, pag. 390.
8 Vtrum præceptum eleemosynæ non tantum oriatur ex misericordia, sed etiam ex iustitia pag. 392.
9 Vtrum quando est obligatio eleemosynæ sit gratis danda, pag. 394.
10 Vtrum pauper, cui est obligatio succurrendi, possit alienum, quo indiget, arripere, pag. 395.
11 Vtrum pauper, cui est obligatio subueniendi, quirem alienam ad sibi subueniendum arripuit, & consumpsit, teneatur illam restituere, si ad pinguiorem fortunã veniat, pag. 399.
12 Vtrum debitor extreme, & simpliciter indigens re, quã debet, teneatur eam soluere creditori ea etiam extreme, & simpliciter indigenti, p. 400.
13 Ex quibus bonis eleemosyna possit licite fieri, pag. 403.
14 Qui possint eleemosynam licite facere, pag. 405.
15 Quibus danda est eleemosyna, pag. 409.
16 Vtrum pauperibus, qui laborare potentes non laborant, sit danda eleemosyna, p. 411
17 Vtrum eleemosyna danda sit omnibus alijs verè pauperibus, pag. 413.
18 Quo modo Ecclesiastici Bene-

ficiarij teneantur ad eleemosynam, pag. 415.

DISPVT. VI.
De correptione fraterna.

DIFFICVLTAS I.
Quid sit correptio fraterna? pag. 420.

2 ADquam virtutem pertineat correptio fraterna, p. 421.
3 Vtrum sit præceptum correptionis fraternæ, & quale sit, pag. 422.
4 Vtrum solum peccatum, quod imminet in futurum, aut ex quo aliud imminet sit materia præcepti correptionis fraternæ, pag. 425.
5 Vtrum solum peccatum mortale sit materia præcepti correptionis fraternæ, pag 427.
6 *V*trum peccatum, quod quis ignoranter inuincibiliter committit, sit materia præcepti correptionis fraternæ, pag. 429.
7 Quæ conditiones requirantur, & sufficiant, vt obliget correptio fraterna, pag. 430.
8 *V*trum correptio obliget etiã cum graui detrimento corripientis, pag. 433.
9 *V*trum correptio fraterna strictius obliget Prælatos Ecclesiasticos, pag. 435.
10 Qui obligentur ad corripiendum, pag. 437.
11 Qui sint corripiendi ex obligatione, pag. 440.
12 Quo ordine facienda sit correptio fraterna, 441.
13 *V*trum prædictus ordo correptionis fraternæ sit â Christo Matth. 18. præceptus, p. 445.

DISPVT. VII.
De ordine in præceptis Charitatis, & misericordiæ seruando circa personas.

DIFFICVLTAS I.
Vtrum homo teneatur magis diligere Deum quam se ipsum, & proximum, pag. 448.

2 VTrum homo teneatur se ipsum magis diligere, quam proximum in bonis spiritualibus, p. 452.
3 *V*trum homo teneatur se ipsum magis appretiatiue diligere, quam proximum in bonis tẽporalibus, p. 455.
4 *V*trum homo teneatur magis appretiatiue diligere proximum in bonis spiritualibus, quam se ipsum in temporalibus, pag. 460.
5 *V*trum homo teneatur aliquando magis appretiatiue diligere vnum proximum, quam alterum, pag. 461.
6 *V*trum supradictus ordo Prælationis in dilectione sit ex in-

clinatione voluntatis, p. 460.

DISPVTATIO. VIII.
De odio, & ei similibus.

DIFFICVLTAS. I.
Quid, & quotuplex sit odium, pagin. 470.

2 VTrũ Deus possit odio haberi, pag. 472
3 Vtrum odium Dei sit maximũ peccatum, pag. 473.
4 Vtrum odium proximi sit peccatum, pag. 475.
5 Quid sit accedia, & quale, & quantum peccatum, pag. 477.
6 Quid sit inuidia, & quale, & quãtum peccatum, pag. 478.

DISPVTATIO. IX.
De peccatis pací oppositis.

DIFFICVMTAS. I.
Quid sit discordia, & contentio, & an sint peccata, pag. 480.

2 Quid sit schisma, & quale, & quantum peccatum, & quibus pœnis puniatur, pag. 481.
3 Vtrum bellum sit licitum, pagin. 484.
4 Apud quem sit authoritas indicendi bellum, pag. 487.
5 Quæ causæ requirantur, vt Princeps possit inferre licite bellum alteri, pag. 489.
6 Quæ, aut qualis cognitio causæ requiratur ad licite inferendũ bellum, pag. 491.
7 Vtrum princeps possit inferre bellum pro iniuria illata, quãdo ipsi offertur sufficiens satisfactio, pag. 494.
8 Qui possint militare, pag. 496.
9 Vtrum possit esse bellum iustũ ex vtraque parte, pag. 498.
10 Vtrum licitum sit bellare in die festo, pag. 499.
11 Vtrum licitum sit in bello vti insidijs, pag 500.
12 Quando, & quomodo inchoãdum est bellum, pag 501.
13 Quæ sint licita in bello iusto contra hostes, pag. 502.
14 Vtrum in bello iusto possint innocentes hostiũ occidi, pagin. 503.
15 Vtrum innocentes hostium possint in seruitutem redigi, pagin. 504.
16 Vtrum innocentes hostium possint suis bonis spoliari, pagin. 506.
17 Vtrum licitum sit concedere militibus ciuitatem in prædam, pag. 509.
18 Quibus acquirantur bona hostium accepta in bello iusto, pag. 510.
19 Vtrum captis in bello licitũ sit fugere, pag. 512.
20 Quibus modis contingat Principes, & Duces, & milites peccare in bello, & ad restitutionem teneri, pag. 514.

21 Quid sint seditio, & rixa, & qua ia peccata, p. 517.
22 Quid sit duellum, p. 518.
23 Vtrum duellum susceptum ob roboris ostentationem, & ob voluptatem spectantium sit licitum, p. 518.
24 Vtrum duellum susceptum ad terminandam litem, seu ad indagandam veritatem sit licitum, p. 520.
25 Vtrum duellum susceptum ad vindicandam iniuriam sit licitum p. 521.
26 Vtrum licitum sit acceptare duellum ad defensionem proprij honoris, qui videtur amitti illud recusando, pagin. 522.
27 Vtrum licitum sit acceptare duellum, quando est necessarium ad euadendum periculum imminens vitæ, aut honoris, aut diuitiarum magni momenti, p. 524.
28 Vtrum duellum sit licitum ad defensionem diuini honoris, pag. 528.
29 Vtrum licitum sit duellum inter hostes vtriusque factionis ad terminandum bellum, pa. 529.
30 Quibus pœnis afficiantur duellantes illicite, seu absque causa legitima, p. 531.

DISPVT. X.
De scandalo.

DIFFICVLTAS I.

Quid, & quotuplex sit scandalum, pag. 533.

2 Vtrum scandalum sit peccatũ, & quale, p 534.
3 Vtrum licitum sit suadere alteri minus malum, seu peccatum, vt omittat maius, pag. 537.
4 Vtrum licitum sit inuitare ad actum peccati eum, qui iam est determinatus ad illum, pag. §42.
5 Vtrum ob vitandum scandaluũ passiuum aliorum teneamur omittere opera præcepti, p. 545.
6 Vtrum ob vitandum scandalum passiuũ aliorũ teneamur omittere opera nõ præcepta, pag. 549.
7 Quando imputetur scandalum passiuum, quod etiam est dãnificatio temporalis, p. 552.
8 Vtrum licitum sit petere mutuũ ab eo, qui exacturus est vsuras, pag. 557.
9 Vtrum licitum sit vendere res indifferentes, quãdo creditur emens eis abusurus, p. 559.
10 Vtrum qui publice peccat, etiã peccet peccato scandrli.
11 V. Nõ auferens alteri occasionem peccandi: & eam illi offerens peccet peccato scandali.

IN-

INDEX.

Rerum, & verborum.

Absolutio, absoluere.

Absoluere ab hæresi, qui possint, pagin. 215.

Accedia.

Quid sit pag. 477. Quale peccatum, ibid. quantum, pagin. 478. Est peccatum capitale, ibid.

Actus.

Quod sint actus voluntatis circa bonum, pag. 262. Actus non solum ex diuersis motiuis distinguuntur; sed etiam ex diuerso modo tendendi, pag. 266. Actus intellectus, & voluntatis possunt esse infiniti in actu, quoad intensionem de potentia Dei absoluta, pag. 348. Actus virtutum, prout respiciunt respectu beneuolentiæ propriam personam, non sunt virtuosi, p. 381.

Actus Fidei.

Quid sit actus Fidei diuinæ, & quo differat ab alijs actibus intellectus, pag. 59. Quotuplicem possit habere respectum ad Deum, pag. 60. Quomodo recte definiatur à Paulo ad Hebræos 11. pagin. 61. & 62. Actus Fidei fit compositione, aut diuisione, etiam in Angelis, pag. 63. & 64. In actu Fidei respectus ad obiectum materiale non est distinctus ex natura rei à respectu ad obiectum formale; sed se habent vt genus, & differētia, pag. 65. & 66. Actus Fidei non generatur per discursum, pagin. 22. & 67. Est supernaturalis, quoad substantiam, pagin. 70. Qualis, & quanta sit certitudo actus Fidei diuinæ, pagin. 73. & 74. Actus Fidei diuinæ pendet à voluntate, pagin. 75. Positiue mouente, & imperante, pagin. 76. & 77. Qua ratione à voluntate pendeat, pag. 78. Quomodo actus Fidei diuinæ non possit esse malus ex prauo fine, pag. 84. Quomodo resoluatur actus Fidei diuinæ, p. 86. & 87. Primus actus Fidei diuinæ semper procedit ab habitu, pagin. 94. Non est dispositio physica ad illum, p. 95.

Neque imperatoria, pagin. 69.
Actus fidei diuinæ Hæretici, & Catholici distinguuntur specie pag. 130. Actus Catholici cur sit perfectioris speciei, ibidem. Actus fidei diuinæ est medium necessarium ad salutem, pagin. 134. Non sufficit actus fidei in voto, pagin. 135. Quomodo sit necessarius ad consequendam gloriam, ibidem. Ad iustificationem necessarius est actus explicitus fidei Dei existentis: etiam ijs, qui habent scientiam euidentem existentiæ Dei, pagin. 137. & 138. Item Dei remuneratoris remunerationesupernaturali, pagin 139. Quo discrimine vterque actus sit necessarius, pagin. 140. Ad iustificationem in *Sacramento* est etiam necessaria fides Dei iustificatoris, pagin. 141. Qualis Christi fides sit necessaria. Videverbum *Christus*. Fides Trinitatis explicita, etiam post Euangelium non est medium ueecssarium ad iustificationem, pag. 149. Imo neque implicita, pag. 150.
Vide *Fides habitus Fidei.*

Actus Charitatis.

Ad actum Charitatis ex natura rei est necessarius actus Fidei diuinæ, pagin. 134. & 140. & 319. Quid sit actus charitatis, & quotuplex, pag. 303. & 304. In patria est eiusdem speciei, ac in via, p. 305. An actus charitatis sit intensior in patria, quam in via in eodem homine, p. 305. Ad 307. in aliquo viatore aliquando erit intensior, quam in aliquo Beato, pag. 308. Actus Charitatis est amor amicitiæ erga Deum, pag. 314 qua ratione, pag. 316. est supernaturalis in sua substantia, pag 317. Nec potest esse charitas Theologica naturalis, pag. 318. Primus actus charitatis procedit ab habitu prius tempore infuso, p. 320. Imò in eodem instanti infuso, p. 321. Nec ob id læditur libertas ad peccandum, p. 824. Etiam quandovrget in eo instãti præceptum charitatis, p. 325 Quiuis actus charitatis meretur augmentum gloriæ, p. 341.

Actus Spei.

Actus *S*pei Theologicæ, quo speratur bonum supernaturale quoad substantiam, aut quoad modũ est supernaturalis quoad substantiam, p. 277. Quo verò speratur à Deo bonum omnino naturale naturalis est & Theologicus, p. 278. Quomodo actus Spei Theologicæ sit certus pag 279.

Adamus.

Adamus in statu innocentiæ: imò in primo suæ creationis

instanti habuit actum fidei diuinæ, pagin. 122. Et habitum etiam, pag. 123. Quæ nam misteria crediderit in statu innocentiæ, pag. 123.

Æmulatio.

Quid sit, pag. 479. An licita, ibid.

Affectus.

Homo prauè affectus difficile suscipit fidem diuinam; non tamen repugnat, vt durante prauo affectu suscipiat, pagin. 79. Affectus præuius ad assensum fidei humanæ naturalis est, quoad substantiam, pagin. 81. Item affectus immediatè præcedens fidem diuinam non necessario est supernaturalis, pagina, 82. Imò nec potest esse talis ad primum actum fidei, benè tamen ad reliquos, pagina, 82. & 83. An hic affectus credendi possit esse malus, pagina, 84.

Quomodo debeat esse pius, ibidem.

Ad affectum credendi naturalem non datur habitus acquisitus, pagin. 107.

Ad supernaturalem tamen datur habitus infusus, pag. 108.

Hic habitus non est virtus ratione sui, ibid.

Affectus inefficax odij abominationis, quando sit malus, pagin. 476.

Amicitia.

Inter Deum, & homines vera amicitia potest reperiri, pag. 314. & 315.

Amor.

Alius est amicitiæ; alius concupiscentiæ, pagina, 471. vide *Dilectio Charitas.*

Amphibologia.

Amphibologia vti absque rationabili causa secundario est contra veracitatem, pagin. 41.

Angelus.

Supremum Angelum habuisse notitiam diuinæ reuelationis certam naturaliter est verisimile, pagin. 33.

Angeli in statu viæ; imò in primo suę creationis instanti habuerūt fidem diuinam actum, & habitum, pag. 124.

Animæ purgatorij.

Fidem diuinam habent actum, & habitum; eandem habuerunt patres Limbi, pagin. 126.

Apostasia.

Quid sit, pagin. 184.

Apostoli.

Apostoli perfectius cognouerunt res Euangelij, quam nos, pag. 7. In Apostolis fuit notitia moraliter certa diuinæ reuelationis, pagin. 33. Apostolos peccasse cum Christum deseruerunt incertum est, pagin. 168.

Applicatio.

Discursus Theologicus non potest esse applicatio reuelationis ad credendum propositionem virtualiter, & mediatè tantum reuelatam, pagin. 21. & 22. Fides humana est applicatio reuelationis ad credendum, pag. 22. Quomodo per syllogismum applicetur reuelatio propositioni confusè reuelatæ, pag. 24. Vide *Conditio.*

Assensus.

Assensus Theologicus non habet idem obiectum formale, ac actus fidei diuinæ, pagin. 22. Imò non habet obiectum formale, ibidem. Assensus nixus reuelationi falsò apparenti non est fides diuina physicè; est tamen talis quoad moralitatem, pagin. 26. Assensus, quo assentimur aliquid esse reuelatum à Deo maius, aut minus exigit fundamentum pro diuersitate captus credentium, pag. 58.

Augmentum.

Quomodo conferatur augmentum habitus ob actum charitatis, & quando, pagin. 307. & 344. & 347. Augmentum intensiuum habitus Charitatis ob quemuis actū adhuc remissum, etiam aliarum virtutum, quando conferatur, pag. 345. & 346.

Auxilium.

Deus non confert auxilium gratiæ efficax ad actum fidei diuinæ ex se peccaminosum, pagin. 58. Omnibus adultis saltem mediatè conferuntur auxilia necessaria ad salutem, pag. 136. Auxilium gratiæ necessarium est ad actum Spei, pag. 277. Et ad actum charitatis, pag. 316.

Beati.

Nullum habent actum fidei diuinæ, atque adeo, nec habitum, nec pium affectum credendi, pagin. 125. & 126.

Beatificatio.

Quid sit, pagin. 249. Non potest in ea Papa errare, ibidem. Quo differat a canonizatione, ibid.

Bellum.

Bellum secundum se licitum est inter quosuis, pagin. 484. Apud

quem

quem sit autoritas colligendi copias, & indicendi bellum, pagin. 487. & 488. Quæ causæ requirantur ad inferendum licite bellum alteri, pagin. 489. & 490. Quæ, & qualis cognitio legitimæ causæ belli requiratur ad illud inferendum, pag. 491. ad 493. Quomodo, qui sufficientem exhibet satisfactionem, non possit bello impugnari, pagin. 494. & 495. Omne bellum commitanter est actus iustitiæ vindicatiuæ, pag. 495. Quomodo possit esse bellum iustum ex vtraque parte, pag. 498. & 499. In die festo bellare licet, pagin. 500. Quomodo in bello liceat insidijs vti, ibidem. Quando, & quomodo inchoandum est bellum, pag. 501. Quid liceat facere contra hostes in bello, pagin. 502. & 503. Quibus modis peccetur in bello a Principe Ducibus, & militibus pagin. 514. ad 516. Bellum pure vindicatiuum absque spe certa victoriæ, inferri nō licet, pagin. 522.

Vide. *Militare Innocent.*

Beneficiarij.

Quomodo, & ex quibus bonis teneantur ad elargiendam eleemosynam, pagin. 415. ad 419. Quid dicendum de beneficiarijs militibus, pag. 419.

Beneuolentia.

Actus quo alteri speramus à Deo bonum aliquod, an sit Spei, an beneuolentiæ erga illum, & a quo habitu eliciatur, pag. 273. Beneuolentia erga propriam personam non est virtus specialis, ibid.

Bona.

Bona corporalia triplicia sunt, pagin. 385. Ex quibus bonis possit fieri eleemosyna, pagin. 403. Ex quibus debeat fieri, & quibus facienda, pagin. 404. Quibus acquirantur bona arrepta ab hostibus in bello, & qua ratione, pagin. 510. & 511.

Bonitas.

Bonitas Dei transcendentalis, & quasi physica est motiuum charitatis, pagin. 140. & 141. & 330. & 333. & 360.

Canonizatio.

Quid sit, pag. 249. non potest Papa in ea errare ibid. Quomodo, & a quo possit fieri, ibid.

Caput.

S. Petrus fuit caput visibile totius Ecclesiæ, pag. 233.

Captiui.

Vide *Seruus.*

Caro.

Quando liceat Catholico vesci

carnibus in diebus prohibitis. pagin. 177.

Cathecumeni.

An sint Ecclesiæ membra, p. 221.

Censura.

De censura propositionum, quæ sunt contra fidem a pag. 193.

Certitudo.

Quibus modis accipiatur, pagin. 73. Qualis sit certitudo actus Fidei diuinæ, ibidem. Certitudo sumpta pro determinatione assensus potest esse maior in vno actu Fidei, quam in alio: sumpta pro veritate, non item pagin. 112.

Charitas.

Qua ratione charitas sit forma Fidei diuinæ, pag. 115. Quem ordinem tam perfectionis, quam dependentię habeat cum Fide, & Spe, pag 280. ad 282. Vide *Dilectio, Actus, Charitatis, Habitus, Charitatis, Obiectū, Charitatis præceptum charitatis.*

Christiani.

Qui Christiani non possint in seruitutem redigi ab alijs Christianis, pagin. 503.

Christus.

Christum nasciturum pro tempore futuro indeterminato tantum fuit de Fide in ea duratione, in qua facta fuit reuelatio, pagin. 26. Fides implicita Christi fuit omni tempore ad iustificationem necessaria necessitate medij, pagin. 142. Secus Fides Christi explicita, neque ante Euangelium, pagin. 143. Neque in lege Euangelica, pagin. 144. Neque in re, vel in voto sub disiunctione, pag. 147. Neque est necessaria ad ingressum gloriæ, pagin. 148.

Cognitio.

Nulla cognitio in viatore est supernaturalis, quoad substantiā præter fidem diuinam, pag. 82. Vide *Voluntas.*

Communicatio cum infideli.

Vide *Infidelis.*

Concilium.

Quid sit, & quotuplex, p. 250. Ad quem spectet concilia congregare, in eisque præsidere, pag. 251. Qui nam sint ad Concilium generale conuocandi, quique ad illud spectent tanquam mēbra, pag. 252. Concilium Generale approbatum à Summo Pōtifice errare non potest, p. 254. Benè tamen non approbatum, pag. 255. Idem dicendū de non generali, pag. 296. Quanta sit autoritas Patrum, & Doctorū, qui in eadem re fidei consentiunt, ibidem.

Conclusio.

Conclusio per euidentē cōsequētiam deducta ex reuelatione

diuina euidenter nota non est in se euidens; sed tantum in attestante, pag. 31. Quomodo conclusio causetur à præmissis, pag. 22. 67. & 68.

Concio.

Vide *Templum.*

Conditio.

Conditio ex lege ordinaria necessaria ad Fidem est externa propositio reuelationis communis, pag. 45. & 46. Quæ nam propositio prærequisita sit, vt conditio ad Fidem diuinam, pag. 47. & 48. Qualis debeat esse ea conditio, pag. 49. & 50. & 57. an eadem in omnibus credentibus requiratur, pag. 58.

Consanguineus.

Vide *Propinquus.*

Confessarius.

Quando teneatur instruere pœnitentem de rebus Fidei sub præcepto credendis, pag. 158. Quo modo teneatur pœnitentē corripere, pag. 437.

Confessio Fidei.

Quo modo sit actus virtutis Fidei, pag. 159. Pro quo tempore confessio exterior Fidei sit sub præcepto, & sub quali præcepto, p. 163. & 164.

Contentio.

Quid sit, pag. 480. an sit peccatum, ibidem.

Contritio.

In quo consistat esse detestationē peccati super omnia, p. 313.

Correctio.

Vide *Correptio.*

Correptio.

Quid sit, pag. 420. Ad quam virtutem spectet correptio fraterna, pag. 421. & 422. Quod sit eius præceptum, pag. 423. Cuius virtutis, 424. Quod peccatum sit materia correptionis, pag. 425. Quod præcepti eius, ibidem. Et pag. 426. & 428. Quo modo, & in quibus sit obligatio corripiēdi peccata venialia, pag. 428. Quando, & in quibus sit obligatio corripiendi, seu admonendi illum, qui ex ignorantia inuincibili committit peccatum, p. 429. & 430. Quæ conditiones requirantur, & sufficiant, vt obliget correptio fraterna, à p. 430.

â pag. 432. Quomodo obliget conditionibus positis, pag. 432. An cum graui detrimento corripientis, tum priuati, tum superioris, & in quo casu, pag. 433. & 434. De facto correptio stricta rarò obligat sub mortali priuatos; bene tamen prælatos, pag. 435. Quomodo excusari possint â mortali priuati, qui omittunt correptionem. Ibid. Qui nam strictius obligentur præcepto correptionis, & qua obligatione â p. 435. ad 437. Quilibet tenetur alium corripere. Ibidem. Qui sint ex obligatione corripiendi, pag. 440. Quis ordo sit in correptione seruandus, & quomodo, pag. 441. & 442. Quibus casibus possit inuerti, pag. 443. & 444. Ordo correptionis fuit à Christo præceptus, pag. 446. Quibus in casibus. Ibidem. Vide *Prælatus, Peccator.*

Credere.

Quid satis sit ad credendum Fide diuina, pag. 57. Quid sit credere Deo, credere Deũ, & credere in Deũ, p. 60. & 61. Vide *Conditio.*

Credibilitas, Credibile.

Credibilitas rerum Fidei non intrat obiectum formale Fidei, p. 15. Res nostrę Fidei sunt euidenter credibiles prudenter, quoad ipsarum reuelationem, pag. 53. Qualis sit ea euidentia, pag. 55. Sunt etiam euidenter moraliter credibiles, quoad ipsarum veritatem, pag. 55. & 56.

Damnati.

Non habent Fidem diuinã, p. 127

Dæmon.

In dæmonibus non est actus Fidei diuinæ, pag. 71. & 127.

Debitor.

Vide *Restitutio.*

Definitio de Fidei.

An Fides recte definiatur à Paulo ad Heb. 11. illis verbis: *Sperãdarũ substantia rerũ, &c.* p. 61. & 62

Delectatio.

Delectatio beatifica est immediate de Deo viso, & de ipsa etiam visione, pag. 270.

Denominatio extrinseca.

Extrinsecę denominationis potest produci species intelligibilis, quæ non sit formæ, â qua desumitur, pag. 27.

Desiderium.

Desiderium purum, quo viator desiderat videre Deum ex complacentia sui à nullo habitu infuso elicitur, pag. 286.

Desperatio.

Quid sit pag 294. Quod eius obiectum, pag. 295. In quo consistat peccatum desperationis. Ibid. Quantum sit, p. 296. In iudicio ad desperationem requisito nō reperitur sufficienter malitia desperationis. Ibid. Nec hoc iudicium est semper contra Fidem. Ibidem.

Deus.

Deus numquam mentitus est, nec in dicendo contra veracitatem, nec in operando contra fidelitatem, nec per se, nec per alium, pag. 40. An, & quomodo possit Deus vti Amphibologia, pag. 41. De Fide est Deum potentia ordinaria nulla ratione mentiri posse, pag. 42. Nec id potest de potentia absoluta, pag. 42. & 43. Ignorantia, aut error aliter repugnat Deo, quam mendacium, pag. 43. Deus potest monere, & inclinare ad errorem, pag. 44. Deus potest immediate determinare intellectum, aliâs indifferentem ad credendum, p. 80. Deus reuelare potest alicui eius damnationem absolutè, p. 300. Deus potest odio haberi à non vidente ipsum; secus à vidente, pag 472. Nec de sua potentia absoluta, pag. 473.

Dilectio.

Dilectio Dei propter se, & proximi propter Deum sunt eiusdem speciei, pag. 310. In quo consistat dilectionem Dei esse super omnia, pag. 312. & 450. Dilectio proximi quando spectat ad Charitatem Theologicam, p. 364. Dilectio amici melior est, & magis meritoria, quam inimici, pag. 377. Minus tamen satisfactoria, pag. 378. Quomodo teneamur Deum diligere super omnia, & super nos metipsos à pag. 449 ad 451. An, & quomodo homo teneatur se ipsum magis diligere actiue, & appretiatiuè magis, quam proximum in bonis spiritualibus à pag. 452. ad 455. Quomodo in bonis tēporalibus vitæ, & fortunarum à pag. 455. ad 458. Quando homo priuatus teneatur vitam, aut fortunas exponere pro bono spirituali proximi, pag. 460. Quando superior, p. 460. Quando pro communitate, pag 461. Quis ordo seruandus erga proximos in dilectione actiua; seu quis proximus alijs est præferendus,

dus, vt ſubueniatur quando omnes non poſſunt ſubueniri, tàm in bonis ſpiritualibus, quàm in temporalibus à p. 462. ad 468. Quomodo is ordo dilectionis ſit ex inclinatione voluntatis, pag. 468. & 469.

Diſcordia.

Quid ſit, pag. 480. quando ſit peccatum, & quale ibid. p. 481.

Diſcurſus.

Qua ratione in diſcurſu præmiſſæ moueant ad concluſionem, pag. 22. 67. & 68.

Diſputare de rebus Fidei.

Vide *Infidelis.*

Donum timoris.

Vide *Timor.*

Dubium, dubitare.

Dubium phyſice componitur cum actu infallibili Fidei diuinæ; eſt tamen peccatum ſuppoſita prudente reuelationis propoſitione, pag. 52. & 119. Dubitare poſitiuè contra obiectum fidei, cũ pertinacia eſt infidelitas poſitiua, pag. 182. Dubitare negatiuè eſt etiam poſitiua infidelitas non phyſica; ſed moralis, pag. 182. & 193.

Duellum.

Quid ſit, & quas ob cauſas ſoleat fiere, pag. 518. Quomodo duellum ſuſceptum ob roboris oſtẽtationem, & ob voluptatem ſpectantium ſit illicitum, pag. 519. & 520. Duellum ad terminandã litem, ſeu indagandam veritatẽ, quomodo non liceat, p. 520. An ſit licitum ad vindicandam iniuriam, pag. 521. Quomodo non liceat duellum acceptare ad defenſionem proprij honoris, p. 523. Quibus caſibus liceat acceptare duellum, ad euadendum periculum vitæ, honoris, aut diuitiarum à pag. 524. ad 527. ad defenſionem diuini honoris nõ licet duellum, pag. 529. Quomodo ſit licitum inter hoſtes vtriuſque factionis ad determinandum bellum, pag. 529. & 530. Quibus pœnis afficiantur illicitè duellantes, p. 531. & 532.

Eccleſia.

Eccleſia nihil definit, vt credendũ Fide diuina, quod ante ſuam definitionem nõ ſit reuelatum formaliter, & immediatè, ſaltem confuſè, pag. 23. Quod verò ex reuelatis deducitur, vt proximũ Fidei definit, pag. 24. In Eccle-

sia est ius iustitiæ ad propagandam Fidem, pag. 201. Quale sit hoc ius; & in quibus personis, p. 202. Quomodo Ecclesia non possit priuare infideles sibi non subdito dominio, quod habent in baptizatos, pag 206. Ecclesia potestatem habet ad puniendum hæreticos baptizatos, pag. 211. Omnes omnino fideles baptizati viatores sunt membra Ecclesia militantis, p 219. Quid dicendum de non baptizatis, pag. 221. Ecclesia triplici ter accipitur. Ibid. Ecclesia quãdo incæpit, pagi. 226. Quandu durauerit sine interruptione, & durabit, pag. 227. Ecclesia militans est visibilis, pag. 228. Quibus notis, & proprietatibus gaudeat, pag. 230. Quomodo non possit errare, pag. 232. Ecclesia, & Ecclesiastici innocentes non possunt licitè in bello bonis spoliari, pag. 508. Vide *Princeps infidelis.*

Ecclesiastici.

Vide *Beneficiarij, Episcopus.*

Editio.

Editionis vulgatæ quanta sit authoritas, pag. 259. Quæ sit authoritas aliarum editionum, pag. 260.

Egenus.

Quomodo in extrema necessitate possit egenus, aut alius pro ipso aliena bona subripere, p. 396. Quomodo etiam in necessitate graui, pag. 397. Quid dicendum quando pluribus in eadem necessitate existentibus est vnus tantum, qui possit succurrere, pag. 398. Qui ex causa rationabili paupertatem amplectuntur, quãuis possent illã vita relaborando, subueniendi sunt, pag. 411. Imo etiam ij, qui absque causa rationabili libere paupertatem patiuntur licitè petunt, & possunt eleemosyna subueniri, pag. 413. Vide *Restitutio.*

Eleemosyna.

Quid sit, & quotuplex, pag. 382. Quos effectus operetur, & quomodo, pag. 383. Eleemosyna corporalis est sub præcepto graui, pag. 384. Quod aliquando est naturale, pag. 385. Quomodo præceptum eleemosynæ non obliget in communibus necessitatibus, pag. 386. & 387. In graiibus obligat ex superfluis vitæ, & statui, pag. 388. Quomodo, pag. 389. Quomodo ex necessarijs secundum quid non obliget in eisdem necessitatibus, pag. 390. Quomodo in necessitatibus extremis obliget,

& ex quibus bonis, pag. 391. obligatio eleemosynæ nunquã est ex iustitia, pag. 393. An, quãdo est obligatio eleemosynæ, sit gratis danda, pag. 394. Cum plures possunt succurrere indigenti, quomodo omnes teneantur in solidum, pag. 396. Quid faciẽdum quando pluribus indigentibus non potest quis omnibus succurrere, potest tamen alicui, vel aliquibus, p. 398. Qui possint licitè eleemosynam facere, & ex quibus bonis à pag. 405. ad 408. Quibus pauperibus danda sit eleemosyna; quibus neganda, & quando quis titulo paupertatis possit sibi rem elargiendam retinere, p. 413. & 414. Vide *Egenus, Bona.*

Episcopus.

Quid ex Fidei mysterijs teneatur scire ex vi muneris, pag. 156. Episcopi possunt absoluere ab hæresi occulta, pag. 215. Episcopus Romanus succedit Petro in primatu Ecclesiæ, pag. 234. Ex Christi institutione, pag. 236. Vide Beneficiarij.

Error, errare.

Error repugnat Deo, pag. 43. non repugnat Deo mouere, & inclinare ad errorem, pa. 44. Errans circa Fidem cum ignorantia inuincibili reuelationis non est infidelis, pag. 190. Quando sit infidelis, qui errat cum ignorantia vincibili reuelationis. Ibid.

Euidentia.

Euidentia potest esse reuelationis diuinæ Deo non viso, pag. 27. Ex miraculo euidenter, aut intuitiue noto non oritur euidentia reuelationis diuinæ; oritur tamen certitudo, & euidentia quasi in attestante, pag. 28. *Euidentiæ* reuelationis diuinæ non obstat, vt reuelatio moueat ad assensum Fidei propositionis reuelatæ, pag. 30. Euidentia reuelationis non est necessaria ad credendum etiam in primis Fidei Doctoribus, pag. 32. Nec fuit de facto in eis rigorosa reuelationis euidentia, bene tamen certitudo moralis, pag. 32. & 33. Qua euidentia res nostræ Fidei sint euidenter credibiles, p. 55. & 56. & 57.

Excommunicatio, excommunicati.

Excommuncatio pro hæreticis. Vide *Pœna.*

Excommuncati sunt membra Ecclesiæ, pag. 225. Excommunicatio contra scismaticos, quos comprehendat, pagin. 482. & 483.

Exiſtentia.

Exiſtentia Dei pertinet ad eius eſſentialem integritatem. p. 141.

Exponere vitam, &c.

Exponere vitam, & alia bona pro proximis. Vide *Dilectio.*

Facilitas.

Facilitas credendi in eo, qui amiſſit habitum Fidei per ſe infuſum prouenit ab habitu ſupernaturali Fidei aquiſito, pag. 103. Idē dicendum de facilitate cuiuſuis alterius, pag. 107.

Fides.

Variæ acceptiones nominis *Fides*, pag. 1. Quid ſit Fides Catholica, pag. 18. & 51.

Fides Chriſti.

Vide *Chriſtus.*

Fides diuina.

Fides diuina variē accipitur, pag. 1. Fides, quæ nititur priuatæ reuelationi Theologica eſt, & eiuſdem ſpeciei cum ea, quę nititur reuelationi publicæ, p. 17 & 18. Quamuis ſolum ea, quæ publicæ reuelationi nititur dicatur Catholica, pag. 18. Fides diuina eiuſdem eſt ſpeciei, quocumq; modo obiecta materialia diuerſa ſint, pag. 18. Nihil Fide diuina creditur, quod immediatè, & formaliter, & in ſe non ſit reuelatum, pag. 23. Fidei diuinæ non poteſt ſubeſſe falſum, pag. 25. & 72. Infallibilitas diuinæ Fidei non exigit, vt propoſitio reuelationis ſit infallibilis, pag. 51. & 52. Cum Fide diuina poteſt phyſicè compati iudicium reflexum, quo iudicetur abſolutè id, quod creditur poſſe aliter ſe habere, pag. 38. Cum Fide diuina infallibili benè compatitur formido oppoſita, & dubitatio phyſica eiuſdem obiecti, pag. 52. Res noſtræ Fidei ſunt euidēter credibiles, quoad ipſarum reuelationem, pag. 53. Ea euidentia moralis eſt non phyſica, pag. 55. Sunt etiam euidenter moraliter credibiles, quoad ipſarum veritatem, pag. 55. & 56. Fides in ſe obſcura eſt, pag. 72. Fides diuina eſt practica, & ſpeculatiua, pag. 111. Qua ratione, ibid. Qualiter Fides poſſit eſſe maior in vno, quam in alio, pag. 112. & 113. Fides manere poteſt ſine Charitate, p. 113. Cur ſine Charitate dicatur mortua, pag. 114. Quomodo Fides Charitate informetur, p. 115. Informata, & informis eadem Fides eſt, pag. 117. Qualiter fi-

delis

deles non cognoſcat certò ſe habere Fidem diuinam, tâm quoad habitum, quàm quoad actum, pag. 118. 119. & 120. Fides tempore mortis Chriſti nõ in ſola B. Virgine permanſit, p. 227. Fides quem ordinem habeat cum Spe, & Charitate, tâm perfectionis, quâm dependentiæ, à pagin. 280. ad 282. Vide *Actus Fidei*, *Habitus Fidei*, *Præceptum Fidei*, *Confeſsio Fidei*, *Negatio*.

Fides humana.

Fides humana poteſt eſſe applicatio reuelationis ad credendum Fide diuina, p. 22. Quid ſit Fides humana, pag. 47. Ad credendum Fide diuina prærequiritur ex natura rei aſſenſus Fidei humanæ reuelationis diuinæ, pag. 47. & 48. Ea notitia humana eſt etiam neceſſaria ijs, quibus immediate fit reuelatio, pag. 48. debet autem eſſe aſſenſus totius obiecti formalis Fidei, pag. 48. Non tamen eſt neceſſarium, vt hic aſſenſus Fidei humanæ requiſitus habitus ſit ob teſtimonium Eccleſiæ, pa. 50. Actus Fidei humanæ pendet â voluntate, pag. 79. Quomodo pendeat. Ibidem.

Formido.

Formido oppoſiti cum actu Fidei infallibili reperitur, pagin. 52. & 119.

Fuga, fure.

Fuga in perſequutione licita eſt per ſe, pag. 167. Aliquando per accidens non licet, pag. 168.

Gaudium.

Gaudium, quo beati gaudent de propria beatitudine non elicitur ab habitu Spei, nec ab alio habitu infuſo, pag. 285.

Gratia.

Quomodo aliquid naturale quoad ſubſtantiam ſit donum gratiæ, pag. 83. & 84.

Gratitudo.

Gratitudo poteſt imperare Charitatem, pag. 361.

Habitus.

Habitus Fidei, & habitus ſcientiæ abſtractiuæ eiuſdem obiecti poſſunt eſſe ſimul, pag. 38. Item habitus Fidei, & habitus luminis gloriæ, ſimul eſſe poſſunt naturaliter; de facto tamen pro ſola voluntate Dei ad ingreſſum gloriæ deſtruitur habitus Fidei, pag. 39. Habitus infuſus ad pium af-

affectum credendi supernaturalē non est virtus ratione sui,& primario;sed secundario,p.108

Habitus charitatis.

Non est de Fide esse habitum charitatis,p.89.& 327. An sit intensior in patria,quam in via in eodem homine,p.306.&307.Qua ratione dici possit amicitia habitualis,p.316. Quam certum sit esse in iustis habitum charitatis per se infusum,p.327 & 328 In aliquibus est etiam habitus charitatis acquisitus supernaturalis ab infuso specie distinctus p.328. Vterque habitus est in voluntate, p.329. Vterque est virtus Theologica, ibid.Quanta sit eorum vnitas,& diuisibilitas,p.330. Quanta perfectio in esse moris;quanta vtilitas,pag. 331. Quanta perfectio in esse physico,p.332.Habitus charitatis infusus est forma sanctificās, p.334.& 337.Quomodo sit forma aliarum virtutum,pag.335. Non distinguitur ex natura rei a gratia habituali iustificante, p.336.Quomodo possit augeri p.339.& 340. Augetur quolibet actu charitatis,quantumuis remisso, p.341. Item quolibet bono opere hominis iusti,pag. 342.Quomodo augeatur secundum totam intensionem actuū, pag.343.& 344. Augeri potest a Deo in infinitum,imo fieri infinitus in actu,p.348. Quomodo habeat terminum præfixum ex lege Dei,in quolibet iusto, vltra quem non sit augendus, p.349,& 350.Habitus charitatis infusus non minuitur peccatis venialibus,p.351.amittitur per peccatum mortale,p.353. Et per quodlibet, pag.354. A mortali peccato physicè expellitur,&demeritorie etiam,pag. 355.Nec potest simul esse cum eo in eodem instanti de potentia Dei ordinaria, pa.358.Nec de potentia Dei absoluta,pag. 359.Vide *augmentum.*

Habitus Fidei.

Habitus fidei diuinæ per se infusus non intrat eius obiectum formale,p,15.Quo differat à lumine gloriæ,p.86. Non est de fide esse huiusmodi habitum,p. 89.Illum tamen negare temerarium est,p.90. Residet in intellectu,ibid. Est vnus secundū speciem,p.91. Qualiter sit diuisibilis,ibid. Influit efficienter in actum Fidei diuinæ, pag.92. Eius tamen influxus potest supleri à Deo,pag.93.Habitus fidei virtus est intellectualis,moralis,& theologica,p.97.& 98. Aliquando infunditur absque charitate,p.99 Quibus actibus & qualiter intendatur habitus

fidei infusus, p. 100. & 101. Quando, & quo amittatur, p. 102. & 103. Non expellitur physicè peccato infidelitatis; sed demeritoriè, p. 105 Non minuitur, dum perseuerat, p. 105. Præter habitum infusum datur habitus fidei acquisitus supernaturalis, p. 103. & 107. *Vide Actus fidei, Fides.*

Habitus Spei.

Habitus Spei infusus non manet in beatis, p. 285. Nec in damnatis, p. 286. Cæteta, quæ de habitu spei scienda restant, p. 287. Peccato desperationis amittitur, p. 296. Non vero peccato præsumptionis, p. 297.

Hæresis.

Quid sit, pag. 187. Ad hæresim requiritur pertinacia, pag. 188. Quid amplius requiratur ad hæresim, p. 192.

Hæreticus

Qui negat conclusionem theologicam non est hæreticus: præsumitur tamen talis, pag. 22. Hæreticus potest credere Fide diuina alias res Fidei: dum discredit aliquam, p. 128. Qua ratione, p. 129. In hæretico tamen non est habitus infusus Fidei, p. 130. Quomodo actus Fidei in hæretico procedat ab habitu supernaturali acquisito, p. 130 Hæretici non sunt membra Ecclesiæ, p. 223. Vide *Pœna, in fidelis, Ecclesia.*

Hostis.

Quid liceat facere contra hostes & quando possint occidi, pag. 502. & 503.

Ignorantia.

Ignorantia aliter Deo repugnat, quam mendacium, p. 43. Quid sit ignorantia inuincibilis, p. 157 An possit esse inter fideles de rebus fidei ex præcepto credendis, p. 158 Ignorantia vincibilis reuelationis, qua ratione conducat ad infidelitatem, p. 191.

Indigentia.

Quotuplex sit, p. 385. Vide *Eleemosyna, restitutio.*

Indignatio.

Quid sit p. 479. Quando est licita: ibid.

Indumentum

Vide *signum.*

Infallibilitas.

Infallibilitas fidei diuinę non exigit, vt propositio reuelationis sit infallibilis, p. 51. & 52. Quomodo hęc sumitur solum ex infallibili testimonio Dei, p. 52. & 57.

Infidelitas.

Duplex est, pag. 178. *V*traque ex obiecto est peccatum, ibid. Est in intellectu, vt subiecto, p. 179

Quantum peccatum sit, ibiden Quibus modis contingat, pag 180. Infidelitas adequatè diuiditur in Paganismum, Iudaismum, & Hæresim, pag. 184. Qua diuisione, pag. 185. Infidelitas, quo pacto in confessione explicanda, pagin. 186. Quæ nam ex propositionibus censura dignis sint peccatum infidelitatis ex obiecto, pag. 197.

Infidelis.

Quæ communicatio cum infidelibus sit illicita, & quæ licita, pagin. 197. & 198. Infideles baptizati possunt cogi ab Ecclesia ad susciendam fidem, non baptizati non item, pagin. 199. Nisi indirectè, pag. 200. Qualiter licitum sit cogere infideles, vt suos ritus deserant, quos ritus, & in quibus sit hæc potestas, pagin. 203. 204. 205. Quomodo, & quibus liceat de rebus fidei cum infidelibus disputare, pag. 207. & 208.

Inimici.

Quomodo teneamur inimicos diligere, pag. 374. Dilectio amici melior est, & magis meritoria, quam dilectio inimici, pag. 377 Minus tamen satisfactoria, pagin. 378.

Iniuria

Quomodo sit obligatio remittendi iniuriam ex corde, & non prabendi occasionem, vt alter, vel alij suspicentur odium vigere in iniuriato, pag. 375. & 376. Quãdo iniurians teneatur veniam petere, pag. 376.

Innocens.

Qui præsumantur innocentes in bello, pagin. 504. Quomodo liceat innocentes occidere in bello, ibid. Innocentes hostiũ non posse in seruitutem redigi probabile est, pag. 505. Nec bonis spoliari directè, pag. 507. Vtrũque tamen tuta conscientia sit. pag. 506. & 508.

Insidiæ.

Vide *Bellum.*

Intellectus.

Intellectus ad credendum indiget determinatione volũtatis, post quam testimonium diuinum sufficienter, obscure tamen (vt ordinarie fit) est applicatum, pag. 75. Est enim indifferens ad credendum, & discredendum, ibid. & pag. 76. qua ratione, & qua indifferentia, pag 78.

Intensio.

Vide *Augmentum.*

Interrogare.

Interrogatus in odiũfidei nõ tenetur resp-

respondere, pagin. 166. Excipitur casus, ibid.

Inuidia.

Quid sit, & quale peccatum, & quãtum, pag. 478. & 479.

Irregularitas.

Quomodo *E*piscopi, qui habent ciuilem potestatem, & Papa, sint immunes ab irregularitate, pagin. 488. *N*on incurritur ab exhortantibus ad occisionẽ etiã specialem in bello, pagin. 496. *N*ec a militantibus in bello defensiuo, pag. 497.

Iudex.

Iudex tum sæcularis, tum Ecclesiasticus quando teneatur compellere diuites ad elargiendum eleemosynam, pag. 393. quando inter duos supremos principes lis est super aliqua prouincia, a quo iudice dirimenda sit, pag. 493.

Iudicium.

Iudicium Dei, & eius prima veritas in cognoscendo satis sunt ad obiectum formale fidei, pag. 14. *N*on tamen sufficit id iudicium quando innotescit nobis ex sola veritate, seu existentia rei cognitæ a Deo, pag. 16. Iudicium, quo creditur esse aliquid reuelatum a Deo pro diuersitate captus credentium diuersum exigit fundamentũ, vt prudens sit, pagin. 58. quomodo fiat in nobis iudicium compositionis & diuisionis, pag. 63.

Iustificatio.

Quæ fides requiratur ad iustificationem intra, & extra sacramẽtum obtinendam, pag. 137. vsque ad 150.

Legere.

*V*ide *Libri.*

Libri.

Licitum est per se libros non baptizatorum legere, pagin. 197. Libros conscribere contra infideles licitum est; non tamen expedit lingua vulgari, pag. 209. quando hos libros non liceat legere, ibidem, qualiter non liceat libros infidelium legere, pag. 209. quid nomine libri intelligatur in Bullis prohibentibus, pag. 210. quanta sit in hac re materia grauis peccati mortalis, ibid. qui libri sint sacri pagin. 259.

Loquutio.

Loquutio *E*cclesiæ non intrat obiectum formale fidei, pag. 16.

Martyrologium.

Conscripti in Martyrologio sunt canonizati, pag. 249.

Mater.

Vide *Dilectio.*

Membrum Ecclesiæ.

Vide. *Ecclesia.*

Mendacium.

Mendacium Deo repugnat, p. 41. Aliter tamen, quam ignoratia, aut error, pag. 43.

Militare, militia, miles.

Quibus sit prohibitum militare, p. 496. & 497. Quis in prohibitione dispensari possit, ibidem. An sit licitum concedere militibus ciuitatem in prædam. pag. 509.

Miraculum.

Multa miracula facta sunt in confirmationem Fidei, p. 54.

Missa.

Quibus liceat *Missam* celebrare in memoriam eius, qui tantum est beatificatus, p. 259.

Misericordia.

Quid sit, quis eius actus, p. 379. Quomodo reperiatur in Deo, & in beatis, ibid. Quod eius obiectum, p. 380. Actio exterior misericordiæ quãdo imperetur ab aliis virtutibus, ibid. Misericordia, & beneficentia quomodo sint eadem virtus, ibid.

Quanta sit eius perfectio, p. 381

Circa ordinem in misericordia seruandũ erga proximos. Vide. *Dilectio.*

Monarcha.

Vide *Caput.*

Motiuum.

Omnis actus appetitiuæ potentiæ, tâm sensitiuæ, quâm rationalis motiuum habet aliquod formale; potentiæ verò apprehensiuæ nullus præter actum Fidei habet formale motiuum, pag. 2. Motiuum, quo mouemur ad credendum aliquid esse reuelatum inæquale est pro inæqualitate captus credentium, p. 58.

Necessitas.

Quid, & quotuplex sit necessitas ad salutem, p. 131. De necessitate Fidei, tâm medij, quâm præcepti ad iustificationem à pag. 137. vsque ad 157. *Vide Indigentia, eleemosyna.*

Negatio, negare.

Nullo euentu licet externa, & seria Fidei negatio, pag. 160. Quarum rerum externa negatio sit contra Fidem, pagina 161.

Nemesis.

Quid sit pag. 49.

Notitia.

Notitia euidens abstractiua tantum potest haberi ex causa, aut ex effectu ipsi rei proprio, pag. 30.

Obiectum.

Idem obiectum non potest simul videri intuitiuè, & credi, pag. 34. Imò nec credi potest quando per se, & ex terminis euidens est, pag. 35. Neutrum autẽ est verum, etiam de potentia Dei absoluta, pag. 35. Quamuis intellectus in diuersis locis existat. Ibidem. Idem obiectum potest simul credi, & euidenter abstractiuè cognosci, pag. 36. & 37. Idem obiectum Fide diuina, & humana potest simul credi, pag. 38. Quotuplex sit obiectum voluntatis, pag. 360. Vide *Motiuum reuelatio.*

Obiectum Fidei diuinæ.

Aliud materiale est, aliud formale, pagin. 2. Obiectum materiale adæquatum Fidei diuinæ est omne id, quod Deus reuelauit; non tamen, quod nondum est reuelatum, pag. 5. Obiectum materiale, aliud necessariũ est, aliud contingens, pag. 5. Obiectum materiale Fidei in se simplex est; prout est in nostro intellectu est complexũ, p. 5. Obiecta materialia Fidei successu temporis quoad numerum creuerunt vsque ad Christum, & Apostolos tantum, p. 6. Nihil proponitur ab Ecclesia credibile, quod tempore Apostolorum credibile nõ fuerit, p 6. & 7. Qualis sit ordo inter obiecta materialia Fidei, p. 7 & 8. Quid sit obiectum formale Fidei diuinæ, p. 10. & 11. Quæ nam includantur in obiecto formali Fidei diuinæ, p. 13. 14. & 15 *Vide Reuelatio.*

Obiectum Spei.

Quod sit obiectum formale, & materiale Spei vniuersim sumptæ, p. 266. Obiectum materiale primariũ Spei Theologicæ est nostra beatitudo, p. 268. Vtraque formalis scilicet, & obiectiua, p. 269. Quid aliud sit obiectum materiale Spei, p. 270. Quod sit obiectum formale Spei Theologicæ, pag. 275.

Obiectum Charitatis.

Quod sit obiectum formale Charitatis, à p. 360. ad 362. Quod materiale, à p. 363. ad 364.

Odium.

Illicitum est iure naturæ etiam erga inimicos, pag. 374. Odium affectiuum non fuit in lege veteri præceptũ, nec permissum; sed tantum actiuum. Ibid. Odium quid sit, & quotuplex, p. 470. & 471. Quomodo reperiatur in

Deo,

Deo, pag. 471. Odium inimicitiæ Dei quomodo sit peccatorũ maximũ, p. 473. Odia inimicitiæ Dei inter se eiusdẽ sunt speciei, p. 474. Odium Dei veniale non destruit Charitatem. Ibid. Odiũ Dei abominationis, quod peccatum sit, p. 475. Odium inimicitiæ proximi quale peccatum sit, & quantum, p. 475. Quid dicendum de Odio abominationis proximi, aut propriæ personæ, p. 476. Odium non est peccatum capitale. p. 477.

Omissio.

Omissio Charitatis dibitæ distinguitur specie ab odio in genere moris, pag. 474.

Oratio Dominica.

Non est præceptum eam addiscendi, pag. 153.

Opinio.

Opinio circa obiectum Fidei non est infidelitas, pag. 181.

Ordo.

Inter obiecta materialia Fidei alii quis ordo est, tùm dignitatis, tùm necessitatis ad credendum, non tamen credibilitatis. pag. 7. & 8. Inter Fidem, Spem, & Charitatem quis ordo sit, tàm perfectionis, quàm dependentiæ, â pag. 280. ad 282.

Papa.

Quomodo sit caput Ecclesiæ, pag. 221. Ad quos pertineat eius electio â pag. 237. De Fide est hunc numero Papam esse Papam, pag. 242. Quomodo Papa deponi possit, & â quibus, â p. 243. ad 245. Quomodo Papa non possit errare, & in quibus â pag. 246. ad 249. An possit esse schismaticus, pag. 282. Vide *Episcopus.*

Parochus.

Quid ex Fidei mysterijs scire teneatur ex vi muneris, pag. 156. Quomodo teneatur ad correptionem subditorum, p. 437.

Pater.

Vide *Dilectio.*

Pauper.

Vide *Egenus.*

Peccator.

Quãdo teneatur iustificari, p. 426. Quomodo liceat peccatori, tũ priuato, tum superiori alios corripere, p. 438. & 439. Peccator correpturus alium, an teneatur ad propriam emmendam, pag. 439.

Peccatum.

Vide *Correptio.*

Pertinacia.

Quid sit, pag. 189.

Pensionarius.

An teneatur ad eleemosynam ex pensione faciendam, p 419.

Pius affectus.

Vide *affectus*.

Pœna.

Pœnę hæreticorum quæ ob hæresim incurrantur, pagin. 188. Non incurruntur ob hæresim in affectu tantum, pag. 191. Quę pœnæ sint statutæ contra hæreticos, & eorum fautores, receptores, &c. à pagin. 214 ad 217. Quid sit necessarium ad incurrendam excommunicationem propter hæresim, pag. 214. Quæ sint pœnæ schismaticis impositæ, & âquibus incurrantur, p. 483. & 484. Quibus pœnis afficiantur duellantes, pag. 531. & 532.

Potentia.

Potentiæ appetitiuæ, siue sensitiuæ, siue rationales semper sub motiuo aliquo formali attingunt sua obiecta; potentiæ verò apprehensiuæ non item: quia omnes earum actus excepto actu Fidei tantum versantur circa obiectum materiale, p. 2.

Præceptum, præcepta.

Præcepta Decalogi, & Ecclesię sunt ex obligatione addiscenda, pag. 153. Qualis notitia eorum sufficiat, ibid. & pag. 154. Quale sit præceptum sciendi symbolum Apostolorum, pag. 156.

Præceptum Charitatis.

Quod sit præceptũ diligendi Deũ, & quale, & pro quo tempore obliget â pag. 365. ad 369. Quod & quale sit præceptum diligendi proximum, pag. 370. & 371. Quod diligendi se ipsum, pag. 373. Quomodo teneamur inimicos diligere, pag. 374.

Præceptum eleemosynæ.

Vide *Eleemosyna*.

Præceptum Fidei.

Quot nã ex obiectis reuelatis sint necessario credenda ex obligatione præcepti Fidei, pag. 151. & 152. Qua ratione credenda, p. 153. Quale sit præceptum affirmatiuum Fidei, p. 154. Pro quo tempore obliget, pag. 155. Quale sit præceptum non negãdi exterius Fidem, pag. 162. Ex quo præcepto nascitur obligatio confitendi Fidem exterius: & quibus euentibus, p. 163. & 164. Quod sit præceptum Ecclesiasticum confitendi Fidem, p. 165.

Præceptum Spei.

Quod sit, & pro quo tempore obliget, pag. 298. & 299. Ille, cui

facta est reuelatio suæ damnationis non potest sperare illam, ideoque, nec tenetur, p. 301. Imò potest despetare illam positiuè, ibidem.

Prælatus.

Quomodo, & quando teneantur prelati religionum corripere in subditis peccata venialia, pag. 428. Correptio fraterna strictius obligat prælatos Ecclesiasticos, pag. 435. Ex qua virtute, pag. 436.

Præmissæ.

Quomodo præmissæ moueant ad conclusionem, p. 22 67. & 68.

Præsumptio.

Multifariam accipitur, pag. 297. Præsumptio opposita spei quid sit, ibid. Quale peccatum, ibid.

Princeps.

Qualiter principes sæculares possint, & debeant subditos infideles cogere ad ritus suos deserendos, pag. 203. & 205. Quomodo illis non liceat vi occupare prouintias infidelium, pag. 205 Lis inter principes supremos super aliqua re, aquo iudicanda, pag. 493. Vide *Ecclesia, Caput, Bellum.*

Propinquus.

Quomodo propinqui sint præferendi extraneis quoad largitionem eleemosynæ, pag 403.

Proximus.

Qui dicantur proximi, pag. 370. Quibus modis habeat quis coniunctionem cum proximo, pag. 461. Vide *Dilectio.*

Propositio.

An propositis mediate tantam, & virtualiter reuelatis possit credi fide diuina, pag 20. & 21. Propositio aliqua rerum credendarum requiritur ad fidem, pagin. 45 Est autem necessaria ex lege ordinaria âd credendum externa propositio reuelationis publicæ, pagin. 45. & 46. Aliud est propositionem esse veram, aliud esse credibilem, pagin. 53. Quæ propositio contra fidem sit hæretica, pag. 194. Quæ erronea, pag. 195. Quæ sit sapiens hæresim, & quæ ad cæteros censuræ gradus spectant, pag. 196. Quale peccatum sint hæ propositiones, pag. 197.

Religio.

Alia est naturalis; alia supernaturalis, pag. 319.

Repræsalia.

Quid sit, pag. 508. An & quomodo liceat, ibid. & pag. 509.

Res.

Res nostræ fidei sunt euidẽter credibles

dibiles quoad ipſarum reuelationem, pagin. 53. Qualis ſit ea euidentia, pag. 55. Sunt etiam euidenter credibiles moraliter quoad ipſarum veritatem, pag. 55. & 56. quomodo res alienę in bello iniuſto ablatæ emi poſſint, pagin. 511.

Reſtitutio.

Qui eleemoſynam non elargitur cum debeat non tenetur ad reſtitutionẽ, nec damnorum quidem, p. 393. qui rẽ alienã arreptam, aut aliter præhabitã in extrema neceſsitate conſumpſit tenetur illam reſtituere, ſi adpinguiorem venerit fortunam, p. 399. Similiter, ſi conſumpſit in graui neceſsitate, p. 400. quid dicendum de tertio, qui vt alteri ſubueniret alienum arripuit. ibid. quid de debitore qui rẽ ſoluendam conſumpſit, ibid. An debitor extremè indigens re, quã debet teneatur eam ſoluere creditori pariter indigenti, pagin. 401. & 402. quid dicendum quãdo, creditore indigenti ea re, indigent etiam illa aliqui propinqui debitoris, pag. 403. qui ſe fingit pauperẽ vt accipiat eleemoſynam, illicitè, & inualidè accipit, & tenetur reſtituere acceptam, p 409. quid ſi ſe fingat ſanctũ, &c. p. 410. quid ſi fingat maiorem paupertatem, quã habet, pag. 411. Cui debeat reſtituere, ibid. qui non corripit furantem, cũteneatur expręcepto correptionis non tenetur ad reſtitutionem, p. 424. Bona innocentium in bello abſata, aut deſtructa debent reſtitui, p. 507. & 509. quo modo, & a quibus ſint reſtituenda dãna quæ fiunt in bello, pag. 514. ad 516. qui ſuo exemplo eſt cauſa vt alter furetur non tenetur reſtituere, pagin. 541.

Reuelatio.

Reuelatio Dei duplex eſt, altera ad extra ad intra altera, p. 12. Præter reuelationẽ publicã nõ eſt neceſſaria ad fidem diuinam priuata reuelatio reuelationis publicæ, p. 16. & 17. Reuelatio priuata, ſatis eſt ad aſſenſum fidei, p. 17. Reuelatio, altera eſt immediata, ſeu formalis: altera mediata, ſeu virtualis, p. 19. Virtualis altera eſt adæquata, altera inadæquata, p. 19. Reuelatio immediata ſufficit ad obiectũ formale fidei, p. 19. & 24. mediata verò non item, p 20. & 21. & 24. Reuelatio mediata tantum mouet ad aſſenſum propoſitionis in ſe ipſo immediatè reuelatæ, p. 20. Reuelatio falſò exiſtimata non ſufficit ad aſſenſum fidei diuinæ, p. 25. & 26. Reuelatio diuina poteſt euidenter; imò intuitiuè cognoſci non viſo Deo, p. 27. Reuelatio euidens apta eſt

ad assensum fidei, p. 30. Ex reuelatione euidenter nota non potest res reuelata euidenter abstractiuè cognosci, pag. 30. Cognoscitur tamen euidenter euidẽtia in attestante, p 31. Reuelatio diuina non potest esse obiectũ formale fidei circa obiectũ materiale intuitiuè visum, siue sensu, siue intellectu, p. 34 quinim circa obiectum ex se, seu ex terminis euidenter cognitum, p. 35. quod est verum etiam de potentia Dei absoluta, ibidem, quamuis intellectus in diuersis locis existat, p. 35. Post tamẽ reuelatio mouere ad credendum obiectum euidenter abstractiuè cognitum, aut euidentia in attestante, aut quouis alio modo minus claro, qualis est discursus Theologicus, opinio, fides humana, &c. p. 37. & 38. Reuelatio damnationis alicuius, quæ non constat esse absoluta iudicanda est comminatoria, p. 300 Vide. *Obiectum fidei, motiuum, euidentia.* *Ritus.*

Vide *Infidelis.*

Rixa.

Quid sit & qualepeccatum, p. 517.

Scandalum.

Quid sit, & quotuplex, pag. 533. & 534. quod peccatum sit, & quale p. 535. & 537. quomodo liceat suadere minus peccatum ei, qui paratus est ad maius, pag. 538. quid dicendum in materia iustitiæ, p. 539. & 540. quomodo liceat vexationẽ redimere præbẽdo occasionem peccati, p. 541. quomodo nõ liceat inuitare ad actum peccati eum, qui iam paratus est ad illum, pag. 542. & 541. Ad vitandum scandalum passiuum proximi nullum opus præceptum est omittendum, p. 546. bene tamen ad conseruandam vitam corporalem proximi etiam à se ipso auferendam, p. 548. quando & quomodo omitti debeant opera non præcepta ad vitandum scandalum passiuum aliorum, pag. 549. & 552. quibus euentis imputetur scandalum passiuum, quod est etiam damnificatio tẽporalis, siue scãdalizati, siue alterius, qualisque & quanta sit obligatio non præbendi occasionem simili scandalo adducuntur varij casus, pag. 552. & 557. An liceat petere mutuũ ab eo qui exacturus est vsuras, & iuramentũ a iuraturo per falsos Deos, aut falso, pag. 558. quomodo liceat res indifferentes præstare quando creditur alius eis abusurus ponuntur varij casus, p. 559. & 562. quando qui publice peccat, peccet peccato scandali, p. 561. & 563. qui, cum possit, ex honesto fine, aut causa non aufert alteri occasionẽ peccandi, non peccat, p. 564. Imò nec qui ex similicausa occasionem, præbet ibidem.

Schisma Schismatici.

Schismatici non hæretici sunt mẽbra Ecclesiæ, pag. 224. Schisma quid sit, pag. 481. & 482. quale peccatum sit, & quantum, pag. 483. quibus pœnis puniatur, & qui illas incurrant, pag. 483. & 484.

Scientia.

Scientia abstractiua, & fides diuina eiusdem obiecti optimè compatiuntur, tam quoad actus, quã quoad habitus, pagin. 38.

Scribere.

Vide *Libri.*

Secta.

Quid sit, pagin. 187.

Seditio.

Quid sit & quod peccatum, p. 517.

Sepelire mortuos.

Est opus misericordiæ, & obligatorium ex se sub mortali, pag. 382

Seruus.

Quomodo serui Christiani infidelium possint fugere, pag. 206. qualiter serui bello capti, & emptitij possim fugere, pagin. 512. & 513.

Signum.

Quotuplicia sint indumenta, & signa infidelium, pag. 171 quibus eorum vti liceat Christianis, & quibus cuentis, pag. 172. ad 175. Signa Christianorum adhuc ex lege in professionem fidei instituta quando liceat dimittere, pag 176.

Simulatio. Simulare.

Non est licitum factis, aut rebus falsam religionem simulare, pagin. 169.

Species.

Species intelligibiles, quibus iuuamur ad credendum omnes sunt naturales, pag 90.

Spes.

Variæ eius acceptiones, pag. 261. Sperare est actus voluntatis, p. 262. Explicatur natura actus spei, pag. 264. & 265. sperare alteri beatitudinem, aut alia bona, quando sit actus spei Theologicæ, quando non pagin. 271. 273. quomodo sperare aliquid a creatura licitum sit, pag. 279. Spes Theologica, quem ordinem habeat cum fide, & charitate tam perfectionis, quam dependentiæ, pag. 280. & 282. In quibus sit spes, tam quoad actũ, quam quoad habitum, & circa quæ bona, â pagin. 283. 287. quibus actibus beati sperẽt alijs beatitudinem, pag. 284. Spera-

re a creatura tanquam a causa principali, quod peccatum sit, pag. 298. Vide. *Obiectum Spei, Habitus spei, Actus spei præceptum spei.*

Subiectum.

Quo differant subiectum, & obiectum, pag. 2. Quod sit subiectū adæquatum fidei diuinæ, quodque principale, pag. 3. Quomodo Deus sit subiectum fidei diuinæ, pag. 4.

Symbolum.

Quid sit, pag. 8. quotuplex sit symbolum ab Ecclesia receptum, pag. 8. & 9. quæ eorum autoritas, pag. 9. In his symbolis conuenienter traduntur, quæ credē dasunt, ibid. Symbolum Apostolorum ex obligatione addiscendum, pag. 156. quæ notitia sit satis, ibid.

Synagoga.

Quo differat ab Ecclesia, p. 218.

Templum.

Quando liceat Catholico templa infidelium adire, & audire conciones, pag. 177.

Testimonium.

Testimonium humanum, aut etiā diuinum nequit mouere ad credendum obiectum, quod intuitiuè videtur, pag. 34. Nec quod ex terminis est euidens, pagin. 35. Bene tamen, quod euidenter abstractiue cognoscitur, pagin. 36. & 37. Testimonium humanum mouere potest ad credendum, quod fide etiam diuina creditur, pag. 38. Testimonium diuinum obscurè, & ordinarie applicatum non determinat intellectum ad credendum, pagin. 76.

Timor.

Quid sit, & quotuplex: qui sit honestus, qui peccaminosus, quæque eorum obiecta, p. 288. ad 290. Timor mundanus a nullo habitu elicitur, pag. 291. Timor seruilis elicitur ab habitu spei, ibidem. Timor filialis ab habitu charitatis, pagin. 292. Initialis ab alterutro iuxta opinionum varietatem, pag. 293. Non omnis timor, quo timetur a Deo malum pœnæ, est supernaturalis, quamuis omnis sit Theologicus, pag. 292. Donum timoris non est aliud a timore filiali ibidem, qualis sit timor, qui manet in beatis, p. 293.

Traditio.

Quid sit, & quotuplex, pagin. 256. quomodo discernenda, p. 257

Traditio diuina eandem vim habet, ac scriptura, ibid. Traditiones diuinæ extant, pag. 258.

Tristitia.

Tristitia damnatorum non est immediate de Deo, sicut est delectatio beatorum, pag. 270. Tristitia de bonis alterius quotuplex sit, & quando licita, pagin. 479.

Veritas.

Deus tripliciter est prima veritas pag. 12. Non potest vnus actus esse verior alio, pagin. 75.

Virtus.

Virtutes infusæ comitantur charitatem, pag. 334. Acquisitæ veram rationem habent virtutis absque charitate, pag. 334. quo modo ab illa perficiantur, ibid.

Visio.

Ex euidentia visionis non nascitur euidentia rei visæ in se, & intrinsicè, pag. 31. Visio intuitiua, & actus fidei diuinæ eiusdem obiecti non possunt esse simul, pag. 39. Fides diuina nō est certior visione beatifica, pag. 74. Visio beatifica Angeli, & hominis non distinguuntur specie, pag. 130.

Vita.

Vitam longam desiderare; imò & in æternum viuere non est illicitum, pag. 369. Vitam exponere pro proximis. Vide *Dilectio.*

Voluntas.

Voluntas non potest moueri cognitione naturali ad actum supernaturalem, pagin. 83. Ad naturalem affectum credendi moueri potest simplici apprehensione, ad supernaturalem non item, pag. 85. Voluntas est in instrumentum actiuum charitatis ad productionem habitus acquisiti, p. 340.

Vulgata editio.

Vide *Edictio.*

Zelus.

Quid sit pagin. 479.

FINIS.

FINIS

Signat. Top.

HVRTADO
DE
Fide, Spe
et Charitat